

de magnitudine Marium = 55 —
ignis centralis 34 et 219 =

JOHN CARTER BROWN
LIBRARY

Purchased from the
Trust Fund of
Lathrop Colgate Harper
LITT. D.

Burneti
Telluris
Theoria



TELLURIS
Theoria
Sacra

E libris Josiæ King: pret: 6 sol.

TELLURIS Theoria Sacra:

ORBIS NOSTRI

ORIGINEM & MUTATIONES

Generales, quas

Aut jam subiit, aut olim subiturus est,

COMPLECTENS.

LIBRI DUO PRIORES

DE

DILUVIO & PARADISO.

Editio Tertia, recognita & contracta.

AUTHORE *T. BURNETIO.*

LONDINI,

Impensis *Benj. Took*, ad Medii Templi Portam in vico *Fleetstreet* dicto, MDCCII.

ILLUSTRISSIMO VIRO

CAROLO

WILTONIÆ COMITI,

Salutem.

CUM hujus Tractatûs partem non exiguam peregrè agens conscripserim, Tibi comes & socius itineris, Vir Nobilissime; ità Te Patronum res ipsa nuncupat, ut, vel me invito, in jus hujus operis venire videaris. Neq; litem contestor; quicquid est, Tibi libens cedo; ac idem ille, cujus consiliis & auspiciis duci, haud ita pridem dignatus es, mutatis vicibus, in tui clientelam jam totum se tradit.

Neque

Epistola Dedicatoria.

Neque est quod asperneris, Vir Inclytissime, hoc, sive debitum, sive munusculum; cùm sub tantilla mole duos tibi mundos offeram; alterum quidem notum, hactenùs ignotum alterum, aut à multis retrò seculis oblivione obrutum. Illùc ego cogitatione provectus, Tibi primùm istius Orbis notitiam affero; non ingratum opinor nuncium, neq; scientiam indignam viris principibus; Quorum ingenii motus fortiores esse solent, & latiùs se diffundere, quàm Plebeii pectoris; neq; intra unius mundi angustias libenter constringi. Vos finxit natura è meliore luto; Vos excoluit liberalis educatio, & rerum præstantissimarum usus; Vos deniq; innata animi magnitudo, & in hoc mundi theatro altissimæ sedes, longiùs prospicere, & res maximas comprehendere, facilè permittunt. Vestrûm igitur est supra vulgus hominum Philosophari, atq; ità Phi-

Philosophantes authoritate vestrâ munire.

Neq; opus est, ut Tu laudibus provoceris ad præclarè agendum, quò omnes te ducunt & accendunt generis tui & vitæ rationes; Tu Domûs illustris spes prima es & maxima; & naturæ dotibus, tam artes ingenuas, quàm nobiliora corporis exercitia adjunxisti; quorum alterum ad virtutem, alterum ad gloriam formatque stimulat. His deniq; accedit anima pura & candida, cui nulla hactenus adhæsit macula, nulla labes. Ità Te diù sospitet benignum Numen, & in ætatis lubrico, quo versaris adhuc, incolumem conservet. Neq; enim me latet in ea nos incidisse tempora in quibus Virtutis & Pietatis studium non tantùm in desuetudinem abiit, sed ferè in opprobrium; Et quid non possunt in teneros & flexiles animos vitiorum magna exempla? Quem tandem communis mali

non

non tangunt contagia? Pudet ferè seorsim sapere, aut frugi esse ubi omnes luxuriant. Dolendum quidem, eum esse rerum nostrarum statum; sed Herois est, invito loci seculiq; genio, virtutem usq; colere; neq; pati unquam, quicquid contrà institerit, ut MENS, quæ nos incolit, immortalis, perituri corporis fiat mancipium: Itâ Suadet, Vovet, Oratq;,

NOMINI TUO ILLUSTRI

Dicatissimus,

T. Burnetius.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM:

CUM rationes ſummámque hujus Operis Capite primo explicuerimus, ac alibi ſparſim, pro re nata, ipſius methodum & partium ordinem, ne Lectoris otio abuti videamur, pauca admodum hîc præfabimur. Telluris Theoriam Sacram inſtruere decrevimus, in quâ à primævo Chao, teneríſque rerum principiis ſumpto exordio, omnes Naturæ motus & renovationes ad earundem rerum ſupremum exitum proſequemur. Hanc Theoriam *Sacram* appello, cùm Telluris Phyſiologiam communem non reſpiciat; ſed majores mundi noſtri viciſſitudines, quarum meminit Sacra Scriptura, & quæ Providentiæ Divinæ circa Terram ſunt veluti Cardines.

In hujuſmodi argumento novo ſolent Auctores

res multa præfari ad occurrendum præjudiciis, monitisque & precibus movere Lectorem, ut judicio recto & irretorto, animóque libero utatur; sed frustra hæc fiunt: Quis enim inter legendum præfatiunculam præjudicia deponit, aut judicandi facultatem usúmve corrigit? Mali causæ & radices potiùs indicandæ sunt, ut, quâ proveniunt origine prava illa judicia aut censuræ, ubi semel viderint, eorum pudeat saltem, si corrigere non possunt. Et cùm pro ratione materiæ cognoscendæ varii sint fontes pravorum judiciorum, in hâc, quâ versamur, nullos animadverto præter ignorantiam & pusillanimitatem.

Per ignorantiam autem intelligo, non universalem, qualis est illa vulgi; sed imperitiam aut inexercitationem quandam in eo genere literaturæ de quo agitur. Ità viri eruditi quidem, in suâ quilibet classe, dum in aliis Scientiis non minus sapere velint, vel sapientes haberi, aut palam hallucinantur, quod apud Antiquos sæpe contigit; aut in Scientiis illis omnia incerta & dubia esse, sibi aliisque quantum possunt, persuadent. Atque hoc moris esse videtur hodiè apud multos, pro dubiis incertísque haberi vel-le omnia quæ ipsi nesciant, aut parùm introspexerint. Ità in Physiologiâ omnia incerta esse

clamant

clamant non nulli, & ex alterâ parte in Theologiâ omnia incerta aiunt Philosophastri; quùm in utrâque Scientiâ, animum advertentibus, sint inconcussæ Veritatis Fundamenta & Theoremata. Modò inquam, animum diligenter attendamus, & à Principiis exorsi rebusque simplicioribus, ad cætera eo ordine progrediamur, quo adhærent alia aliis & insolubili nexu conjunguntur.

Certitudo non oritur nisi à cognitione distinctâ; neque cognitio distincta, præsertim in materiâ compositâ, nisi à plurium rerum, eódem spectantium, ordinatâ comprehensione: ad hanc autem comprehensionem requiritur ingenium cogitandi patiens, & non levis exercitatio. Quàm pauci verò hoc modo à naturâ compositi sunt, usúque & studiis perfecti? quam pauci rerum distinctam cognitionem attingunt? Sed ex ingenii levitate quadam aut arrogantiâ, de rebus inexploratis & scientiis malè comprehensis, præceps & iniquum judicium plerumq; ferunt.

Secunda præjudiciorum origo in scientiis rerum naturalium & divinarum videtur esse ἡ μικροψυχία, pectoris angustia, pusillus & illiberalis animus; qui non nisi exiguum rerum & temporum ambitum complecti valet: Cùm autem nihil augustius sit, nihil immensius Naturâ & Pro-

videntiâ, contemplationum quæ de his instituuntur, istius numeri homines judices idonei esse nequeunt. Non-nulli pro incertis & imaginariis habent omnia quæ sensibus non monstrantur, neque ratum volunt quicquam quod non his testibus probatur; His periit Universi pars major & pulchrior. Alii utrumque mundum agnoscunt, sed utrumque exiguum & limitatissimum. Denique variè à naturâ comparantur hominum mentes, non minùs quàm corpora, & qui hoc modo cogitationes animique sensus in angustum restrictos habent, sunt veluti myopes, qui non nisi proximè admota perspiciunt: Hos autem quis unquam in turri speculatores constituit? neque magìs alteros illos diffusissimis Theoriis quæ de mundo & rerum naturâ contexuntur, præponendos esse censerem. Est & aliud genus hominum μικροψύχων qui verborum elegantiis, & sententiarum flosculis, delectantur; Ii rebus magnis contemplandis plerumque sunt inepti. Et si fortè authoritate valeant, quod sæpiùs accidit, eâdem utuntur ad deprimendam existimationem eorum, qui liberali gaudent ingenio. Vetus dictum est, πολλοὶ πολυμαθέες νῶν ὐκ ἔχυσι: *Multi eruditione variâ instructi, destituuntur bona mente*: Cujus, ego, vel unicam guttam facilè prætulerim multifariæ illi verborum, sententiarum,

tentiarum, distinctionum, versiculorum, historiolarum farragini, quibus multorum cerebella referciuntur. Rectè notavit *Alcinous*, & ad mentem *Platonis*, Ἐναντιώτατον γὰρ μικρολογία ψυχῇ μελλούσῃ θεωρεῖν τὰ θεῖα καὶ ἀνθρώπινα. Sed hujusmodi curandis affectibus non hîc operam damus; Hisce intereà legendis affer animum quantum possis magnum, non referes minorem.

ELEN-

ELENCHUS CAPITUM.

LIBRI I. CAP. I.

Introductio & summa totius operis : quo genere probationum utimur & à quibus abstinemus.

CAP. II. *De diluvio Noëtico : quod explicari non possit per communem hypothesin.*

CAP. III. *Diluvium Noëticum non erat particulare : præludium explicationis nostræ, cum summâ & ordine dicendorum in libro primo.*

CAP. IV. *De formâ Telluris primævâ, propositio prima : de temporali ortu terræ & Chao.*

CAP. V. *Variæ facies successivæ Chaos : sub qua tandem formâ in orbem habitabilem cesserit : Illa forma cum sacris literis & antiquorum placitis confertur : Denique adstruitur propositio secunda.*

CAP. VI. *Terra prima dissoluta est ; quare & quo modo : quâ ratione ex ipsius dissolutione ortum est Diluvium universale. Propositio tertia adstruitur.*

CAP. VII. *Dissolutio Terræ primæ probatur à posteriori, nempe ex illâ hypothesi hodiernæ telluris forma & Phænomena aptissimè explicantur : agitur in specie de cavitatibus subterraneis.*

CAP. VIII. *De Oceano : & Voraginis marinæ formâ, conditionibus, & causis : ac de Insularum Origine.*

CAP.

Elenchus Capitum.

CAP. IX. *De Montibus: eorum magnitudine, formâ, ſitu irregulari, & origine.*

CAP. X. *Recapitulatio totius operis: Variæ formæ telluris hodiernæ generales & partiales, earúmque explicatio: Conjectura de cæteris Planetis: Terram noſtram non eſſe præſtantiſſimam, aut unicè habitabilem univerſi portionem.*

CAP. Ult. *Reſpondetur explicationibus Theologicis hodiernæ formæ telluris. Hypotheſis noſtra de Terrâ ſuperabyſſinâ ulteriùs confirmatur. Monitum de recurſu ad cauſam primam, & ad miracula.*

LIBRI II. CAP. I.

INtroductio & ſumma Libri Secundi: Phænomena generalia Paradiſi & Orbis primævi ex Hiſtoriâ Sacrâ & prophanâ recenſentur.

CAP. II. *Phænomena jam recenſita Telluri hodiernæ non conveniunt, neque explicari poſſunt ſecundùm formam & ſitum hodierni cæli & terræ.*

CAP. III. *De verâ cauſâ longævitatis Ante-diluvianorum: & de cauſis ſenectutis in genere, & brevitatis hodiernæ vitæ.*

CAP. IV. *Hypotheſis noſtra de Tellure primigeniâ exponitur, potiſſimùm quoad rectum ipſius ſitum in Eclipticâ, cujus cauſa & ratio oſtenditur: Inde facilè explicantur memorata Phænomena mundi primi.*

CAP. V. *De Aquis telluris primigeniæ; & de ortu, motu, & exitu ipſius fluviorum, ubi datâ occaſione de figurâ telluris Ovatâ tractatur; Denique quæ de aquis & fluviis primæ terræ dicta ſunt, cum Hiſtoriâ Sacrâ conferuntur.*

CAP.

Elenchus Capitum.

CAP. VI. *De loco Paradiſi Terreſtris : Neotericorum opinio refellitur. Situs ipſius in Orbe Auſtrali, ex Authoritate Patrum exponitur.*

CAP. VII. *Quæ nova & ſingularia ſunt in hoc opere, cum antiquorum Philoſophiâ & traditionibus comparanda proponuntur : atque primùm Coſmogoniæ antiquæ gentium explicantur, & cum Theoriâ noſtrâ de primâ telluris origine conferuntur.*

CAP. VIII. *Coſmogoniæ ſacræ explicantur, præſertim Moſaicæ : & cum eadem Theoriâ comparantur.*

CAP. IX. *Articulus ſecundus proponitur, probatúrque antiquam doctrinam inter Chriſtianos de ſitu ſublimi Paradiſi, Theoriæ noſtræ de Mundo Originario & de Paradiſo conformem eſſe.*

CAP. X. *Articulus tertius de novitate Montium, Maris, & Inſularum proponitur & probatur. Dein articulus quartus de Figurâ Telluris Primæ, atq; Ovo Mundano Veterum ; Quintuſque de ſitu recto ejuſdem. Quæ fuſiùs explicantur in Theoriâ majori.*

CAP. Ult. *Divinæ Providentiæ varia ſyſtemata, majora & minora : Illius quod ad mundum noſtrum ſpectat brevis ſeries : Hujus ſeriei quanta pars jam abſoluta ſit, & quid tractandum ſuperſit in poſteriori parte hujus Operis, paucis dicitur. Concluſio.*

TELLU-

TELLURIS THEORIA SACRA.

LIBER I.

De Diluvio, & Diſſolutione Terræ.

CAPUT I.

Introductio & ſumma totius Operis; quo genere probationum utimur, & à quibus abſtinemus.

EX quo primùm voluptatem aliquam percepi, ex uſu rationis meæ qualiſcunque circa rerum naturalium contemplationem, præ cæteris omnibus quæ meditari ſolebam, ſemper mihi placuit maximè, ORIGINES rerum inſpicere & naſcentis mundi principia & incrementa; Atque huic ſtudiorum quaſi rudimento cùm unà adjungere licuit & cogitatione complecti earundem rerum fines & periodos, hiſce paucis contentus, multas ſubtilitates quæ aliorum ingenia exercent, & quibus repleri ſolent Philoſophorum libri, facilè & ſine invidiâ prætermittebam.

Sed inter initium finemque mundi plures eſſe poſſunt periodi intermediæ, ſive naturæ mutationes generales: Quibus facies totius Terræ in aliam formam ſtatumque convertitur, & novus rerum ordo emergit: Et non niſi decurſis his ſtadiis, aut expletis his vicibus, ſequetur rerum omnium conſummatio.

ſummatio. Quare præter originem mundi noſtri & ſupremum exitum, medias illas Cataſtrophas diſtinguere tentavi: Quo integrum Naturæ curſum, aut *Providentiæ naturalis ſyſtema*, intra ambitum mundi noſtri, à capite ad calcem contemplarer.

Dixi intra ambitum *mundi ſublunaris*: Nam ſat ſcio non eſſe humani ingenii totius Univerſi telam hoc modo texere aut retexere. Unius Planetæ, quæ *Tellus* dicitur, Theoriam naturalem quærimus: Ipſius nempe Originem, ſtatuſque omnes generales, quos aut jam ſubiit, aut olim ſubitura ſit, uſque ad rerum omnium conſummationem. Dico, uſque ad extremum illum terminum: Nam ſi ortum ipſius, ſtatuſque præteritos, ex iis principiis quæ propoſituri ſumus, fœliciter evolvere licuerit: Idem ſequentes filum, ipſius hiſtoriam per omnes formas, ſtatuſque futuros, ad ultima uſque tempora deducemus.

Per ſtatus telluris præteritos, intelligo potiſſimùm PARADISUM & DILUVIUM, notiſſima nomina; per futuros, CONFLAGRATIONEM generalem, &, ſiquis eam præcedat aut ſequatur, mutatum ordinem in hâc rerum naturâ. Primos illos ex ſolâ hiſtoriâ hactenùs didicimus; nullus enim Philoſophorum, ſive veterum ſive recentiorum, cujuſcunque ſectæ, unquam animadvertit, aut ex cauſarum contemplatione invenit, primam telluris faciem fuiſſe Paradiſiacam: Eámque degenerem poſt aliquod tempus, cum magnâ aquarum eluvie periiſſe. Circa Conflagrationem telluris non ità prorſus ſiluerunt Philoſophi, cùm id ſemper inter dogmata Sectæ Stoicæ numeratum fuerit, *Mundum igne periturum*; Sed more veterum Philoſophorum, nec cauſas, nec modos, nec rationes notârunt; quod mihi indicio eſt, Eos non inveniſſe hæc dogmata, ratiocinando, & ex rerum intuitu: Sed ab antiquâ famâ, aut cæcâ aliquâ traditione accepta, cauſis ignotis, retinuiſſe & retuliſſe.

Sunt autem monumenta Sacra, unde primorum ſeculorum hiſtoriam præcipuè haurire licet. Quanquam enim hiſtorici quidam profani, aut hiſtoricorum antiquiſſimi, Poëtæ, nonnulla tradiderint de primis mundi ſeculis, iis affinia, quæ ab authoribus ſacris de iiſdem referuntur; quæque alicujus eſſe valoris non diffitemur: Nequid tamen fabuloſi ſubſit,

subsit, ut solet sæpissimè, antiquorum narrationibus aut dogmatis nihil quicquam superstruemus, nisi insuper accedat authoritas sacra, aut præeat clara ratio naturalis.

Et quidem post sacratiora salutis mysteria quæ divinis monumentis reconduntur, meritò credendum est, non sine Numinis curâ & providentiâ in iisdem conservari memoriam rerum & temporum longinquorum, quæ vel non omninò, vel difficulter admodum, vi naturalis ingenii attingere potuissemus: Scitu tamen essent vel necessaria, vel perutilia; cùm præter argumenti propriam dignitatem, aliarum rerum cognitioni multùm luminis affunderent. Talia sunt rationes & ordines temporum, rerum nascentium & recens natarum status, primorum populorum mores, ætates, sedes: Telluris & humani generis antiquissima fata: Denique præclara multa de futuris seculis & supremo rerum exitu. Hæc ego magnæ scientiæ semina semper duxi; Et reverà siquid sit in notitiâ rerum nostrarum atque orbis nostri dignum studiis liberalis viri, non aliud occurrit, ut mihi videtur, in quo magis honestè occupari possit ingenium, quàm hæc ipsa, in quâ versamur, materia; quæ majores rerum vicissitudines & mutationes, & quasi historiam naturalem nascentis & denascentis mundi complectitur.

Nec refert, latere adhuc incognitas magnâ ex parte harum rerum rationes, vel parùm congruè à quoquam expositas esse: Eo enim magis jucunda erit ipsarum investigatio; cùm animæ humanæ nihil gratius sit inventione veritatis reconditæ & multùm exoptatæ; præsertim si claris rationibus & dilucidâ explicatione eò pervenire possimus, ut consensu aliorum omnium qui ingenuè veritatem quærunt, propositámque agnoscunt, sententia nostra comprobetur.

Et quo magis errorem præcaveamus, solidísque fundamentis innitatur quicquid novi allatum fuerit, abstinebimus ab omni genere probationum dubiarum; quæ vim suam habent atque pondus ab authoris affectu & præconceptâ opinione potiùs, quam à rei ipsius evidentiâ. Imprimis igitur à fabellis Poëtarum abstinebimus, & ab earundem interpretamentis mysticis; nec enim certitudini ultra locus est, cum hujusmodi argutiis res permittitur; ubi nec constat authorem ipsum veritatem rescivisse, nec id sibi propositum esse per suam fabulam aut dictionem figuratam, eandem nobis

 significare:

ſignificare; cùm multis modis variari poſſit ejuſdem fabulæ, dictionis, aut ſymboli interpretatio. Neque tamen propterea antiquorum authorum uſum idoneum ullatenùs improbo, etiam in materiâ Philoſophicâ; modò ad illuſtrandum aut confirmandum aliunde probata, tantùm adhibeantur: Quapropter in extremis capitibus libri ſecundi, quæcunque in hoc opere præ novitate dura aut difficilia forſan viderentur, adjunctis antiquorum placitis, tam inter Gentes quàm apud Chriſtianos, non parùm temperavimus.

Præterea ab omnibus minutiis, tam rerum quàm verborum, in ſacris literis interpretandis & applicandis, abſtinendum eſſe duximus. Proculdubiò tutiſſimum eſt in materiâ rerum naturalium, reſpicere tantùm concluſiones generales ſacræ ſcripturæ, ſummas rerum & receptiſſima capita; partes, modi, & explicationes ſpeciales ſupplendæ ſunt ex obſervationibus in ratione, ſcientiis, & experientiâ fundatis; Ubi enim adhibentur à ſacris authoribus illæ circumſtantiæ & adjuncta, plerumque id fit more humano, prout res ſeſe exhibent ſenſibus noſtris, & à maximâ hominum parte concipi & credi ſolent; quanquam contingat non rarò id alienum eſſe à ſcientiis, à naturâ rerum, & à veritate Philoſophicâ. Hiſce igitur inveſtigandis qui unicè incumbunt, in ſacrarum literarum interpretatione nihil iis admittendum eſſe exiſtimo, quod evidenter repugnet rationi & obſervationibus naturalibus. Ità certè viſum eſt S. *Auguſtino*, atque eâ ratione optimè conſultum eſſe cenſuit literarum ſacrarum dignitati, lib. 1. de Gen. ad lit. c. 19. *Plerumque*, inquit, *accidit ut aliquid de terrâ, de cœlo, de cæteris hujus mundi elementis, de motu, & converſione, vel etiam magnitudine & intervallis ſyderum, de certis defectibus Solis & Lunæ, de circuitibus annorum & temporum; de naturis animalium, fruticum, lapidum atque hujuſmodi cæteris, etiam non Chriſtianus ità noverit, ut certiſſimâ ratione vel experientiâ teneat; Turpe autem eſt nimis & pernicioſum ac maximè cavendum, ut Chriſtianum de hiſce rebus quaſi ſecundum Chriſtianas literas loquentem, ita delirare quilibet infidelis audiat, ut, quemadmodùm dicitur, toto cœlo errare conſpiciens, riſum tenere vix poſſit; Et non tam moleſtum quod errans homo derideretur, ſed quod authores noſtri, ab iis qui foris ſunt, talia ſenſiſſe creduntur, & cum magno eorum exitio de quorum ſalute ſatagimus, tanquam indocti reprehenduntur atque deſpiciuntur. Cùm enim quenquam Chriſtianorum.*

stianorum in eâ re quam optimè norunt errare deprehenderint & vanam sententiam suam ex nostris libris asserere, quo pacto illis libris crediturі sunt de resurrectione mortuorum & de spe vitæ æternæ regnóque cœlorum, quando de his rebus quas jam experiri vel indubitatis numeris percipere potuerunt, fallaciter putaverint esse conscriptos? Hæc solidè *Augustinus.* Cum hisce etiam concinunt quæ subjungit infra cap. 21. *Quicquid illi,* nempe Philosophi, *de naturâ rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris literis non esse contrarium.* Et cùm res agitur inter duo oracula, quorum utrumque est vox Dei, omni cum religione & salvâ utriusque partis reverentiâ, tractanda est causa; neque enim fallere potest Deus, aut falli, quocunque tandem modo nobis loquatur. Denique, ut verbo dicam, illud attentè perpendendum est, veracitati divinæ non minùs repugnare, animæ nostræ facultates, quas ipse Deus condidit, esse falsas; quàm Scripturam sacram, quam ipse dictavit, esse falsam: Cúmque utriusque sit author Deus, non tam circa authoritatem, quàm circa rectum usum hujus & illius disceptandum est; & admissâ utriusque divinâ origine, id maximè cavendum, ne Deum Deo opponamus.

CAP. II.

De Diluvio Noëtico: Quod explicari non possit per communem hypothesin.

CUM plusquam quinque millia annorum jam effluxerint ex quo terrarum orbis conditus est; Quæ erat prima Naturæ facies, quis rerum status, quanquam mirum in modum delectaret animum perlustrare & secum repetere, Res tamen primo intuitu ultra spem aut ingenium humanum posita esse videtur. Primorum hominum seri sumus nepotes, atque extrema mundi pars jam agitur: Quo Duce per obscura vestigia regrediemur ad antiquissima illa tempora & primam rerum ætatem? Æquum tamen est credere, noluisse divinam Providentiam (quæ omnes omnium seculorum ordines comprehendit) ut earum rerum ignari essemus, quæ

quæ domi ſunt, quaſque propriè ſpectat ad hujus Orbis incolas indagare & pernoſcere. Nec reverà deſunt penitiùs rem inſpicienti, in hodiernâ Telluris formâ & conſtitutione Indices quidam & argumenta antiqui & primævi ipſius ſtatûs: Quibuſcum ſi conferantur ea, quæ de primo Chao, de Paradiſo & de Diluvio in ſacrâ hiſtoriâ referuntur, ex illo conjuncto lumine non obſcurè videbimus, qualis erat Tellus in primâ ipſius origine, & quæ inde mutationes ſucceſſerunt.

Propoſuimus ſpeciatim in hoc opere, ut præcedenti capite indicatur, Paradiſi & Diluvii rationes inveſtigare & referre: In quibus tractandis liceat nobis ordinem immutare, ſententiamque noſtram exponere primùm de Diluvio, poſteà de Paradiſo. Quanquam enim in hiſtoriâ ſacrâ, Paradiſi deſcriptio præcedat illam Diluvii, idque rectè & ſecundum rerum ipſarum ordinem: Ordo tamen probandi procedet faciliùs à Diluvio ad Paradiſum. Plures enim ſunt obſervationes & nobis notiores quæ ad Diluvium referri poſſunt, quàm quæ ad Paradiſum: Et ad illud quidem propiùs, ad hunc remotiùs; Et tantò magis probabile eſt explicationem aliquam non eſſe fallacem, quantò pluribus circumſtantiis reſpondet & innititur; præteréà expoſitione Diluvii præmiſsâ & benè fundatâ, facili ratione & quaſi ſuâ ſponte ſtatus Paradiſi innoteſcet. Auſpicabimur itaque à Diluvio, cujus hiſtoria notiſſima eſt, atque paucis ità comprehenditur.

Seculo poſt natos homines decimo ſeptimo contigit aquarum ingens diluvies; quæ non regionem aliquam, Judæam putà, Græciam, aliamve, ſed univerſas terras (diſruptâ magnâ Abyſſo, & ſuperveniente vi pluviæ immodicâ) tantâ inundatione obruebat, ut altitudinem maximorum montium tranſcenderent aquæ: Unde periit per terrarum orbem univerſum hominum genus; exceptis paucis, qui in arcâ quâdam permagnâ, Dei monitu ad id factâ, unà cum nonnullis animalibus incluſi fluctuârunt & ſupervixerunt: Spes alterius mundi, quorum nos ſumus poſteri, & tota ſtirps humana quæ hodiè ſupereſt, quantum adhuc innoteſcit. Tandem ſubſiderunt Aquæ, fluctuſque compoſiti ſe receperunt in ſuos alveos & conceptacula: Montes campique extabant, & tota terra habitabilis, eâ, quâ jam videtur, formâ & ſpecie. Atque ità ſe habuit antiqui mundi clades per aquarum diluvium, & novi inſtauratio.

Sed

Sed quot mihi videre videor,& quàm insuperabiles difficultates & dubia in hâc brevi narratione! Quæ insana vis aquarum satis esse potuit, ad inundandam primò,terræ faciem, & insuper accumulandam per omnes campos & valles tantam molem undarum, quæ assurgeret in aërem ad altitudinem maximorum montium per totum terræ orbem? Ubinam reperiemus in hâc rerum Naturâ tantum aquæ? quot Oceanis opus esset ad componendum hunc Oceanum in aëre expansum, immensum, & sine litore? Atque ut rem experiamur paululùm, supponamus, si placet, montes omnes è medio sublatos esse, terramque æqualiter stratam & depressam ad libellam, vel potius ad continuam convexitatem, cum mari: à cujus superficie ad summitatem maximorum montium capiamus sesquimilliare, vel si mavis milliare tantùm, ut minimè faveamus sententiæ propriæ. Concedamus Oceanum nostrum superficiei globi dimidiam partem occupare; & profundum esse, communibus locis, ad quartam partem milliaris. Dico communibus locis: Quanquam enim magni Oceani medius alveus multò profundior sit; tamen cùm eò descendatur plerumque gradatim & inclinato litore, in lateribus illis alvei, & præcipuè versus terram, aqua brevior esse solet, & paucarum perticarum forsan, vel etiam ulnarum: Præterea in sinibus maris, in fretis, inter insulas, rarò illam profunditatem attingit, & plurima sunt loca planè vadosa; quare pro mensurâ communi & mediâ non malè sumetur, quantum conjectare possum, quarta milliaris vel ducenti quinquaginta passus. Huic itaque Oceano nostro oportuerit superimponere quatuor alios Oceanos ad componendam illam enormem massam aquarum quæ illi superincubuit; atque alios adhuc quatuor Oceanos reliquæ parti globi, sive aridæ. Deniq;, qui montium altitudinem multo majorem statuunt, ut solent plurimi, ad eorum altitudinem superandam plures adhuc Oceani, ratâ proportione, desyderabuntur.

Verum quidem est in terrestri parte globi montes & colles magnam partem occupare, mari multò altiores; Unde non opus esset tantâ massâ aquæ ad obruendas terras & exundandas usque ad summitates montium, quantâ opus esset ad elevandum & exaggerandum mare ad eandem altitudinem. Sed ad hoc compensandum, calculumque nostrum confirmandum, notare licet primò, nos multò minorem, quàm

par

par eſt, montium altitudinem ſuppoſuiſſe, ſi montes mediterranei reſpiciantur; reverà enim montes illi, ſi unâ computetur declivitas terræ à radice montium uſque ad mare (declivem enim eſſe monſtrat fluviorum curſus & libramentum) multo elevatiores ſunt quàm fert proportio à nobis ſumpta. Nam altitudo montium ſumi ſolet ab ipſorum radice, vel à proximâ planitie; unde ad mare ſi ſpacium longiuſculum ſit, ſæpe alterum tantum ſumi debet pro illius terræ intermediæ declinatione; ità ut montes Lunæ, exempli gratiâ, tantum altitudinis habeant, primò, quantùs à mari Ægyptio, (in quod Nilus exoneratur,) ad ipſorum radicem eſt aſcenſus; dein quantus eſt à radice ad ſummitatem ipſorum montium; utrumque enim computari debet, cum metimur altitudinem montium reſpectu ſuperficiei maris. Unde in mari ſex aut octo Oceanis ſuperfuſis opus eſſet, ut aquæ tranſcenderent altitudinem maximorum montium mediterraneorum; quod plus ſatis compenſat minorem quantitatem aquæ ad terras ſuperandas requiſitæ. Secundò notandum, regiones in aëre ampliores & capaciores eſſe, quàm ſunt regiones concentricæ in terrâ, æqualis craſſitiei: Omnes enim ſuperficies globi quo remotiores ſunt à centro, eo ſunt majores: Et regio milliaria ſumpta à terrâ ſurſum, majus ſpacium continet quàm ſumpta deorſum; & majorem aquæ quantitatem exigeret, ut impleretur. Denique ſunt quædam valles & regiones integræ mari depreſſiores: Multæ etiam cavernæ & vacuitates ſubterraneæ, quæ omnes replendæ eſſent. Quare comparatis omnibus inter ſe & debitè æſtimatis, non obſtantibus eminentiis terræ, opus eſſet Oceanis minimùm octo, tantis quantus eſt noſter; vel moles aquæ octodupla totius aquæ in Oceano contentæ, neceſſaria eſſet, ad inducendum terris diluvium, eo modo quo vulgò intelligi & explicari ſolet.

At ubinam terrarum, Deus bone, tot Oceanos aquarum inveniemus? quâ ſcaturigine, aut quibus receptaculis deducemus? Cœlo forſan repetendas eſſe dices, & ab aquis pluvialibus, quæ immenſâ copiâ effuſæ erant tunc temporis in terras. Sed parum eſt quod hinc arceſſere poſſumus; haud unum Oceanum ex octo illis, qui deſiderantur; imò nec decimam partem unius Oceani, ſi obſervationibus aliorum ſuper hâcre habitis fidem demus. Quantitatem aquæ ex cadente

dente pluviâ ortam vel orituram ita computavit vir doctus: " Conſtat, inquit, ex obſervationibus noſtris vas cubicum æneum horæ dimidio ab imbribus ad ſeſquipollicem impleri; ſed cùm nihil aquæ bibat, inſtar terræ, ſolum pollicem ſeu digitum ſupponamus: unde ſequitur Aquam in terræ ſuperficie pedibus centum & ſexaginta, ſpacio quadraginta dierum & noctium in diluvio creviſſe: ſi fuerint imbres perpetui noſtris æquales, plueritque ſimul per totum terrarum orbem. At diluvii pluvia, inquit, nonaginta tribus vicibus major eſſe debuit, ut eo temporis ſpacio Armeniæ montes (quos ad integram leucam horizonti ſuperextare vult) obtegeret, vel quindecim cubitis ſuperaret. Atque ita ex ipſius calculo non multum ultra centeſimam partem aquæ requiſitæ, ex illâ quadraginta dierum pluviâ ſuppleri aut ſuppeditari potuit. Et quidem quomodocunque rem attemperemus, atque hujus vel præcedentis calculi mutemus & moderemur rationes; manifeſtum eſt, poſt omnes conatus & tentatas vias, ſemper defuturam eſſe pænè infinitam quantitatem aquæ; atque longè maximam partem illius, quæ, ex ullâ hactenus receptâ ſuppoſitione, diluvio univerſali Noëtico reſpondere poſſit, aut modos & rationes ipſius poſſibiles explicare & exhibere. Auctor *Catenæ in Gen.* 7. *c.* 3. ait, " Si imbribus tantùm res acta fuiſſet, non modò quadraginta dierum & noctium ſpacio tantum diluvium non effectum fuiſſet, ſed ne quadraginta quidem annorum. Imò ſi aërem ipſum condenſari fingamus datâ operâ, & mutari in aquam, tota media aëris regio haud ſufficeret: ſi animadvertamus aërem in aquam converſum centies minorem locum occupare, quàm anteâ.

Merſen. Cogit. Phyſ. Mech. p. 221.

Quid demùm faciendum ſit neſcio: ex quâ parte mundi, aut ex quibus regionibus, inferis, mediis, ſuperis, quod deeſt Aquarum, repetere poſſumus? Succedant jam Aquæ ſupercœleſtes: de quarum quidem copiâ dubitari non poteſt, ſi regiones illas æthereas, ampliſſimas vaſtiſſimaſque poſſideant & repleant. At præterquam quòd à pauciſſimis recipitur nunc dierum (nempe ex quo innotuit cœlorum fluiditas, & eorundem ordo) dari in rerum naturâ hujuſmodi aquas: ſi ab his mundi plagis credibile ſit deſcendiſſe aquas Diluvii, idque adeò denſis imbribus & diuturnis, ut terris illapſæ multos congeſtos Oceanos mole ſuâ ſuperarent: ceſſante Diluvio quò demùm delatæ ſunt hæ aquæ, quò ſe receperunt,

aut ubinam jam deliteſcunt? Sed Aquis hiſce ſuper-cœleſtibus non inhærendum eſſe exiſtimo, cùm omnes cordati jam agnoſcant ſuppſitionis illius ineptiam: ſi modo vulgari intelligatur; idque eos liberiùs agnituros eſſe cenſeo, cùm Libro ſecundo de Paradiſo, Aquarum Cœleſtium, quales ſeculis ante-diluvianis reverà obtinuerunt, naturam, ſedes, originem uſumque explicaverimus.

Tentatis mundi regionibus ſuperis & mediis, ſuperſunt tantùm examinandæ regiones Inferæ & Subterraneæ, & quid inde aquarum haurire liceat. Atque ut paucis id agamus, demus libere tantundem aquæ incluſum latere in viſceribus terræ quantum expoſitum eſt in facie terræ: nempe quantum in toto Oceano, (etſi id minimè credibile ſit) ſinguliſque maribus continetur; Fingamuſque Terram. quâcunque velis vi & impulſione, id totum evomuiſſe, plenis faucibus & quaſi unico ructu per totum orbem; Quid hoc efficeret? hoccine accederet ad computum noſtrum? ex octo ferè Oceanis qui deſiderantur, unum adjicis; idque pro ultimo ſupplemento; quò jam ibimus quæſitum reliquos? omnes Theſauros Aquarum, Cœleſtes, Terreſtres & Subterraneos exhauſimus, & deſunt tamen adhuc ſeptem aut ferè ſeptem Oceani in rationibus Diluvii. Præterea ſi adeſſent, quocunque demum modo: atque terris ſuperinducta eſſet hæc immanis aquarum congeries, non minoris negotii eſſet eaſdem derivare & amoliri; ceſſante Diluvio quò irent? vel potius quomodo unquam ceſſare potuit diluvium? aut exonerari terra hâc ſtupendâ mole aquarum? quomodò conſumi, aut quorſum abduci? Adeò ut omnibus rationibus expenſis, ſinguliſque mundi regionibus in examen adductis, nec principium nec finem, nec originem nec exitum aquarum Diluvialium invenire licet.

Poſt hoc examen & inquiſitionem in rationes poſſibiles Diluvii, ſiquis dixerit, tantis ambagibus non opus fuiſſe: ad novam creationem confugiendum; Deum nempe ad inducendum diluvium novas aquas creâſſe, eaſdemque finito diluvio annihilâſſe; atque ita res paucis confecta eſt. Huic repono primùm S. *Auguſtini* verba in ſimili argumento, qui initio lib. 2. *de Gen. ad literam*, de aquis quæ ſupra firmamentum eſſe dicuntur, diſputans, docet Eos qui ſupra cœlum aquas eſſe non poſſe rationibus naturalibus, contendunt, non

non esse miraculis & omnipotentiâ Dei statim obruendos & confundendos. Sic enim ait, *Nec quisquam istos ità debet refellere ut dicat secundum omnipotentiam Dei, cui cuncta sunt possibilia, oportere nos credere aquas etiam tam graves quàm novimus atque sentimus, cœlesti corpori in quo sunt sydera superfusas: nunc enim quemadmodum Deus instituerit naturas rerum, secundum scripturas ejus nos quærere convenit; non autem quod ipse in iis vel ex iis ad miraculum omnipotentiæ suæ velit operari.*

Præterea si novæ materiæ creationem admittamus, tantundem annihilare deberet Deus eodem tempore; cum corpora se invicem penetrare non possint; itidem cessante vel cessaturo diluvio, aquas diluviales recens creatas, iterùm in nihilum redigere oporteret, ad evacuandas terras, & materiam pristinam refingere & revocare; quales reciprocationes in actionibus Dei, & quasi retractationes, Majestate divinâ indignæ esse videntur. Ex ipsâ narratione Mosaicâ etiam constare videtur, non subitâ annihilatione aquarum diluvium cessâsse, at sensim se composuisse fluctus, & gradatim recessisse aquas à superficie terræ: primùm detectos fuisse vertices montium, dein campos, planities, & humiliora loca, more naturali. Atque eodem modo creviſse Diluvium per *multos dies*: ac si Deus insumpsisset plus operis & dierum in creandis aquis Diluvii, quàm in totâ suâ primâ Creatione.

Denique non me penitùs operam perdidisse credidero, si claris rationibus monstraverim & evidenti inductione, diluvium eo modo quo vulgò explicari solet, contingere non potuisse citra novam creationem. Præterquam enim quòd pauci agnoscant, absoluto opere sex dierum, ullam novæ materiæ creationem: etiam ii qui id recipiunt, non nisi extremâ necessitate coacti recipiendum ducunt. Quare rem non ingratam iis fecerit, qui eâ necessitate liberavit argumentum: methodumque claram & expeditam indicaverit, quâ Diluvium contingere potuit sine ullâ novarum aquarum creatione; id quod nobis in hoc opere propositum est.

CAP. III.

Diluvium Noëticum non erat particulare: præludium explicationis noſtræ, cum ſummâ & ordine dicendorum in Libro primo.

CUM has rationes contra explicationem communem Diluvii univerſalis aliquamdiù apud me meditatus eſſem, neque ullo modo inveniſſem quid iis reponi potuerit, aut quâ in parte defecerint: neque quoad quantitatem aquæ ad diluvium requiſitæ, neque quoad originem & theſauros tantæ aquæ, nullibi in hâc rerum naturâ reperiundos: nec denique quoad abductionis vel evacuationis modum: Cùm, inquam, hæc capita iterum iterúmque examináſſem, neque ullum patere exitum, ullum reſponſum ſenſiſſem: non potui non audacter inferre, *Diluvium alio modo contigiſſe, quàm quo vulgò intelligi & explicari ſoleat.*

Non me latet, nonnullos recentiores, ad extricandos ſe hiſce difficultatibus, limites imponere diluvio, atque ipſius immenſitatem reſtringere: Volunt nempe diluvium Noëticum non fuiſſe Univerſale, neque totum Terrarum orbem inundâſſe, ſed Judæam tantùm aut regiones contiguas; unde minor aquarum copia ſufficeret, cui ſubminiſtrandæ non impar eſſet rerum Natura. Verum quidem eſt, admiſſâ illâ ſententiâ, Diluvium fuiſſe particulare aut ad Judæam reſtrictum, non tanta vis Aquarum exigenda eſſet in ipſius cauſam; at ſuppoſitioni illi quorundam Neotericorum refragatur multis modis Hiſtoria Sacra Diluvii. Ut enim non memorem Univerſalem interitum omnium viventium, quem memorat *Moſes*, contingere non potuiſſe in Diluvio particulari: ipſoſque incolas limitaneos facilè elabi potuiſſe & aufugere in vicinas terras; cùm Aquæ dicuntur ſuperâſſe vertices maximorum montium, luce clariùs indicatur non ſubſtitiſſe Diluvium intra Judæam aut aliam quamcunque regionem ſingularem. Neque enim cumulatim ſubſiſtere ſolet Aqua in montes & moles collecta, ut ſtrues lapidum aut ligno-

lignorum : ſed per declinationem minimam defluit, & irrequieto motu petit inferiora. Ità è radice Montis ſcaturiens rivus per longiſſimos terrarum tractus prolabitur, exiguâ declivitate alvei progrediens uſque, donec Oceanum attigerit. Et fingi poteſt molem aquæ inſtar montis hæſiſſe conſtrictam in confiniis Judææ, exempli gratiâ; neque profluxiſſe in contiguas terras? Fieri quidem id potuiſſet per omnipotentiam Dei: At ſi eò confugiendum ſit, neque aquarum inopiâ laborabimus ad Diluvium univerſale. Neque cingitur Judæa catenâ montium, ut iis parietibus incluſa contineretur aqua tanquam in vaſe aut ciſternâ. Quinetiam montium ſummitates inſigniter ſuperâſſe cùm dicantur Aquæ, vaſis illius oras neceſſariò exundâſſent: & quidni defluxiſſent exinde uſquequaque per terrarum orbem, & cum magno Oceano ubique ſe conjunxiſſent? Certè non tantum abeſt à mari regio illa, quantus eſt curſus Nili aut Danubii, qui à minori altitudine fontis continuo fluxu ſe projiciunt in mare. Eò itaque neceſſariò proruiſſet Arca *Noæ*, vel in terris intermediis naufragium feciſſet; neque in montibus Ararat, quò non ſolent ſcandere Naves, ſed in aliquo maris littore requieviſſet.

Prætereà, quî potuerunt creſcere ad tantam altitudinem Aquæ in uno loco, neque inter creſcendum ſe exonerare ſenſim in circumvicina: cùm rectè demonſtratum ſit, in Sphæricam convexitatem ſe conformare ſuperficiem Aquæ, atque unamquamque guttam, quantum poteſt, ad centrum accedere? unde omnia loca humiliora atque campi per terrarum orbem inundari deberent, antequam in quâvis parte montes aquis obtegerentur: repletiſque primùm humilioribus, æqualiter ubique aſſurgerent & intumeſcerent aquæ verſus excelſiora loca. Denique quid illa ruptura Abyſſi vel fontium Abyſſi in Judææ? Quæ veſtigia ruptæ magnæ Abyſſi in regione illâ, magis quàm alibi terrarum? Et cùm Sanctus *Petrus* Antiquos Cœlos & Antiquam Terram, quos ſimul Mundum appellat, Diluvio periiſſe dicat, quâ veriſimilitudine de regione aliquâ exiguâ intelligi id poſſit, non video. Ii certè, qui Diluvium particulare aut patrium eſſe ſtatuunt, eodem jure & eâdem ratione futuram Conflagrationem ad hanc aut illam regionem reſtringere poterunt. Nam æquè habentur à Sancto *Petro* pro cladibus Mundanis,

nec

nec Incendium magis universale exhibetur, quàm Diluvium. Denique, eandem universalitatem testatur historia exotica, non minùs quàm Sacra. Exivit enim per totum terrarum orbem fama Diluvii, & in omni gente ipsius memoria conservatur. In utrâque Continente, apud utrosque Indos: apud Sinas, Africanos, & Europæos. Ut inde etiam pateat totam Terræ molem ab ipsius aquis obrutam fuisse.

Sed facilè mihi persuadeo hanc sententiam de restrictione Diluvii Noëtici ad regionem aliquam singularem terræ, nè authoribus quidem ipsis animitùs placuisse; sed cùm nulla esset spes satis aquarum inveniendi ad Diluvium Universale, hanc sententiam alterâ eligibiliorem duxerunt, ut è duobus malis minus; quæ miserorum optio est: Nos verò talem theoriam diluvii Noëtici quærimus, quæ suâ se sustineat vi, atque suâ luce mentem expleat, neque aliunde redargui possit ullo modo. Neque ideo huic Neotericorum Hypothesi acquiescere licet, cùm neque Historiæ Sacræ aut prophanæ consentiat, neque ullo argumento positivo stabiliatur. Quærenda nobis est alia, quæ materiæ dignitati respondeat, & tam Naturæ quàm Historiæ utriusque suffragio comprobetur.

Interea ex dictis hæc duo constare supponimus, Diluvium Noëticum fuisse Universale: atque itidem Diluvio Universali, summos terrarum montes demergenti, non sufficere aquas omnes in hâc rerum Naturâ; nempe si eo modo formam diluvii atque terræ ante-diluvianæ concipiamus, quo communiter concipi & exhiberi solent. Atq; hæc diutiùs revolventi, cùm varios modos frustrà tentâssem expediendi difficultatibus hoc argumentum, tandem mihi venit in mentem, superficiem Telluris esse fractam; saltem ità apparere, si majores ipsius portiones respiciamus. Sive *compagem exterioris terræ dissolutam esse*; atque forsan ex hâc dissolutione contigisse Diluvium. Terram exteriorem esse fractam multis argumentis facilè cognoscebam, atque id antea à multis animadversum est: an verò ex illâ fractione aut dissolutione oriri potuit diluvium, id definiri non posse clarè videbam; nisi priùs, Terrâ quasi resarcitâ, quæ erat ipsius forma primæva, & quis Oceani situs determinâssem. Unde statui examinare à priori, quæ & qualis esse debuerit Telluris forma, cùm primùm emersit ex Chao; sive qualis erat primus orbis

orbis habitabilis; & si ex ipsius dissolutione diluvium necessariò oriretur. Dein à posteriori, ex hodiernâ Naturæ facie ostendere, idque per plurima Phænomena, exterioris terræ compagem ità reverà dissolutam fuisse.

Ut verò viam quodammodò sternamus sequenti dissertationi, liceat hîc quædam præmittere generatim de formâ dissolutâ terræ. Multi agnôrunt ex contemplatione montium, insularum, præruptarum rupium & cavernarum subterranearum, exteriorem regionem terræ esse molem confractam & laceratam: quidam verò id tertio die creationis à Deo factum voluerunt, alii in Diluvio, alii diversis seculis & ex diversis causis. Primum notavit Severianus *in Hexamero*, his verbis, Ὅτε δὲ γῆν ἐποίησε ὁ Θεὸς, ἐδέπω ἦν τὰ κοιλώματα ἤδη ὀρέων· ἀλλ' ἅμα εἶπε συναχθήτω τὸ ὕδωρ, καὶ ἐρράγη ἡ γῆ, καὶ κόλπους ἐποίησε· μαρτυρεῖ τῷ προφήτῃ ὅτι γῆ ὄρη σχισθεῖσα, αἱ νῆσοι, τὰ ὄρη μεταξύ· καὶ διὰ τοῦτο καταλέλοιπεν ὁ Θεὸς τὰς νήσους καὶ τὰ ὄρη, ἵνα μάθῃς ὅτι ἀπ' ἀρχῆς συνῆπτο. *Cum Deus primùm terram fecerit, neutiquam erant illæ excavationes montium; dixit autem, simul collecta sit Aqua, & fracta est terra, sinusque fecit & cavitates,* &c. *Et propterea,* inquit, *reliquit Deus insulas & montes, ut inde disceres ab initio fuisse continuos & conjunctos.* Authores quidam recentiores qui itidem contendunt terram exteriorem fractam esse, id sensim & gradatim contigisse volunt, non simul & semel, neque unicà ruinâ, sed pluribus, variis seculis, & ex variis causis exortis. Alii denique, in Diluvio hoc factum esse aiunt: sed utrumque malè explicant, tam causam quàm effectum. Unaquæque harum trium opinionum, & siqua sit præterea notatu digna circa hoc argumentum, ad examen reducetur *c.* 9, 10, & 11. Interea consentiunt omnes compagem exterioris terræ confractam esse, sive dimotam à situ & dispositione partium primævâ & originali: atque id quidem primo intuitu in hodiernâ naturâ patet, majores massas terræ esse dislocatas, ut ità dicam, sive non esse dispositas secundum leges & primum ordinem naturæ. Quid in altum extulit & supremum locum moles ingentes terræ & saxorum, ut sunt montes & rupes, gravissima simul & altissima corpora? quid Terram excavavit suâ origine integram, & hiatibus hinc illinc innumeris disrupit? Quid aliud sunt cautes quàm rudera? atque fractas esse sæpe ad oculum patet, tam ex formâ præruptâ & irregulari, quam ex superficie lævissimâ,

vissimâ, ubi continuatur fractura, & ex aciebus anguliſque acutis, ubi terminatur; eo modo quo ſe habet facies ſilicis fractæ. Et quoad ſitum, Rupes utplurimùm inclinatas eſſe & recumbentes ex ductu venarum ſaxi conjicere licet: Eundemque ſitum obſervare ſæpe licet in ſtratis interioribus terræ. Neque hæc aliáque plurima quæ in ſequentibus à capite ſeptimo ad finem libri fusè tractabimus, ſine ruinâ aliquâ & diſſolutione terræ exterioris explicari poſſunt; Quamque ideo in formâ aliâ & integriori olim ſubſtitiſſe neceſſe eſt ſupponere. Atque illam formam primævam, qualis erat, ubi explicuerimus, & quis erat tunc temporis Oceani ſitus, ex ipſius diſſolutione Univerſale Diluvium terrarum orbi aboriturum clarè & perſpicuè videbimus.

Intereà Philoſophiæ & rationibus naturalibus non ità inhæreſcimus, ut prætermittamus ea quæ de mundi aut terræ diſſolutione tempore diluvii tradunt Oracula Sacra. *Moſes* memorat *Abyſſum* diſruptam fuiſſe eo tempore, ſive omnes fontes *magnæ Abyſſi*. Idem, aliis verbis, exprimitur apud *Jobum*, nempe eruptione maris ex utero Terræ, *c.* 38. 8. Et cùm Deus minatur diluvium, *Gen.* 6. 13. & *c.* 9. 11. dicit ſe perditurum homines *cum Terrâ*. Periiſſe autem Terram Ante-diluvianam ſive diſſolutam fuiſſe (neque enim perire potuit quoad materiam, ſed quoad formam) omnium apertiſſimè aſſerit Sanctus *Petrus*, in capite tertio *ſecundæ Epiſtolæ*, ubi de Tellure antediluvianâ & hodiernâ, & earundem diſcrimine & diversâ conſtitutione diſſerit, *Cœli erant olim*, inquit, nempe ante diluvium, *& Terra, ex aquâ & per aquam conſiſtentes, ſermone Dei; quamobrem is qui tum erat mundus*, ſive ii Cœli atque ea terra, *aquâ inundatus periit; qui verò nunc ſunt Cœli & Terra*, &c. Atque ex hujus ipſius loci authoritate antiquos Cœlos periiſſe in diluvio aſſerit S. *Auguſtinus*; illud autem non intelligendum eſſe de Cœlo ſydereo ſed aërio rectè contendit: verba ipſius hæc ſunt de *Gen. ad literam l.* 3. *c.* 2. *Hos etiam aërios Cœlos quondam periiſſe diluvio in quadam earum quæ Canonica appellantur Epiſtolâ legimus: neque enim humida illa natura quæ ita concreverat ut cubitis quindecim altiſſimorum montium tranſcenderet vertices, potuit ad ſydera pervenire.* Neq; ſatis eſſet, ſecundùm eum, ſupponere loco propulſos eſſe atque altiùs protuſos ab aquis diluvii, *faciliùs*, inquit, *eos ſecundum illius Epiſtolæ authoritatem credimus periiſſe*, &

Vid. Archæol. Philoſoph. lib. 2. *c.* 3.

& alios sicut ibi scribitur repositos, &c. Et quidem si Cœli, nempe aërium & meteoricum, perierunt & dissoluti sunt in diluvio, multò magis Terra secundum eundem Apostolum. Quo autem modo dissolutum aut abolitum est Cœlum illud antiquum, dicetur libro secundo, ubi Aquas Cœlestes atque formam Cœli ante-diluviani explicabimus; & quo modo dissoluta est Terra ante-diluviana, hoc libro explicabitur: Locumque memoratum Sancti *Petri* excutiemus diligentiùs, ab eo tanquam à sacro fundamento exorsi.

Hoc autem antequam aggrediamur, indicemus breviter dicendorum ordinem in hoc primo libro: Monstrabimus primò Tellurem primævam, sive quæ primùm emersit ex Chao, alterius compagis & formæ fuisse ab hodiernâ; eamque fuisse talem & quæ dissolutioni obnoxia esset, & ex cujus dissolutione necessariò oriretur Universale Diluvium. Quod Sectione secundâ, nempe *cap.* 4, 5, *&* 6. prosequemur. Dein ex hodiernæ Telluris formâ & facie; ex contemplatione montium, Oceani, & locorum subterraneorum, ostendemus, Regionem exteriorem terræ esse reipsâ disruptam & dissolutam, eo modo quo ex causis deduxeramus. Id quod Sectione tertiâ tractabitur, nempe *cap.* 7, 8, *&* 9. Denique Sectio ultima, nempe *cap.* 10, *&* 11. totius primi libri recapitulationem continet, cum quibusdam argumentorum spicilegiis: Ubi etiam respondebitur iis quæ objici possunt contra explicationes nostras, & quæ ab aliis allatæ sunt eorundem Phænomenôn explicationes refellentur. Atque hæc mihi videntur complecti omnia, quæ instituti operis ratio postulat, aut quæ desiderari solent in hâc materiâ.

CAP. IV.

De formâ Telluris primævâ, propositio prima: & de temporali ortu terræ ex Chao.

UT à simplicissimis exordiar & à remotioribus, atque inde gradatim descendam ad ea quæ propiùs spectant ad Diluvii explicationem, sit hæc prima propositio, *Forma*

Telluris primæ & ante-diluvianæ diverſa fuit ab hodiernâ. Hanc propoſitionem è Sacrâ Scripturâ primùm probabimus : dein ratione naturali, tam à priori, ut aiunt, quàm à poſteriori : denique quicquid in eâ continetur, alterâ propoſitione ſequenti à fortiori confirmabitur.

Primò itaque memoratum Sancti *Petri* ſermonem conſulamus, ubi redarguit irreligioſos quoſdam & Epicureos qui futurum judicium & prædictum in Sacris literis mundi interitum negabant, & irridebant; eo uſi argumento, quòd ex quo Patres obdormierant, omnia ità permanebant ut erant ab initio. Nempe à permanentiâ mundi, & ab immutato rerum ſtatu à multis retrò ſeculis, uſque à tempore Patriarcharum; & quòd nullum adhuc apparuit mutationis adfuturæ ſignum aut fundamentum ; arguebant nullam reverà futuram : nec igne unquam conſumptum iri Cœlos & terram, prout à Prophetis & Apoſtolis prædictum fuiſſet. Cui argutationi hæc reponit Apoſtolus : Eos libenter ignorare, cœlos & terras antiquos ità conſtitutos fuiſſe, ut peculiari ratione expoſitus eſſet aquarum Diluvio ille antiquus mundus, utì etiam per aquas periit : hodiernos autem cœlos & terram, in theſauris ignis poſitos aſſervari ad incendium univerſale, in die Judicii ; nempe hodiernam Tellurem non minùs præparari & diſponi ad conflagrationem ſubeundam, quàm præparata erat antiqua illa ad inundationem. Verba Apoſtoli hæc ſunt, *Illud volentes ipſos latet, Cœli erant olim & terra ex aquâ & per aquam conſiſtentes, ſermone Dei : Quam ob rem is qui tum erat mundus, aquâ inundatus periit. Qui verò nunc ſunt cœli & terra eodem ſermone,* τεθησαυεισμένοι εἰσὶ, πυεὶ τηρέμενοι εἰς ἡμέραν κείσεως, *&c. Ut theſauri repoſiti ſunt, igni aſſervati in diem judicii & deſtructionis impiorum hominum.*

In hiſce verbis manifeſtè innuitur diſcrimen inter formam naturalem veteris & novi mundi, ſive telluris ante-diluvianæ & hodiernæ : ratione cujus diſcriminis tellus antiqua aquarum diluvio erat obnoxia, & hodierna conflagrationi ; nempe ob diverſum ſitum & conſtitutionem. Terra, inquit, ex aquâ & per aquam conſiſtens δι ὧν ὁ τότε κόσμος, *&c. quapropter qui tum erat mundus aquâ inundatus periit* ; cauſam naturalem vel occaſionem diluvii, ita ordinante Deo, ex formâ vel conſtitutione terræ quæ tum erat, ortam innuens. Cùm verò ſuprà monſtravimus capite ſecundo, Tellurem ſub eâ formâ

formâ & constitutione quâ jam est, inundari non posse, vel inundationi subeundæ minimè aptam esse, vel etiam capacem; manifestum est aliam formam ab Apostolo hîc intelligi debere, quâ erat apta nata aquis obrui & perire.

Quare ex iis quæ hîc differit Sanctus *Petrus*, propositio nostra, nempe *formam telluris primæ seu ante-diluvianæ diversam fuisse ab hodiernâ*, pluribus modis probatur. Primò, quòd Apostolus manifestè distinguat & oppositionem quandam instituat inter mundum veterem & nostrum, sive terram antediluvianam & hodiernam; nec id tantùm ratione temporis, aut etiam ob diversos eorum fines & fata; quatenus alter aqua periit, hic igne periturus sit: sed etiam ob diversum eorundem statum naturalem, sive ob formam diversam & qualitates materiæ. Secundò, Innuit illam fuisse formam mundi ante-diluviani quæ naturalem aptitudinem habuerit ad subeundum Diluvium: quod hodiernæ telluris formæ minimè quadrare abunde ostensum est. Tertiò, Dicit explicitè mundum illum antiquum in Diluvio periisse; quod non intelligendum est tantùm de hominibus & animantibus illius mundi, sed de statu ipsius naturali, formâque externâ; ut patet ex oppositione ad interitum futurum mundi per ignem: ubi non tantùm homines & animalia, sed etiam status naturalis telluris peribit; non quidem quoad materiam aut substantiam, sed quoad formam, compagem, & qualitates: atque ita etiam suppono terram primam periisse, nempe mutâsse formam & nonnullas materiæ conditiones. Et quidem æquum erit exponere hunc Apostoli sermonem de rerum statu naturali, vel eum saltem non excludere, cùm objectio impiorum istorum quibuscum hîc agit, de eodem processerit. Denique, Quid est quod eos latuisse hic dicit Apostolus, *ver.* 5. Fuisse olim Diluvium, aut genus humanum in eo periisse? nullo prætextu hoc eos latere potuit: erant enim Judæi, & *Mosem* legebant. Sed eos libenter latuisse dicit, mundi illius ante-diluviani constitutionem, ipsiusque in Diluvio dissolutionem: quam si rescivissent, aut apud se reputâssent, argumentum ab iis propositum de *non mutato rerum statu* à primâ usque creatione, prorsus nullum fuisset, aut suum inde habuisset responsum.

Atque hactenùs Authoritas Sacra, de mutato mundi naturalis statu in diluvio: & mutando iterum in conflagratione

futurâ. Atque his ità præmiſſis, rationem jam conſulamus, ex ducibus noſtris alteram; quâ præeunte & monſtrante viam præteriti temporis veſtigia relegamus, ad prima uſque rerum exordia: quibus, ut oportet, perſpectis & comparatis cum hodiernâ telluris facie, haud dubiis indiciis, niſi fallor, deprehendemus inſignem aliquam mutationem orbi terrarum accidiſſe.

Quamcunque demum formam progreſſu temporis Tellus acceperit, receptum eſt apud omnes antiquiſſimos, ex quodam Chao originem traxiſſe; quem ſtatum etiam Scriptura Sacra agnoſcit, atque exinde inchoat deducítque gradatim formationem telluris. Ariſtoteles, & qui eum ſequuntur, Tellurem æternam & ingenitam eſſe volunt; non tantùm quoad materiam, ſed etiam quoad formam, compagem, ſupellectilem & ornatum; nempe ab æterno extitiſſe homines ſupra terram, animalia, arbores atque herbas: Foſſilia, mare, montes, inſulas, ignem, aërem, cætera, perfecta & ſeparata: neque è ſuis principiis & rudimentis hæc olim prodiiſſe. Quo quidem nihil magis alienum à Chriſtianâ fide, aut minus conſonum rationi naturali. Eodem jure, & ædes, & templa, & aras, & domos inſtructas & apparatas omnibus rebus, potuiſſet aſſerere ab æterno extitiſſe. Illud certè inſitum eſt menti humanæ, ordinem aliquem concipere in rerum ortu & compoſitione: ſimpliciora prima, & compoſita ut à ſimplicioribus orta. Ità compagem multiformem, ſive rem multiplicem varietate partium & conſtructione, ipſa Natura dictat non eſſe æternam, nec extitiſſe ſemper & neceſſariò ſub eâ formâ; ſed è ſtatu magis exoluto & ſimplici, variè attemperatis partibus & ordinatis, ad illam tandem compoſituram perveniſſe. Præterea Naturæ vultus & apparatus, ut hodiè cernitur, multa habet ſuæ novitatis indicia, tam in civili rerum ordine quàm naturali, quæ paſſim ab authoribus notari ſolent: In ſcientiis & rerum cognitione nihil perfectum, nihil abſolutum, aut ad finem perductum, majorum noſtrorum æternis ſtudiis; Artium plurimarum recens inventio eſt, etiam earum quæ vitæ utilitatibus inſerviunt; Gentium nondum exuta eſt barbaries, in maximâ terrarum parte; & quæ ſunt hujuſmodi alia. Denique rectè notatur, ſi Tellus ab æterno extitiſſet, univerſa foret jampridem obruta aquis, atque ità obruta permanſiſſet, & inhabitabilis ab infi-

nitis

nitis retrò seculis. Certissimum enim est montes & editiora loca terræ continuè subsidere & continuè imminui ex variis causis: vel quòd intus exedantur interlabentibus aquis, vel pluviis & torrentibus abradantur partes, aut detrudantur fragmenta; vel quòd ipsa fulcra & fundamenta quibus innituntur, labascant paulatim & succumbant oneri; perspicuum est & exploratum, tam ex causis internis quàm externis, indies decrescere & ad libellam cum cæterâ terrâ sensim accedere. Et cum quicquid decedit aut abraditur montibus & eminentioribus terris, ad humiliores & ad convalles deferatur, aut projiciatur in alveum maris, nihilo unquam revecto sursum ad reparandum damnum; manifestum est hisce depressis paulatim, & elevatis alteris, tandem fore æquales: Et quicquid est aquarum sive in mari sive in lacubus, aut alibi in fossis & recessibus terræ, expulsum iri in extimam terræ superficiem; quam, ut locum suum naturalem, ubi semel occupaverit, occuparet in perpetuum, sine regressu, vicissitudine, aut variatione.

Et quòd hæc ità se haberent lapsu temporis & seculorum, nemini dubium esse potest, qui rem vel mediocriter perpenderit: non autem uno & altero millennio, nec decem forsan aut viginti; sed da satis temporis, & effectus ille necessariò sequetur. Et cùm de æternitate hîc agatur, si centum, si mille, si myriades millenniorum capias, ille inexhaustus temporum Oceanus non deficiet; ideóque si ab æterno fuissent montes, jam quoq; ab æterno fuissent aquis obruti, totúsque adeò terrarum orbis. Quod quidem adeò mihi videtur inevitabile & necessariò consequens ad rerum naturas, ut ausim dicere quanquam deessent cæteræ omnes causæ, *Aërem* solum qui saxa & marmora exedit, & intra pauca secula Græcorum & Romanorum ædificia & monumenta corrupit & fœdavit, diuturnitate temporis, ipsos scopulos & rupes devoraturum; dum partes aliquantulum solutas ventorum impetus & cadentes pluviæ dissiparent: Atque ita vasta illa corpora & durissima, minutis causis, aëris ictibus & aquarum guttis lentè peritura. Adeò nihil æternum esse potest aut perenne sub cœlo.

Atque hæc præfati sumus ad refutandam opinionem *Aristotelis* & æternitatem telluris formatæ; quanquam id nobis sufficere potuisset, Authores omnes qui tellurem genitam esse

volunt,

volunt, eandem ſupponere è Chao quodam genitam: quod perfacile eſſet oſtendere apud veteres omnes, Philoſophos, Poetas, Hiſtoricos; ſed rei notiſſimæ non opus eſt citare teſtes.

Ut itaque repetamus propoſitum noſtrum & pergamus in incepto argumento, Tellurem genitam eſſe atque ortum olim traxiſſe ex Chao, ut teſtatur antiquitas tam ſacra quàm profana, ſupponamus: per Chaos autem nihil aliud intelligo quàm maſſam materiæ exolutam, indiſcretam, & fluidam; multifariis partibus, majoribus, minoribus, omne genus, compoſitam. Atque illud aſſero, ex hujuſmodi maſſâ oriri non potuiſſe orbem habitabilem, eâ formâ quâ jam eſt Tellus noſtra; ſive globus terraqueus & montoſus. Ratio in promptu eſt, nempe cùm hæc maſſa fluida ſit, atque fluidorum ea ſit natura, ut partes eorum ſuperficiales ſe teneant æqualiter remotas à centro: manifeſtum eſt hanc maſſam globum compoſituram, cujus ſuperficies eſſet lævis & æquabilis; non congeſta in cumulos aut depreſſa in lacunas & voragines. Si enim una pars aliâ eſſet vel tantillùm altior & eminentior, ſuâ gravitate ſtatim laberetur in vicinam Valleculam, & cum cæteris ad libellam accederet; uti videmus hodiè in mari, cujus maſſa liquida lævitate continuâ æqualis eſt, non cumulatur in montes fluidos, nec intra molem ſuam ſpeluncas habet aut cavitates irrepletas. Nec minùs illud Chaos ſive Æquor primigenium per eaſdem naturæ leges introrſum plenum ſolidumque eſſe deberet, & extrorſùm æquabile. At quàm multò aliter ſe habet hodierna tellus? aſpera, inæqualis & ſalebroſa, quoad faciem externam; exaggerata in montes & colles, aut in valles demiſſa & depreſſa in profunditates: nullibi durat idem tenor; quandoque plana, hîc lenior aſcenſus, illîc ardui clivi & præcipitia, vario ubique & incerto ſitu. Et quoad internam molem, tota ferè cavernoſa eſt, & quaſi caſſa, vaſtis antris & ſubterraneis receſſibus exeſa & excavata: ut nihil dicam de ingenti foſſâ maris & ipſius gurgitibus; unde aliam fuiſſe primam telluris conformationem, ſtatim ex Chao, neceſſe eſt credamus.

Atque ut paulò ulteriùs hoc explicemus, notandum præterea in primo motu & diſtinctione Chaos, Aquam, ob ſuam levitatem terræ globum cooperuiſſe, ſuperficie æquali & totâ

totâ liquidâ: & exinde secutam esse concretionem aliquam & statum consistentiæ; quem eundem fuisse similémve hodiernæ telluris formæ secundum Naturæ ordinem impossibile est. Nam, fluore illo turbido ex aquâ & terrâ, post aliquot motus purgato, sive partes ipsius terreæ subsidebant omnes, sive aliquæ hærebant in superficie aquarum, aut aliundè eò adveniebant, Regio terrea vel compages terrea inde orta (sive infra aquas, sive supra) esset necessariò plana, continua, solida, æqualiter strata, superficiei uniformis & sibi similis: cùm è contrario telluris nostræ superficies omnimodè irregularis sit & multiformis; Mari, terrâ, montibus, planitiebus, insulis, scopulis, hiatibus, cavernis disrupta & interstincta. Qualis cùm oriri non poterat ab illâ simplici partium dispositione & æquabili situ, sive in formâ aqueâ, sive factâ quacunque concretione & coalescentiâ; sequitur necessariò primam illam telluris formam aliam fuisse ab hodiernâ. Aliam dico, in genere, diceturque in sequenti capite, qualis erat in specie illa primæva tellus, quî in re diffidebat à nostrâ, & quomodò tandem hæc ab illâ exorta est.

Non me latet intereà, velle nonnullos ex illâ formâ aqueâ hodiernam nostram immediatè & nullâ aliâ intercedente, deduci posse; vi & fluctuatione aquarum factis, nescio quibus, lacunis & fossis in mole terræ subaquaneæ: quò partim delapsis aquis, & partim exiccatis, emersit, inquiunt, globus terraqueus & montosus nostri similis. At quos fluctus æquum erit supponere in hâc primâ massâ, aut quem aquarum impetum, ad excavandam terram suppositam? cujus moles tunc temporis integra erat, tota una & continua, & superlabentibus aquis consolidata: & quæ causa esse potuit motuum violentorum in his aquis? Non venti & procellæ; nec enim in illo statu cùm superficies globi plana & æquabilis erat, ulli spirabant venti præter generales illos & regulares, qui motum solis sequuntur, quique nec impetuosi esse solent, nec inæquales. Præterea illa fluctuum agitatio in mari nostro non pertingit usque ad fundum aquæ, saltem in magno Oceano & locis profundissimis, nec effectum aliquem sortitur, nisi in locis vadosis & versus litora, ubi currentibus undis aliquid occurrit & obnititur; at in hoc æquore Abyssi magnæ nulla brevia, nulli scopuli, nulla riparum repagula: sine orâ aut extremitate interminatus erat aquarum orbis.

Deniq;

Deniq; si concessum fuerit fluctuatione nescio quâ, valleculas aliquas in supposito terræ corpore atteri potuisse (quanquam inde tornari potiùs & lævigari ipsius superficiem æquius esset credere) & quasdam fundi partes cæteris depressiores fieri, quid hoc ad maris Barathrum & voraginem, quid ad elevationem & magnitudinem montium ? Horum utriusque vastitatem si meditemur, & capiamus animo intervallum à summitate montium ad imum maris, non facilè credemus patulos illos & profundos hiatus & excavationes in mole telluris, ex leviculis hujusmodi causis, lentis & languidis, aquarum nescio quâ fluctuatione, & suppositæ terræ attritione, exoriri unquam potuisse. Denique non memoro, tumulos illos & monticulos, qui alluvione maris aut fluviorum quandoque generantur, aliud prorsus esse atque aliam præ se ferre indolem & faciem, ac montes illi antiqui & primigenii; non sunt grandes & excelsi, non prærupti & asperi, non fastigiati, non solido saxo compacti.

Sed nimiùm mihi succrescunt argumenta cogitanti de hâc materiâ: quam etiam tractandi in progressu operis incidet iterum occasio. Ex dictis satis constare credo, Telluris globum ex illa formâ aqueâ, in hodiernam deduci immediatè non potuisse: nec ex ullâ aliâ formâ fluidâ; sed interceſſisse necessariò aliquam formam concretam atque aridam, ideóque & habitabilem: quâ demùm pereunte, eo quo dicetur modo in sequentibus, exorta est hodierna rerum facies.

Atque utì hæc manifesta sunt, si Telluris originem è primo Chao respiciamus; ità non minùs patet ab effectis, formam telluris primæ & ante-diluvianæ diversam fuisse ab hodiernâ: quoniam passa est diluvium universale Tellus prima. Et cùm capite secundo ostensum sit, nullas causas concipi posse, si totam naturam excutias; nec modum fingi, quo terris ità constitutis ac sunt hodiernæ, induci potuerit diluvium universale: inductum tamen fuisse antiquo mundo ex Sacrâ Historiâ certum sit, & extra omne dubium, ad hæc consequens est, *antiqui illius mundi formam aliam à nostri fuisse.* Atque hæc prima & generalis propositio, secundâ quæ jam proximè sequitur itidem inclusâ, & deinceps tertiâ, novâ semper vi instabit, atque novâ luce illustrabitur usque ad finem Libri.

CAP.

CAP. V.

Variæ facies successivæ Chaos : sub quâ tandem formâ in Orbem habitabilem cesseret : Illa forma cum Sacris literis & antiquorum placitis confertur : deniq; adstruitur propositio secunda.

PRIMÆ Telluris formam, aliam in genere fuisse ab hodiernâ jam vidimus : atque ut id ultrà sciamus, qualis erat in specie illa Tellus, & quâ in re nostræ dissimilis, adducamus iterum in concilium Naturam & Rationem ; præeunte semper, quà licet, sacrarum literarum lumine. Et quidem idem ille Sermo Sancti *Petri* quem suprà citavimus, respicere videtur & Cœli & Terræ ante-diluvianæ formam specialem, his verbis, *Cœlum & terra ex aquâ & per aquam consistentes : quamobrem is qui tum erat mundus, aquâ inundatus periit.* Sed ut verum fatear, non adeò mihi videtur explicitus & apertus horum verborum significatus, ut ex iis solis definiri possit certò & distinctè Telluris ante-diluvianæ forma ; quàm ideo satius erit ex naturâ rei primum investigare, originem & primigeniam ipsius massam iterum inspiciendo : cujus motus si bene complectamur, atque transitus in novas facies ex nova distinctione partium, videbimus tandem quæ primùm exorta sit forma concreta & habitabilis, aut exoriri potuerit.

Ponamus itaque ante oculos, si placet, Chaos illud primigenium, quod suprà descripsimus ; exolutæ materiæ massam, fluidam & indiscretam, multifariis partibus, majoribus, minoribus, quasi omne genùs compositam : qualis, exempli gratiâ, in paginâ sequenti exhibetur.

In hâc mole confusâ & indigestâ, æquum erit concipere partes maximè crassas & solidas, suâ gravitate subitò ferri deorsùm, ubi magis magísque compressæ & indurescentes, interiora terræ constituent. Cætera massa quæ supereſt & supernatat, in duos ordines corporum necessariò dividetur,

pag. 26. *fig. 1.*



unum liquidum, alterum volatile; ſive Aquam & Aërem: nempe partes tenuiſſimæ & leviſſimæ ſuperiora petentes, & perpetuâ mobilitate huc illuc agitatæ, regiones aërias conſtituent: uti minùs tenues, languidiores motu & levitate mediocres, univerſam liquidorum maſſam component; totúſque Globus eâ erit facie, quâ hîc repræſentatur in Figurâ ſecundâ. Atq; hæc omnibus ità nota ſunt, ut nulla hactenus difficultas aut dubitatio oriri poſſit.

Nec

Pag. 27.



Nec etiam dubitari poſſe videtur, de alterâ quâdam ſeparatione, quæ in hâc maſſâ liquidorum ſubſequi jam debeat. Nempe cùm in eâ contineatur omne genus liquorum terreſtrium, (eſt enim collectio omnium, ſaltem qui ab origine terræ extiterint) & liquores terreſtres ad duo præcipuè genera reducantur, Pingues, & Macros ſive tenues; quæ in omni ferè liquido compoſito reperiuntur; eadem etiam hîc reperiri dubitari non poteſt. Et cùm notiſſimum ſit liquo-

res pingues & macros commixtos, datâ occaſione vel libero aëri expoſitos, ſecedere ab invicem & ſeparari, pinguéſque innatare tenuibus; utì videmus in miſtione aquæ & olei, & in ſeparatione floris lactis à lacte tenui, aliiſque plurimis exemplis: æquum erit credere, hanc maſſam Liquidorum ſe partitam eſſe in duas maſſas, parte ipſius pinguiore ſupernatante reliquæ; Globúmque telluris exinde formam illam accepturum quam videmus in Figurâ tertiâ.

pag. 28. *fig. 3.*



Atque ità in formam quadripartitam redacta est massa primigenia telluris; ídque ut fas est credere modico tempore: at longiori temporis intervallo opus esset ad purgandum penitus & purificandum Aërem & Aquam, & in eâ quam deinceps habuerunt claritate constituendum. Considerare oportet Aërem ut crassum adhuc & tenebricosum, & radiis solis impenetrabilem: atque Aquas ut turbidas, & impuras; nempe partes terrestres non statim subsidebant omnes, at sensim & unæ post alias, crassiores primò, inde cæteræ suo ordine: eo modo quo videmus vinum cùm turbidum est, aut aquam pluvialem aliósque liquores turbidos paulatim deponere suas fæces. Atq; utì Aquarum massa fæces suas vel partes terrestres & crassiores quæ ei manebant interspersæ, sensim demisit ad fundum, ubi terræ interiori se adjunxerunt: ità qui supererant in regionibus aëris pulvisculi, & partes crassiores, necesse est ut subsiderent itidem, & delaberentur sensim in superficiem Liquidorum; ubi occurrentes primùm liquori illi pingui & oleagineo, hæserunt irretitæ, nec ulteriùs descendere potuerunt: ibíque aggregatæ plures, & commistæ cum materiâ illâ, pinguem quendam limum sive terram limosam constituerunt, faciem Abyssi sive massæ liquidorum obvolventem, *ut in sequenti Figurâ quartâ.*

Non est propositi nostri examinare proprietates omnes hujus terræ teneræ, neque id postulat ratio operis in hâc parte. Illud autem hîc notandum est, hanc esse primam concretionem, primam Aridam, primam compagem stabilem quæ faciei Chaos oborta est, aut oboriri potuit: atque eadem, ut verbo dicam, aucta & consolidata terram primigeniam atque primum orbem habitabilem constituit.

At dicet forsan aliquis, pauci illi pulvisculi & partes crassiores quæ restiterunt in aëre, ut ut collectæ omnes & coacervatæ in superiori parte massæ liquidorum, non tantæ essent ut potuerint componere integram regionem terræ firmæ & habitabilis. Hærebam aliquandiù in eodem dubio, donec mihi venit in mentem magnitudinis regionum aëris, comparatarum ad ambitum terræ: quo, cùm illæ grandiores sint innumeris vicibus, sparsim licèt disseminarentur per illa spacia reliquiæ partium crassiorum & terrestrium, tamen aggregatæ omnes simul in superficie multò minoris sphæræ, constituerent corpus soliditatis & crassitiei idoneæ, ad repræsentandum primum exteriorem terrarum orbem. Vide-

pag: 30. fig: 4.



Videmus quandoque terram coopertam nive, duos aut tres pedes profundâ; compositâ tantùm ex floccis & minutis partibus glaciei, quæ ex mediâ aëris regione delabentes, sistuntur occursu terræ & ibidem accumulantur. Quòd si fingamus non ex solâ aëris regione mediâ, sed ex totâ ipsius capacitate & ambitu depluere pulvisculos & minutias terrestres, æquum erit credere inde compositum iri regionem materiæ terrestris,

terreſtris, millies majorem profundiſſimâ nive: quam ſi auctam ulteriùs & attemperatam ſupponamus adjunctione illius liquoris pinguis quocum miſcetur poſt deſcenſum; nihil illi deeſſe mihi videtur, ſive molem reſpicias, ſive qualitates & virtutem, quò minùs Tellurem primigeniam reipsâ exhibere poſſit; quæ exinde illam formam induet quam videmus in Figurâ hîc appoſitâ: atque illam temperiem quam recens mundus poſtulare videtur, & quæ commodiſſima eſſet teneris rerum principiis procreandis & fovendis.

pag 51 *fig: 5.*



Non

Non est quidem hujus loci sollicitiùs inquirere qualis erat materia recentis Telluris, cùm de ipsius formâ disquisitio nostra procedat; sed ut id obiter notemus, humens illa moles atque oleaginea, cujus generationem jam descripsimus, accedente solis calore, videtur mihi aptissimum seminarium nascentis mundi, atque illud ipsum quod toties à veteribus Philosophis prædicatur. Nec enim aliud esse existimo, aut aliter productam celebrem illam atque decantatam Antiquorum ἰλύν sive *Limum primigenium*, quem variis nominibus designârunt, & constituerunt semper materiam propriam & proximam, unde in principio rerum prognatæ sunt plantæ & animalia, atque exterioris terræ totus apparatus. Ex Phœnicum monumentis ita rem descripsit *Eusebius*, ἐκ τῆς αὐτῆ συμπλοκῆς τῶ πνεύματ& ἐγένετο Μώτ. τοῦτό τινες φασιν ἰλύν, οἵδε ὑδατώδους μίξεως σῆψιν, καὶ ἐκ ταύτης ἐγένετο πᾶσα σπορὰ κτίσεως καὶ γένεσις τοῦ ὅλου. Eadem erat sententia *Archelai*, notante *Laertio*, τὰ ζῶα ἀπὸ τῆς ἰλύ& γεννηθῆναι· atque infrà, γεννᾶσθαι δέ φησι τὰ ζῶα ἐκ θερμῆς τῆς γῆς, καὶ ἰλὺν παραπλησίαν γάλακτι, οἷον τροφὴν ἀνιέσης. Sententiam Ægyptiorum ita refert *Diodorus Siculus*, fuisse initio τὴν γῆν πηλώδη καὶ παντελῶς ἀπαλὴν· ταύτην δ' τὸ μὲν πρῶτον τῆ περὶ τὸν ἥλιον πυρὸς καταλάμψαντ& πῆξιν λαβεῖν, ἔπειτα διὰ τὴν θερμασίαν ἀναζυμωθήσης τὴν ἐπιφανείας, συνοικῆσαί τινα μὲν ὑγρῶν καὶ πόλλας τόπους, &c. ἐξ ἰλύ& ἐβλάστησε χθὼν αὐτὴ, inquit *Apollonius*: Et à Scholiaste apud eundem (*li.* 1. *v.* 496.) in Orphei cantilenam, adjicitur, ὃ συνιζάνοντος ἰλὺν γενέσθαι, ἧς πηγνυμένης ἡ γῆ σεσεμνῶται. *Athenagoras* itidem, ἦν γὰρ ὕδατος ἀρχὴ καθ' αὐτὸν, loquitur de *Orpheo*, τοῖς ὅλοις, ἀπὸ δὲ τῆ ὑδατ& ἰλὺς καλέσης. Mitto cætera, neque hæc interpretor, quoniam libro secundo *cap.* 6. fusiùs tractabuntur, & quæcunque de origine terræ dixerunt Veteres. His obiter notatis, ad amoliendam novitatis invidiam, ad propositum jam revertamur.

L. 1. *præpar. Evan. c.* 10.

C. 1.

*Argonaut. l.*4. *v.*676.

In Legat. p. 18.

Ex deductis expositisque de motibus Chaos, & transformationibus successivis, quàs subire per Naturæ leges tenebatur, manifestum est, primam concretionem externam, atque formam stabilem & permanentem provenisse in superficie aquarum seu massæ liquidæ, ex limo quodam, sive udâ & molli materiâ ibidem collectâ, levioris terræ particulis & liquoris intermisti compositâ: cujus partes progressu temporis magis magisque coaluerunt; atque ita tandem, calore solis, & spirantibus auris, tota massa induruit, ut planè cesserit in regionem

regionem terræ firmæ & habitabilis. Atque hujusce teneri Orbis & primigenii, cùm infrà de *Paradiso* agetur, exponemus proprietates & prærogativas. Hìc autem, missis cæteris, ita formatam & constructam cum iis conferamus paulisper, quæ in Sacris & profanis literis traduntur de formâ primæ terræ.

Cum commemoratis S. Petri verbis imprimis congruere videtur hæc forma Telluris Antediluvianæ. Cùm propter hanc formam & modum constructionis super Abyssum, aquarum diluvio (fractâ ipsius compage) necessariò expositа esset, & aquis obruta peritura: ut in sequenti Capite ostendetur. Hinc etiam dilucidè explicatur ille *Gyrus* quem Deus dicitur posuisse in faciem abyssi in primâ terræ formatione, Proverbiorum *Salomonis c.* 8. Ibi *Sapientia* se extitisse dicit ante primordia terræ, aut jacta ipsius fundamenta: & inter alia quibus formandis se adstitisse aut præfuisse ait, cùm *aptaret cœlos*, inquit, *ibi eram*; *cùm statueret* Gyrum, *ambitum*, *vel sphæram*, *in superficie abyssi*. Quid aliud est autem hic primævus Gyrus abyssi, quàm Orbis ille noster faciei Abyssi undique superinductus, sive Regio terræ firmæ ambiens abyssum? Saltem hisce verbis atque huic loquendi modo nihil aptiùs respondere potest quàm illa forma & constructio Orbis primi quem jam exhibuimus. Hanc etiam, similemve constructionem Terræ, super *Aquas*, super *Maria*, super *Abyssum*, celebravit non semel Regius Propheta, Psal. 24. 2. Orbem Terræ *fundavit super maria: & super flumina præparavit eum.* Dein Psal. 136. inquit, *Laudes dicite Domino dominorum, qui facit magna mirabilia solus: Qui fecit cœlos in sapientiâ suâ: Qui firmavit*, vel tetendit, *Terram super aquas.* Sponte hæc quadrant in formam Terræ à nobis jam descriptam, minimè verò in hodiernam. Sed de his alibi erit differendi locus. Ver. 27.

Intereà ponamus iterùm ante oculos, si placet, Telluris primigeniæ * Figuram, ut cum Antiquorum placitis paulisper eam conferamus. 1. Orbem habitabilem notat, sive primævum gyrum abyssi. 2. Aquarum massam sive Abyssum. 3. Interiora terræ: de quibus hìc non agimus. Ego quidem rei ipsius intuitu perculsus, temperare mihi nequeo quo minus audacter dicam Abyssum 2. esse ipsum illud *Tehomrabbah Mosaicum*: cujus disrupti thesauri effuderunt im- תהום רבה * *Vid. fig. 5.*

menſam vim aquarum, & inexpletâ voragine abſorpſerunt terras. Eandem Abyſſum apud antiquos ſæpius occurrere exiſtimo, Tartari nomine, Chao congeniti vel cognati; ita *Heſiodus*, Θεογον.

Ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα, &c.
Τάρταρά τ' ἠερόεντα, μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης.

Notiſſimus eſt etiam Tartarus Platonicus in *Phædone*. Ita etiam *Ariſtophanes*, χάος ἦν καὶ νὺξ, Ἔρεβός τε μέλαν πρῶτον καὶ τάρταρος εὐρύς. Nec aliud eſſe exiſtimo in Authoribus Sacris Tartarum & Abyſſum quàm hujus voraginis reliquias. Hæc autem omnia quæ hîc præguſtamus tantùm, datâ operâ excutientur Libro ſecundo.

Dum itidem contemplor hoc Schema novæ telluris, venit mihi in mentem memoratiſſimi illius *Ovi* Antiquorum, quod celebratur apud *Orpheum*, *Varronem*, *Ariſtophanem*, *Plutarchum*, *Achillem Tatium*, *Macrobium*, & alios. Quo alii mundum, alii Tellurem, alii Chaos exhibitum voluerunt; atque illud quidem uſu venit apud antiquos Authores parum ſibi conſtare in rebus quæ ad Philoſophiam ſpectant, referendis & applicandis. Cum enim non propriâ ratione invenerint, ſed ab aliis accepta tradiderint aliis, re ipsâ parùm comprehensâ, novo narratore ſemper aliquid variatum eſt in hiſtoriolâ: vel ad conciliandum rei majorem, ut credebant, elegantiam & veriſimilitudinem; vel ut magis adblandirentur propriis opinionibus & dogmatis; vel denique ob laſcivientis ingenii inconſtantiam. Quicquid ſit, quod ad hoc Antiquorum Symbolum ſpectat, ſi Telluri primigeniæ applicetur, res quidem mirè reſpondet. Ea enim eſt ſimilitudo formæ Telluris jam propoſitæ ad ſpeciem Ovi, intus & extra, ut nihil fingi poteſt elegantius aut concinnius: Nempe ſi admittamus inſuper ignem Centralem, ſive maſſam ignis in centro Terræ; Id quod omnis antiquitas, Romana, Græca, Barbara, admiſiſſe videtur. Sed cùm ſatis eſſet ad propoſitum noſtrum regiones exteriores Chaos examinâſſe, interiores ab his diverſas eſſe non notavi, licet id probè nôrim. Poſitâque hâc formâ telluris, externâ & internâ, quâ in ſubjecto Schemate exhibetur, res appoſitiſſimè reſpondet; Nempe in hâc Figurâ telluris biſectæ, ignis in centro *A*. Ovi vitellum repræſentat;

p. 42. 219

terra

terra interior *B*, membranam quæ vitellum ab albumine separat; Abyssus sive Aquarum massa *C*, albumen ipsum; & cortex exterior *D*, ovi testam exhibet.

pag. 35



Atque hæc ita dicta sint, quasi per digressionem, de sententiis & traditionibus Veterum; quibus non aliter fidem adhiberi vellem, nisi in quantum ratione præmonstratis consentiunt. Quod quidem universim de Veterum placitis & philosophematis æquum mihi videtur esse judicium; Hæc enim omnia adeò incertâ famâ accepimus, atque adeò sunt plerumque confusa & turbida, toties interpolata & reficta, aut denique manca & exesa, ut siquid adhuc sit in illis antiquæ sapientiæ ruderibus, quod erui & expoliri mereatur, illud non aliter tentandum esse ducerem, quàm veritate præcognitâ & præmonstratâ; nempe re aliunde inventâ per causas aut effecta, & probatâ per rationes evidentes, ad illam amussim exigantur Antiquorum quotquot sint placita, fabulæ, allegoriæ: & siquid veri & reâi subest, facto examine comparebit; cætera neglecta jaceant, aut in pulverem & auras abeant.

Inſtitutum jam repetamus, & relictis aliorum placitis, quid ex ipſa naturâ deductum ſit, revocemus in memoriam. Summa rei huc redit: Globus telluris eâ quâ hodiè eſt formâ, emergere non potuit immediatè ex Chao: partibus illius maſſæ neceſſariò euntibus in ſuperficiem æquabilem & uniformem. Et cùm Aqua ſit levior Terrâ, teneretq; naturaliter ſuperiorem regionem, nullus orbis habitabilis oriri potuit, niſi per concretionem aliquam factam in ſuperficie aquarum: cujus concretionis modum & cauſas explicuimus. Denique hæc concretio, ſive orbis concretus, ejuſdem eſſet formæ & figuræ cum ſuppoſito globo aquæ, cujus erat integumentum & quaſi cortex; ut glacies aquis obducta ſequitur formam aquæ quam amplectitur, & nix terris illapſa imitatur formam ſuperficiei terræ cui incumbit. Cum itaque ſuperficies aquarum, ſive hujus maſſæ liquidæ, eſſet lævis, æqualis, & uniformis; concretionis illius terreæ, ſive primi orbis habitabilis ſuperficies debuerit itidem eſſe æqualis & uniformis. Sit itaque hæc ſecunda Propoſitio, *Forma telluris primæ, ſive primi orbis habitabilis, erat æquabilis, uniformis, continua, ſine montibus & ſine hiatu maris.* Quam Propoſitionem vidimus jam probatam à priori & à cauſis ſuis deductam; eandem Capite ſeptimo & ſubſequentibus probabimus ab effectis: & ab iis quæ jam ſunt, aut quæ olim extiterunt, naturæ phænomenis; & intereà eâ ſuppoſitâ, ad Diluvii univerſalis explicationem jam progrediamur.

Prop. 2.

CAP. VI.

Terra prima diſſoluta eſt; quare & quo modo; quâ ratione ex ipſius diſſolutione ortum ſit Diluvium Univerſale. Propoſitio tertia adſtruitur.

HACTENUS explicui ortum Telluris ex Chao; ſimplici & liquida methodo, ut à quovis facilè concipi poſſit. Secutus ſum leges notiſſimas gravitatis & levitatis, & earum ſolo ductu vidimus maſſam illam primigeniam poſt unam atque

que alteram mutationem, fluxámque & fugitivam formam, perveniſſe tandem in formam ſtabilem regionis terreæ aquis ſuperſtructæ, in aliquot ſecula duraturæ : Hanc ego pro primâ tellure, atque primo orbe habitabili habendam eſſe duco ; atque illud rerum Syſtema, tam Sacris Literis, quàm exoticis, conſentire exiſtimo. Neque quidem aliunde à ratione alienum eſt ſupponere, primas ſedes hominum atque Terram virginem, cùm recens eſſet adhuc & intactum opificium Dei & Naturæ, ſors aureæ & innocuæ ætatis, alium à noſtrâ tenorem, atque alium vultum habuiſſe : non cavernis horridum, & voraginibus, & præcipitiis, & duris & infrugiferis cautibus, ut eſt hodiernus orbis ; ſed lineamentis regularibus, formâque integrâ & æquali conſtitiſſe.

At quorſum hæc omnia, inquies : quid hoc ad inſtitutum noſtrum ? Eſto Tellus prima alterius formæ & ſitûs partium ab hodiernâ, tota æqualis & tornata, & ſuperficiei maris aut abyſſi uniformiter circumducta : Quid hoc ad Diluvium ? nè gutta aquæ hîc cernitur ; quid ad montium aut rupium Originem, aut cæterarum inæqualitatum aut cavitatum quæ in tellure hodiernâ conſpiciuntur ? cùm omniâ hîc integra, plena, & complanata ſint. Ita res eſt, ſed monuit Apoſtolus deſtructum fuiſſe antiquum mundum, & ex ipſius ruinis quidni exurgeret noſter, quaſi ſuccedaneus ? Ego quidem facilè conciperem ex diſſolutione & lapſu orbis primi abyſſo ſuperextructi, Terris inductum Diluvium, & diſcoopertum mare : Montes exortos in ſuperficie telluris, & intus factas cavitates : factos itidem ſcopulos, & inſulas, & fragmina terræ à reliquâ mole diducta : atque cætera omnia quæ in facie naturali telluris hodiernæ, aut in ejus conſtructione videmus & miramur.

Cùm verò ex modo hujus diſſolutionis manifeſtiùs conſtiterit, & magis diſtinctè, quâ ratione inde exorta ſit hodiernæ telluris forma, unà cum Diluvio ; neque id explicuerint Authores ſacri : Nobis jam diſpiciendum eſt & examinandum lumine Naturæ, quibus modis & rationibus antiquum illum mundum diſſolutum eſſe, & aquis obrutum periiſſe, maximè veriſimile ſit.

Verum quidem eſt, cauſas in genere hujus qualiſcunque interitûs & diluvii notari tam à *Moſe*, per *diſruptionem Abyſſi* ; quàm ab Apoſtolo *Petro*, cùm Terram & Cœlos veteris mundi

ex

ex *aquâ* & *per aquam conſtitiſſe* ait, δι' ὧν ὁ τότε κόσμος ἀπώλετο, & *propterea* Mundus qui tunc erat, aquis obrutus periit: Nempe propter illam conſtitutionem periit, & periit aquis obrutus. Cúmque huic conſtitutioni veteris mundi, tam quoad Abyſſum *Moſaicam*, quàm quoad deſcriptionem Apoſtolicam, verè reſpondeat illa forma atque illud Syſtema Terræ primæ, quod ab ipſo Chao deductum ante exhibuimus; propoſitum examen proſequemur optimè, ſi reſumpto eodem ſyſtemate & ante oculos poſito, expendamus, an ex naturâ rei periturum eſſet, & quâ ratione periturum: ſi diſſolvendum, & ſi ex illa diſſolutione aquis aliquamdiù obrutum jaceret.

Definire ætatem, aut terminum ætatis hujus orbis, quot Annos aut ſecula durare & conſiſtere potuerit, non eſſe humani ingenii exiſtimo; ſed facilè credemus non duraturum fuiſſe in multa Millennia, ſi compagem ipſam reſpiciamus, & quæ effecta, tam in terram exteriorem quàm in aquas ſuppoſitas, vis & calor ſolis neceſſariò haberent: hanc nempe exſiccando continuis æſtibus, atque illas ciendo & reſolvendo in vapores. Dixi conſultò *continuis* æſtibus: nullæ enim erant tunc temporis tempeſtatum viciſſitudines, ut ſunt hodiè; neque ideo hyberno frigore & imbribus deleri potuerunt, aut imminui, æſtivi ſolis effectus: axis telluris ſitus is erat, vel ſi mavis curſus ſolis, ut eodem ſemper tenore tempeſtatum, dierúmque & noctium, volveretur annus, per totum ipſius curriculum; quemadmodum diſſerimus fuſiùs in ſecundo Libro de *Paradiſo*.

Eo jam animadverſo, Globum telluris primæ conſiderare licet inſtar Æolipylæ, radiis ſolis, veluti jugi igne, æqualiter circumquaque calefactæ: ſecundum Figuram quintam; ubi
Vid. Fig. 5. terra exterior 1. exhibet teſtam Æolipylæ, & Abyſſus. 2. Aquam contentam; cujus maſſæ pars ſuperior, poſt aliquot ſecula ubi vis ſolis eò uſque penetrâſſet, rarefieri cæpit & reſolvi in vapores, majorémque & liberiorem ſui motûs & expanſionis locum exigere: & cum exire non potuerint vapores tantâ copiâ per poros terræ, ut reliquis ſupereſſet ſatis ſpatii ad motus ſuos liberè exercendos, ratione iſtarum anguſtiarum magis magiſque circumfuſi orbis parietes premebant.

Ex alterâ parte etiam notandum eſt, hanc terram exteriorem Solis ardoribus continuò expoſitam, progreſſu temporis

&

& seculorum, magis exuccam aridámque factam esse; & deglutinatis partibus præ nimiâ siccitate, & se contrahentibus, in plurimis locis hiasse & secessisse: cúmque succedente hyeme, quæ tum nulla erat, redimpleri & redintegrari non potuit, ut jam solet nostra, currentibus annis dehiscebant magis magísque relaxatæ partes; unde tandem factum est, ut, ex unâ parte, compage telluris hoc modo labefactatâ: ex alterâ, vaporibus auctis infra terram, & majori vi & vehementiâ se dilatantibus, Tellus, decreto tempore & conspirantibus causis, per quandam speciem Terræ-motûs rupta dissiluerit; molibus illis sive fragmentis in quæ distracta erat, in subjectam Abyssum vario modo & situ delabentibus.

Nec uberiori explicatione indigere mihi videtur telluris primæ dissolutio, cùm eodem ferè modo se haberet ac fieri solet in multis aliis terræ-motibus; ubi vaporibus collectis & inclusis in cavitatibus terræ, dum rarefiunt & extenduntur, exitum quærentes, proruunt cum impetu in superjacentem terram: quæ concussa primùm & mox diffracta, exeuntibus vaporibus, delabitur & subsidit in voraginem suppositam, sive siccam sive aquis plenam. Ita urbes & regiones absorptas sæpe legimus, & pro modo quo ruebant, vel penitùs erant submersæ, vel parte aliquâ prominebant aquis.

Ac inter innumera exempla absorptarum urbium & regionum, suppositáque voragine demersarum, præ cæteris duo memorabilia mihi videntur: & quod antiquissima sint, & quòd maximè cognata argumento nostro. Primum est *Sodomæ* & *Gomorrhæ*, cujus meminit Historia Sacra: atque alterum est Insulæ sive Continentis *Atlantidis*, cujus ex Monumentis *Ægyptiorum* meminit *Plato* in *Timæo*. Subversione *Sodomæ & Gomorrhæ* uti videtur Scriptura Sacra tanquam Typo utriusque excidii mundani, tam aquei, quàm Ignei: & utriusque quidem imaginem præ se fert; ignei in quantum pluvia ignea & sulphurea in eas descendit; & Aquei, in quantum, Terrâ diruptâ, in suppositum Lacum, vel mare mortuum, prolapsæ sunt & aquis obrutæ. Ita etiam terræmotu, & secutâ inundatione, periisse, ait *Plato*, Insulam illam antiquam sive Continentem *Atlantidem*, *Libyâ* & *Asiâ* majorem; Quam Narrationem, (siquid ei subsit veri,) tam propter regionis submersæ magnitudinem & modum pereundi, quàm propter rei ipsius antiquitatem, ultra omnem me-

memoriam, ut innuit, & monumenta Græcorum, facilè ſuſpicarer eſſe exeſam quandam famam Diluvii univerſalis & diſſolutæ ſubmerſæque primæ Terræ. Utcunque, ad eundem modum quo urbem aliquam, regionem, aut continentem, ruptâ terrâ, ſubverſam, & ſubterraneis aquis penitus aut ex parte demerſam concipimus; concipe e licet totum terrarum Orbem univerſali quodam terræ-motu diſruptum, & in Abyſſum prolapſum, Diluvium univerſale ſubiiſſe.

Notandum verò, quamvis mundi Veteris diſſolutionem & rationes Diluvii ſecundum ordinem cauſarum naturalium explicemus, quòd eo modo magis clarè & diſtinctè intelligantur; non ideò in pœnam humani generis ordinatum fuiſſe diluvium, ſingulíſq; ipſius motibus præfuiſſe providentiam, inficiamur: imò in eo elucet maxime ſapientia divina, quòd mundum naturalem morali ita coaptet & attemperet ut hujus ingenio, illius ordo & diſpoſitio ſemper reſpondeat: & amborum libratis momentis, ſimul concurrant & unà compleantur utriuſque tempora & viciſſitudines. Ipſe etiam Apoſtolus *Petrus* diluvii & excidii mundani cauſas naturales aſſignat, cùm ait δι' ὧν ὁ τότε κόσμος ἀπώλετο, *quapropter mundus ille periit*; nempe ob illam conſtitutionem naturalem cœli & terræ ante-diluvianæ, quam anteà notarat. Denique notandum, non omnes cauſas Diluvii à nobis hîc recenſeri; cùm id inſuper accedat ex Sacrâ Hiſtoriâ, dum hæc ità agerentur aut inſtarent, ingentem pluviam cecidiſſe in terras: adeò ut, ruptâ compage, mundus inundatus periit, tam prorumpente ex utero Abyſſi immenſâ vi aquarum, quàm profuſis & diuturnis imbribus à Cœlo dimiſſis.

Propoſitâ hoc modo hypotheſi noſtrâ de interitu & diſſolutione Veteris mundi, eáque generatim adaptatâ ad Diluvii univerſalis explicationem; ſupereſt tantùm ut preſſiori applicatione cauſas genuinas & idoneas tanti & tam celebrati diluvii (quas fruſtra hactenus quæſivit omnis antiquitas) in eadem reperire oſtendamus. Ac denique, ut eadem hypotheſis de primæ Terræ diſſolutione omnimodè confirmetur, præter explicationem diluvii, ex eâdem deducemus, capitibus quæ ſequuntur, rationem perſpicuam & evidentem, quâ globus telluris in hodiernam formam, aquâ & terrâ bipartitam, montibus aſperam, antris & receſſibus excavatam, cæteriſque modis irregularem, perductus fuerit.

Aqua-

Aquarum Abyssi sive *Tehom-rabbah* irruptione in terras, ortum esse Diluvium consentiunt omnes; irruptio autem illa facta est per diffissionem terræ: *diffissi* sunt fontes abyssi, נבקעו inquit textus sacer, sive disrupti: nempe impetu quodam violento; utì vaporum vi in terræ-motu rupto solo & procidente, quandoque scaturiunt & eructantur Aquæ: unde multæ eluviones particulares in Græciâ & alibi contigerunt. Per Abyssum autem sive *Tehom-rabbah Mosaicum* non intelligendum esse nostrum mare, itidem omnes ferè consentiunt. Quid enim hoc rei est, *findere* fontes maris? quæ sententia, quod propositum? Prætereà mare nostrum nullo modo inundare potest terram, nisi prolapsam & situ mutatam, quoniam eundem cum eâ globum constituit; & licet abrasi essent omnes montes & elevationes terræ, Planities maneret ad minimum æque-alta & continuatæ convexitatis cum superficie maris, ut jam omnibus notissimum est: atque exolevit penitùs illa interpretatio quorundam φιλοσόφων qui aquas maris multò eminentiores terrâ, & quasi in cumulum collectas, versus medium intumescere crediderunt; unde relaxato & detumescente Oceano tempore diluvii, & versus litora refluente, ex redundantiâ, ut aiunt, inundatæ erant terræ. At hæc nimiæ ignorantiæ sunt, & hujusmodi errores crassi interpretum, ansam dederunt male feriatis hominibus atque levis ingenii, eloquia sacra fastidiendi aut excipiendi ludibrio. Quis adeò nescit Naturam Fluidi ut tumores in eo admittat? Quis non novit litora altiora esse mari, quod inclinando contingunt, tam in continentibus quàm insulis: litoribus altiora esse Mediterranea: campis mediterraneis montes? Nullâ itaque relaxatione aut redundantiâ terras submergere potuit mare; neque illud intelligendum est voce Abyssi sive *Tehom-rabbah*, sed alia aliqua aquarum vorago, neque quidem minor Oceano: Quam tamen fuisse subterraneam & opertam ex eo constat, quòd ipsius fontes *fissos* aut *disruptos* esse dicat *Moses*.

Dic igitur, bonâ fide, quid aliud esse potuerit hoc *Tehom-rabbah*, quàm Abyssus nostra subterranea? Antiquorum *Barathrum* & *Tartarus*, profusissima & inexhausta aquarum vorago: quæ unica mihi videtur in rerum naturâ causa sufficiens Diluvii; atque eò demùm recurrendum esse, cùm cætera omnia, cœlum & terras, frustrà tentaverimus. Licèt *Fig.* 5.

autem in hoc receptaculo universali satis supérq; esset aquarum ad obruendas terras, si eò deductæ fuissent ; eò tamen deduci nullo modo potuerunt stante fabricâ veteris mundi & exterioris terræ compagine. Nec satis esset levior aliqua fractio aut apertura ad illas educendas ; non enim prorumperent ut sanguis sectâ venâ ; nempe si fingeremus, ex nescio quibus causis, perforatam aut perfossam in pluribus locis exteriorem terram, nec aliud intelligendum esse per disruptionem fontium ; non ideò, inquam, scaturirent aquæ Abyssi : Quid enim eas ad ascendendum impelleret ? At si ipsam compagem disruptam, eo modo quo suprà explicuimus, dissiliisse ponamus, atque moles illas & ingentia fragmenta in quæ divulsa erat, in abyssum prolapsa, aquis expulsis loca ipsarum occupâsse, manifestum est, inundationem universalem per totum terrarum orbem inde secuturam ; magnâ parte terræ penitùs & æternùm submersâ : atque reliquâ etiam, durante æstu aquarum. Quanquam enim hujus ruinæ multæ partes ita disponerentur, ut superficie Abyssi altiores essent ; tamen in hoc furore fluctuum & impetuosissimâ jactatione, undæ quandoque etiam ad illam altitudinem assurgerent, ipsásque nubes verberarent.

Neque mirum est per aliquot menses durasse hunc aquarum tumultum & intumescentiam : præterquam enim quòd vehementissima erat agitatio Abyssi, ex impetu ruentium molium ; sæpe inter cadendum ità dispositæ erant ex iis nonnullæ, ut ingentes recessus & cavitates formarent, in quibus magna aëris copia includebatur ; nec, circumfluentibus undis, subitò exire potuit : Ubi primùm verò in hæc spatia, aëre paulatim exeunte, aqua intrâsset, atque fragmenta ad situm stabilem perveniissent, Abyssus detumescere incepit magis magísque, & eminentiores terræ partes primò detectæ sunt : dein post multas reciprocationes, fluentes & refluentes, alii in alios & in oppositas terras, fluctus tandem librati & compositi requieverunt ; atque Tellus suam novam formam induit, mari & terrâ bipartitam : Abyssusque, quæ per multa secula usque ab orbe condito sub terrâ latuisset, magnam partem discooperta est ; portione ipsius maximâ mare nostrum constituente, alterâ in cavitatibus & receptibus subterraneis reconditâ. Atque ità, nisi mea me fallat ratiocinatio, inundatus periit Antiquus mundus : succesitque noster, talis qualem

lem videmus hodiè ; ut ſequente ſectione diſtinctiùs explicabitur. Interea tertiam noſtram Propoſitionem hîc adjicimus, nempe, *Ex diſſolutione Veteris mundi, & lapſu exterioris terræ in Abyſſum, ortum eſſe Diluvium univerſale :* quantum ſpectat ad cauſas infernas.

CAP. VII.

Diſſolutio Terræ primæ probatur à poſteriori ; nempe ex illâ hypotheſi Hodiernæ telluris forma & phænomena aptiſſimè explicantur ; agitur in ſpecie de cavitatibus ſubterraneis.

ITà demum provecti ſumus ad ſummam operis : & ſententiam noſtram tribus Propoſitionibus expoſuimus, quarum ultima inſtituti noſtri apex eſt ; probatur autem tam præcedentibus, quàm iis quæ deinceps ſecutura ſunt. Contendimus nullam Diluvii univerſalis explicationem legitimam hucuſque datam eſſe, neque aliam à noſtrâ, quantum conſtat hactenùs, dari poſſe : in eâ autem exhiberi cauſas idoneas & ſufficientes tantæ inundationis & tantæ cladis. Præterea Telluris primæ ſtructuram & formam à primo Chao deductam, ſuffragante Sacrâ Scripturâ, talem eſſe oſtendimus, ut diluvio aquarum periclitaretur. Hæc hactenùs de Diluvio ; in ſequentibus ponemus ante oculos hodiernam tellurem ipſiuſque Phænomena : & ex eorum contemplatione, præſentia præteritis conferendo, nos rectè iniiſſe rationes de ſtatu & interitu primæ telluris, de novo arguemus. Quod ut diſtinctiùs fiat & ſine verborum ambage, dicendorum & probandorum ſummam in unum colligemus ſub hâc Propoſitione, *Hodiernæ telluris forma & Phænomena, Theoriæ noſtræ de diſſolutione Veteris mundi, inductoq; diluvio eo modo quo deſcripſimus, exactè reſpondent, neque aliter explicari poſſunt.* Quantum nobis innoteſcit.

Tellus noſtra hodierna, ſi totam ſimul complectamur, non eſt ordinata & venuſta rerum compages, qualem fortè mente pingimus, & qualis exhibenda eſſet, ſi laudes & gratiam rebus naturalibus, Oratoris inſtar, afferre ſtuderemus: ſi verò rem nudè contemplemur & exponamus, ut ſolent Philoſophi, eſt moles aggeſta vario incertóque ſitu partium, nullâ ordinis aut venuſtatis habitâ ratione. Et quale nobis apparet corpus Lunæ, ſpecillis conſpectum, & chartis Selenographicis quale pingi ſolet, rude, aſperum, & lacinioſum; talis viciſſim appareret è Lunâ conſpecta Tellus: utrumque quidem ruinæ imaginem præ ſe ferre, & diſſolutæ compagis reliquias & rudera exhibere mihi videntur.

Vid. Schema magnum telluris fractæ in fine cap. 9.

Diſtribuitur Tellus in mare & terram firmam: in mari jacent diſperſæ hinc illinc innumeræ inſulæ, quaſi artus abſciſſi à corpore: procumbunt ingentia ſaxa & ſcopuli: incurrunt promontoria, & exeunt ſinus; atque hæc omnia incertè & nullo ſervato ordine. Terræ firmæ non exiguam partem occupant montes cum ſuis vallibus: campi & planities alteram: reliquam lacus, paludes, ſylvæ, ſaltus, deſerta, cætera, vagâ aut nullâ diſpoſitione. Interiora terræ ſunt inania magnâ ex parte & cavernoſa, præcipuè verſus montes & mare, ubi ſpeluncæ, antra, receſſus, cæca foramina, & cavitates omne genûs: atque hæc itidem confusè & ſine ordine.

Hæc omnia ità ſe habitura facilè quis dixerit ex diſſolutione Telluris ante-diluvianæ & lapſu in Abyſſum, eo modo quo rem ſupra deſcripſimus. Primò enim, facies telluris eo ipſo eſſet bipartita in mare & terram: portiones hujus ruinæ quæ extabant aquis, Aridam ſive terram firmam conſtituerent; & ubi penitus ſubmerſæ jacebant in Abyſſo, ibi mare noſtrum eſſet. In quo nil miri ſi quandoque ſcopuli, quandoque inſulæ occurrant: nam eâdem ratione quâ majora fragmenta relevata & per longos tractus continuata, conſtituunt Continentes, quæ nihil aliud ſunt quàm majores Inſulæ; minora fragmenta ità itidem diſpoſita ut ſummitatibus emineant Abyſſo, dum depreſſa latera radices circumfluunt aquæ, & à continente ſeparant, conſtituunt Inſulas ſive minores Continentes. Scopuli autem appellantur hæc fragmenta, cùm mole non ità magna, ſaxea ſint, & nuda & infrugifera; ſive extra aquas emineant, ſive non.

In

In terrâ firmâ ſive Continentibus, pro vario ſitu & magnitudine fragmentorum, fiunt montes, valles, aut planities: nam utì fragmenta leniter inclinata campos & planities conſtituunt, ità immodicè depreſſa, valles: & in auras elevata quocunque modo, ſive incumbendo alia aliis, ſive occurrendo, montes & juga montium; quorum omnes differentiæ ex variâ diſpoſitione & mole fragmentorum facilè explicantur.

Denique quod ſpectat ad rimas, ſpecus & cavitates terræ, quòd cavernoſa ſit multis in locis & irrepleta, ex dictis illud planè ſequitur, & in omni ruinâ plus minus contingere ſolet. Nec enim fieri poteſt ut ruentia fragmenta, quæ alia aliis incumbunt & impediunt, adeò aptè committantur ubique & cohæreant, ut non multa intercipiantur ſpacia inania, & multi hiatus in ſuperficie pateant: unde factæ ſunt fiſſuræ & cavitates omnium generum & omnium formarum, & in cute & in corpore terræ. Nec ſupereſt quicquam, quod ſciam, in formâ telluris noſtræ, ſive internâ ſive externâ, quod non liquidè explicari poſſit ex præmiſsâ hypotheſi: Cui adeò appoſitè & lubenter reſpondet hodiernæ naturæ facies, atque adeò facili & genuinâ interpretatione, ut res ipſa loqui videatur; & Natura perſpecta tantùm, non examinata, cauſas dicit ſui, ſive ordinis, ſive confuſionis.

Memini clariſſimum ſui ſeculi Philoſophum, *Renatum Carteſium*, ſimili uſum eſſe hypotheſi ad explicandam faciem & phænomena hodiernæ telluris, quanquam nihil unquam ſomniârit de diluvio, nec etiam pro orbe habitabili fornicem ſuum terræ circumductum habuerit. Cùm verò liquidorum maſſam non diſtinxerit in partem pinguem & tenuem; & eundem anni ordinem & tempeſtatum viciſſitudinem, quibus hodiè utimur, etiam tunc temporis obtinuiſſe ſuppoſuerit: orbis illius molitionem, ut mihi videtur, vel fruſtra aggreſſus eſt, vel ſaltem minùs fœliciter executus.

Hactenùs in genere de conſenſu & conſonantiâ Theoriæ noſtræ de diſſolutione primæ telluris, cum partibus & conſtructione telluris hodiernæ; neque forſan apud ingenuos opus eſſet pluribus argumentis aut longiori tractatu ad eandem theoriam demonſtrandam, & ad diluvium univerſale completè & integrè explicandum, quod nobis in hoc ſcripto unicè propoſitum erat. Cùm verò quorundam ingenia ab omni

omni novitate ita abhorreant, ut nunquam se flecti patiantur ad amplectendam veritatem antea inauditam, nisi tantî argumentorum mole oppressa sint, quantam neque sustinere possint neque excutere, Operæ pretium duxi in eorum gratiam quædam ulteriùs adjicere, & præter faciem telluris generalem, quam jam explicuimus, quædam ipsius illustriora Phænomena seorsim tractare, & cum suis causis ac hypothesi nostrâ diligentiùs conferre. Horum autem tria selegimus, *Oceanum cum suis partibus*; *Montes & juga montium*; *& Cavitates subterraneas.* Hæc mihi videntur antiquæ ruinæ & dissolutionis manifesta vestigia, si originem singulorum respiciamus. Et cùm paucioribus expediri possit illud ultimum de Cavitatibus terræ, inde exordiemur, cæteris ad sua capita dimissis.

Mare & Montes omnium oculis patent, atque admiratione ab omnibus excipiuntur: sed terræ recessus & cavernæ cùm intùs plerumque lateant reconditi atque oculis subducti, eorum contemplationi pauci animum adjecerunt. Has cavitates ventorum receptacula finxerunt Antiqui, quibus cohibendis aut relaxandis præfecerunt *Æolum*; alii alios fines excogitârunt, neque majoris momenti: sed quacunque demum ratione aut quocunque consilio factum sit, rem ita se habere, corpúsque terræ esse cavernosum & incompactum, innumeris modis patet.

Istarum cavernarum non-nullæ pertingunt orificiis ad superficiem terræ, unde tot specus, antra, cuniculi, hiatus, voragines, spiracula, *&c.* quæ in regionibus montosis passim reperiuntur. Sunt etiam recessus intercluſi & in terræ visceribus toti reconditi, sine aditu aut exitu, ut metallariis notum est. Aliquando reperiuntur flumina subterranea, quorum non-nulla nunquam emergunt nec auras aspiciunt, sed labuntur tacito cursu perpetuò sub terrâ, donec magnâ aliquâ voragine aut stagno subterraneo absorbeantur, ut in fodinis videre est; alia erumpunt pleno rivo cùm sub terris longiùs prorepserint. Præterea ex fluminibus nostris quædam in medio itinere sub terram se condunt, atque alio loco rursus egrediuntur tanquam novi fluvii, ut *Lycus* & *Erasinus Ovidii*, *Sic ubi terreno Lycus est epotus hiatu, &c.* ita *Niger* in *Africâ*, *Tigris*, *Alpheus*, *Guadiana*, *Rhodanus*, & alii. Etiam ex origine fontium plurimorum, sive aquarum communium

lib. 15 Ovidii metamorph.

sive

sive salsarum, reciprocantium aut mineralium, patet terram interiùs perviam esse aquis ubique ferè, & alveatam. Denique lacus salsi & maria, quæ per ductus subterraneos cum Oceano aut aliquâ ipsius parte communicant, utì mare Caspium, mare Mortuum & hujusmodi; & lacus qui recipiunt magnos fluvios & nullos emittunt, nec tamen redundant, Terram intus hiulcam & voraginosam esse demonstrant. Etiam ipsum mare aliquibus in locis subingredi terras magnâ vi & copiâ, ex syrtibus & vorticibus qui attrahunt vicina omnia & deglutiunt, conjicere licet. Arguitur etiam manifestiùs ex eo quòd non redundet mare influxu tot & tantorum fluviorum, quorum unus plus aquæ in Oceanum projicit unius anni spacio quàm sit ipsa massa totius Oceani, imò si *Aristoteli* credamus, totius terræ. Nec credibile est insensili percolatione per terræ poros & meatus totum illud effluere posse eâdem celeritate quâ infunditur, sed per patulos ductus & rictus submarinos in profunda Barathra subterranea provolvitur. Quale est illud Barathrum Platonicum quod maximè decantatur, *εἰς τοῦτο τὸ χάσμα συῤῥέουσί τε πάντες οἱ ποταμοὶ, καὶ ἐκ τούτου πάλιν πάντες ἐκῥέουσι*, inquit *Plato* in *Phædon.* Ac utì sunt quædam hujusmodi ingentia conceptacula aquarum in profundo terræ, quasi maria majora: ità sunt etiam freta & lacus & flumina & rivi, & earum omnium aquarum, sive residum sive fluentium, quas in terræ superficie habemus, quædam imagines. Cúmq; ubicunque foditur ad insignem profunditatem, reperiantur Aquæ, rationi consentaneum est, effectûs adeò universalis causam ponere universalem: & statuere, Exterioris regionis terræ partes inferiores aquis immersas stare: Inter quas partes ideò siqua sit cavitas aut locus vacuus, aquâ affatim repletur, atque cætera etiam solida terra in quantum aquæ permeabilis est, eâdem humectatur. Qualis interioris situs terræ, omniumque phænomenôn quæ aquas subterraneas spectant, earumque loca & ductus, causa facilè redditur ex nostrâ hypothesi.

p. 4. l. 236

Meteor. l. 1. c. 13.

Nempe supponimus, ut anteà pluribus expositum est, Exteriori terræ olim subjacuisse integram Aquarum regionem sive Abyssum, quæ jam variis in locis ex prolapsis terræ fragmentis interrumpitur: ut utì maxima ipsius portio in Oceano & lacubus marinis discooperta jacet, ita æquum est credere multas itidem ipsius portiones minores coopertas jacere inter ruinas

Vid. Fig. 5.

ruinas terræ, fragmentis cavernosè conſtructis, veluti ciſternis, interceptas. Atque iſtorum conceptaculorum Aquæ, unæ cum aliis ut plurimùm, & cum mari communicant: idque vel per apertos alveos quibus rivi & flumina deduci poſſunt, vel per cæcos meatus & percolationes; ubi tamen ſi fodiendo aperiatur terra, Aqua prodit: Eodem ferè modo quo in corpore noſtro prout venam pungis vel intermediam carnem, ſanguis emicat, vel ſenſim exudat.

Atque ita facilè & dilucidè explicari poſſunt Aquarum ſubterranearum ſtatus & ratio: ſive earundem cauſas & originem reſpiciamus, ſive cavitates quibus continentur. Atque haſce interiores & humentes terræ cameras, ſub ſpecie quâdam mundi ſubterranei, Nymphis habitandas dederunt Antiqui, ita canente *Orpheo*, hymno in Nymphas,

Νύμφαι θυγατέρες μεγαλήτορες Ὠκεανοῖο
Ὑγροπόροις γαίης ὑπὸ κεύθεσιν οἰκί' ἔχουσαι.

Georg. 4. Atque ad exemplum *Orphei Virgilius* ita latiùs deſcripſit has regiones mortalibus inacceſſas, dum fingit *Cyrenem* eò arceſſere filium *Ariſtæum*.

Duc age, duc ad nos; fas illi Limina Divûm
Tangere, ait: ſimul alta jubet diſcedere latè
Flumina, quà juvenis greſſus inferret; at illum
Curvata in montis faciem circumſtetit unda,
Accepitque ſinu vaſto, miſitque ſub amnem.
Famque domum mirans Genitricis, & humida regna,
Speluncique lacus clauſos, lucoſque ſonantes,
Ibat, & ingenti motu ſtupefactus aquarum
Omnia ſub magnâ labentia flumina terrâ
Spectabat diverſa locis; Phaſinque, Lycumq;, &c.
Et thalami Matris pendentia pumice tecta.

Atque hæc de cavitatibus Aqueis: quæ nullâ aliâ, quod ſciam, hypotheſi adeò commodè explicantur.

Sunt etiam & cavitates ſiccæ in viſceribus terræ, quæ halitibus & exhalationibus implentur: ut facilè argui poteſt ex terræ motibus, & ex ſpiraculis montium qui vomunt flammas & materiam ignitam. Et quemadmodum requiritur magna

magna exhalationum copia ad concutiendam tantam terræ molem, quantam in quibusdam terræ-motibus commoveri novimus, usque ad integras provincias aut regna ; & ad ejiciendum ingentia illa saxa & rupium fragmina, quæ ab *Ætnâ*, *Vesuvio*, aliisque montibus ignivomis emitti solent, & jactari in regiones longinquas; præterea protrudere & impellere torrentis instar, vim magnam materiæ metallicæ, aliûsque gravissimæ & solidissimæ : uti inquam hujusmodi motus excitari non possunt sine magnâ copiâ exhalationum ; ita cavernas quibus continentur, amplas esse & in longum protensas oportet. Quod funestis exemplis aliunde etiam edocti sumus, cùm terra disrupta vi hujusmodi motuum absorpsit populos, agros, civitates ; ita etiam subsidunt quandoque montes & colles in suppositos hiatus. Exempla harum rerum notissima sunt apud Authores : memorat *Plinius*, *Tiberii Cæsaris* principatu, duodecim urbes *Asiæ* unâ nocte prostratas; plures in regno *Neapolitano* nuperis temporibus subversæ sunt : meminit *Fournerius* terræ-motûs nuper in *Peruviâ*, qui urbes, montes, flumina, omnia, susque deque, horæ octante pervertit ; & tractu quidem leucarum trecentarum secundùm littus, septuaginta in Continentem.

Integræ quoque Insulæ terræ-motibus subversæ, evanuerunt ; nempe ruptis fornicibus, & columnis quibus moles insularum incumbebat, in subjectas cavernas & abyssum proruerunt. Novæ etiam insulæ quæ divulsione à Continenti fiunt, absorbitioni terrarum intermediarum plerumque adscribendæ sunt. Cùm enim generantur Insulæ ex terris in mare prominentibus, verisimile est inundari & submergi Isthmum, non intumescentiâ maris vel fluctuum impetu & perruptione, sed lapsu & procidentiâ terræ; nam si stante terrâ mare tantum irrumperet & supergrederetur, freta illa essent omnino vadosa, & ferè innavigabilia, quod rarò compertum est. Novi etiam lacus, sive salsæ sive dulcis aquæ, ab hujusmodi terræ-motibus & absorptionibus quandoque oriuntur : & olim forsan quidam sinus maris. Quales mutationes magnas terrarum aut maris, ut hoc obiter notem, & Eluviones aquarum, sæpiùs accidisse credo primis & antiquissimis seculis, quàm prope tempora nostra : Cùm enim Tellus erat recens dissoluta, fragmenta in Abyssum dilapsa, nondum adaptata & composita in situ firmo & immobili, alia

aliis innitebantur incertis sæpe fulcris & commissuris: quibus deficientibus ex quâcunque causâ, nova inde ruina exorta est, & terrarum subsidentia & absorptio: Et pro ratione situs interni & externi istarum molium & tractuum terræ, vel facta est nova insula, submerso Isthmo; vel absorpta, quæ erat antea: vel Continentis urbs aliqua aut regio: sæpe ruinam comitante aliquâ aquarum Eluvione. Et quidem in mundo recenti hujusmodi mutationes non rarò accidisse conjicerem: postea verò, cùm progressu temporis se composuissent in firmiorem situm terræ fragmenta, latiori contactu & superficie ubiq; commissa, nisi internâ violentiâ multum succussa & impulsa, rarò ruebant. Id ipsum videmus in ruinis ædificiorum aut aliis quibuscunque, ubi solent oriri subinde ruinæ secundariæ & minores, partium non benè sultarum, donec rudera in stabili situ disposita planè conquiescant.

Sed nimiùm me abripuit hujusce materiæ copia: infinitus essem, si ea omnia persequerer quæ corpus terræ intus lacerum, confractum & irrepletum esse testantur. In continente & terrâ firmâ, ut appellant, nihil ferè firmum aut continens; ubique vacua spatia, aut interspersa aut coacervata: ubique cavernæ, submarinæ, submontanæ, subcampestres etiam; ubi pedibus equorum aut curruum rotis pulsata tellus resonat; ubique partes luxatæ aut divulsæ: Adeò ut si interiora terræ oculis penetrare & perspicere potuissemus, à polo ad polum, vel à pedibus nostris ad Antipodes usque, molem miserè subesam, hiulcam & cavernosam cum horrore cerneremus.

Ecquis autem (ut proposito nostro ista accommodemus) hæc à Deo ità facta in primâ terræ molitione, & ab origine rerum extitisse, credat? quo consilio, cui bono? quam insignem utilitatem aut ornatum ab hâc rudi & inconcinnâ constructione arcessere possumus Naturæ? Nemo dixerit terram pulchriorem esse quòd cavernosa sit, quòd dehiscat in multis locis, quòd disrupta caveis & spaciis inanibus; iisque nullo ordine dispositis, nullâ formâ: nec quæ aliud contineant quàm tenebras & sordes; unde graves & pestiferæ exhalationes, terræ-motus & clades publicæ. Præterea quâ ratione & ex quibus causis pertusa & excavata est Tellus in initio rerum? Si ab initio cavernosa erat, quomodo factæ fu-

ere

ere cavernæ illæ & cavitates in primâ terræ formatione? Si rem ab origine repetamus & à primo Chao, cùm partes crassiores subsidebant infra aquas, corpúsque terræ constituebant, massa illa subaquanea integra & continua esse deberet, & ex omni parte solida & compacta; compressis nempe partibus suâ gravitate & emergentis aquæ nixu. Nec fingere possumus inter ipsas restitisse ullam cavernam, quamvis exiguam: cùm enim repleri deberet aquâ aut aëre, quorum uterque terrâ leviores sunt, particulis terrestribus descendentibus, & huc illuc motis in liquido, illa aqua aut aër locum cedere necesse haberet; & earundem particularum æquali ad omnem partem confluxu & distributione, corpus terræ in massam solidam & indivisam coalesceret; nullis interceptis spaciis inanibus, nullis cuniculis aut voraginibus.

Atque, ob eandem hanc rationem, à vaporibus inclusis deduci non potest prima terræ excavatio: quoniam, ut jam vidimus, ex modo quo primùm genita fuit terra, nulla vaporum copia in ipsius visceribus includi potuit. Et si fortè delituerunt nonnulli hinc illinc, intra ipsius poros & meatulos dispersi, saltem non haberent vim præstandi hæc effecta, nempe divellendi & elevandi ingentes moles terræ, findendique durissima saxa, & solidissima latera montium: sæpiùs enim in confiniis vel in ipsis visceribus montium, quàm alibi, capacissimæ cavernæ reperiuntur.

Atque hæc hactenùs dicta sint ad exhibendum ideam generalem interiorum partium globi terreni, quatenus continuæ sunt vel interruptæ, atque moles ipsius integra, vel fracta & cavernosa. His paucis etiam ostendisse sufficiat illius cavernositatis & multifariàm confractæ molis, aliunde quidem inexplicabilis, rationem commodissimam reddi posse, ex hypothesi nostrâ de dissolutione Veteris mundi; quæ Hypothesis sive vera sit sive non, saltem fatendum est, ita se habere hæc omnia, ac si vera esset.

Sequitur Maris & Montium consideratio.

CAP. VIII.

De Oceano: & Voraginis marinæ formâ, conditionibus, & cauſis: ac de Inſularum Origine.

HACTENUS interiora terræ contemplati ſumus: in facie telluris exterioris nullum Phænomenon magis conſpicuum eſt, nullum magnificentius, quàm Oceanus & Montes, quorum jam aggredimur Theoriam; in quantum ex ſignis quibuſdam & notis inſitis eorum Origo & generatio inveſtigari poteſt.

Ad aquas maris quod ſpectat, Telluri ipſi coævas eſſe nemo dubitat; nos Antiquæ Abyſſi portionem eſſe exiſtimamus; nec ideò miramur nomina *Tartari*, *Barathri*, & ipſius *Abyſſi*, Oceano etiam ab antiquis Authoribus applicari. Non autem hîc quæritur Aquarum maris origo, nec id multùm diſceptari ſolet, ſed Vaſis marini, ſive Cavitatis & voraginis illius immanis quâ aquæ Oceani continentur: Hanc quoties animo nudam quaſi & exhauſtis aquis exinanitam contemplor, rei vaſtitate obſtupeſco: Quæ manus formârunt, & quo inſano molimine, tam horrendæ capacitatis foſſam? cui ſæpe aggeſti ſunt ex utrâq; parte montes & rupes, velut ad conſtruendum vallum.

Sed Alvei marini, atque montium adjacentium, uti ſatis mirari non poſſumus amplitudinem & vaſtitatem, cùm nihil ſimile, nihil ſecundum, Orbis noſter habeat: ità conſtructionis elegantiam vel ordinationem partium minimè mirari poſſumus; cùm nulla diſpoſitio regularis, ut in foſſis & aggeribus manufactis; nihil artis aut ordinis, in his aut illis, appareat. Nec cauſarum ratione utentium opera referunt, ſed naturalium; nec quidem naturæ novæ & orientis, quæ ordinatior eſſe ſolet, ſed ruentis & collapſæ. Dimiſsâ autem ad ſuum caput montium conſideratione, Maris, hoc eſt, Vaſis marini, Originem hîc inveſtigemus.

Nec alia, ut mihi videtur, excogitari poteſt aut fingi hujus ingentiſſimæ voraginis & cavitatis origo, quàm communis illa cæterarum terræ cavitatum & voraginum, quam ſuprà

prà exhibuimus: Nempe quòd sint antiquæ Abyssi portiones & spatia fragmentis terræ non impleta: ideóque aquâ aut aëre, pro ratione sitûs inferioris aut superioris, implenda. Quòd autem cæteræ subterraneæ sint plerumque & coopertæ, alveus autem maris sit vorago aperta & latissimo rictu hians; illud non impedit quò minùs ab eâdem causâ originem trahat: pendet enim tantùm à fragmentorum situ, quem infrà explicabimus, ut cavitas aliqua sit aperta vel occlusa. Et cùm admodum profundus sit hic Alveus, non potuit non aquâ impleri: nullæ enim sunt cavitates profundæ quæ aquâ non replentur. Denique, quòd cæteris omnibus multò major sit, & ingenti tractu circa totum terræ globum extendatur; neque illud quicquam impedit: Nam magnitudinem quod spectat, secundùm nostram hypothesin datur capacitas quasi infinitæ voraginis, ex magnâ nempe Abyssо disruptâ. Et quòd Oceanus continuus sit circa terram, illud quasi fortuitum est, nec prorsus requiritur ad constituendum mare. Si enim quatuor maria magna, *Atlanticum, Pacificum, Hyperboreum* & *Australe*, interpositis Isthmis separata essent, non ideò desinerent esse maria; ut mare *Caspium* licèt sejunctum externè à corpore Oceani, verè mare est: perinde ac Insulæ sunt veræ terræ. Nec improbabile est quosdam Isthmos perruptos & dilapsos, & freta facta, progressu temporis: Nec ab initio rerum, alveum Oceani adeò integrum & continuum atque unicum fuisse. Sed nobis perinde est: sive enim ab initio Oceanus continuo tractu universam tellurem, ut nunc seculorum, ambiebat, sive per interpositas olim terras, hìc illîc, interruptus erat, ut continentes terrarum per interpositas aquas; illud ex modo ruinæ Diluvianæ pendebat, & à situ & continuatione istarum fissurarum quibus crepuit antiqua terra, cùm dissoluta in Abyssum ruebat. Nihil obstat igitur quò minùs concludamus, Oceanum esse *hiatum magnæ Abyssi ad fundum usque patefactæ*: fragmentis terræ ita elevatis ex parte Continentis, & ex alterâ depressis, ut medio pertingere non potuerint, unde profundissima vorago extitit; ut in * Figuris appositis, *aaa*.

Vid. p. seq.

Loquor


3
2
1
b b
d d d
b b
c c c
a a a
2
3
2
1
e e e e e
b
b
b
a a

Loquor autem de magno Oceano, ipsiusque medio & profundo stagno, quod inexploratæ altitudinis esse solet; hoc ego *Abyssum maris* appello, ubicunque occurrit; occurrit autem quandoque extra magnum Oceanum, in sinibus, fretis, inter Insulas & prope litora: Nempe cùm fragmentum erigitur in præruptum & præcipitem situm, & quasi ad perpendiculum, ut *b b b*, sive ex alterâ tantùm parte alvei id contingat, sive ex utrâque; ità enim intra parvum spatium nudari potest ipse fundus Abyssi, & prope litora scopulosa profundissimas voragines reperire liceret; id quod accidit quandoque in mari *Baltico*, inter Insulas *Americanas* & Continentem, ac alibi: Etiam è contra in magno Oceano quandoque loca minùs profunda occurrere possunt, ubi molem terræ penitus submergi contigerit, ut *c c c*; vel etiam Insula extare poterit, duobus, pluribúsve fragmentis, aut magnorum fragmentorum frustis ità coëuntibus, ut summis verticibus extent aquis, ut *d d d*: Sed hæc rariùs contingerent. Communiter enim in magno medióq; Oceano nullæ essent Insulæ, atque aqua deberet esse profundissima: ut è contra in sinibus maris & prope litora, multæ Insulæ, atque aqua minùs profunda: quod experientiæ respondet. At cuiquam facile erit, & jucundum pariter, cæteras differentias in partibus alvei marini, ex datâ hypothesi, rectè concipere & explicare: relictis igitur his minutioribus uniuscujusque ingenio & otio, ad illustrandam probandámq; sententiam nostram de causis alvei marini, hæc tria specialiùs contemplabimur, ipsius magnitudinem, formam, & interspersas Insulas.

Vasis marini, sive profunditatem ipsius, sive latitudinem & orarum distantiam, sive protensionem in cæteras omnes partes consideremus, immanis est magnitudo. Mare Pacificum protenditur per gradus centum & quinquaginta sub æquatore, & versùs polos multò adhuc longiùs: Oceanus *Atlanticus* ingens est; Australis & Hyperborei nemo novit terminos. Illud autem ab omnibus concessum est, superficiem totius maris haud minorem esse superficie terræ aridæ: Unde si communem profunditatem quadrantis milliaris, ut anteà, sumamus, vasis marini capacitas erit milliarium cubicorum Holl. 2351419. cum minutiis.

Quo autem Herculeo labore opus esset ad excavandam ter-

terram in tantum hiatum vaſtúmque inane? Quæ vires huic operi pares eſſe potuerunt, Artis aut Naturæ? & in quo demùm rerum ordine hujus cauſam quæremus? Si immediatè à cauſâ primâ effectus fuiſſet hic alveus, aliquem ſaltem ordinem, menſuram, & proportionem notare licuiſſet in ipſius formâ, & partium diſpoſitione; quorum quidem nihil quicquam animadvertere licet, ſed confuſa ibi omnia & enormia, ut poſteà, cùm de ipſius formâ agetur, monſtrabimus. Et quoad cauſas ſecundas, nulla occurrit animo, quæ vel ſola, vel cum aliis conjuncta, potis eſſet dilaniando corpori telluris tantoperè, ut cavum & profundum hoc maris barathrum indè exiſteret. Rivorum & fluviorum alveos continuato curſu aquarum atteri ſenſim, & à parvis initiis in magnas cavitates formari, facilè concipimus: item lacuum & ſtagnorum conceptacula, niſi planè Abyſſi ſint, atque ità ab eâdem origine, quâ mare, dependeant, nihil aliud ſunt quàm loca vicinis terris depreſſiora, ſive valles in quibus ſunt vel multæ ſcaturigines aquarum, aut in quas ſe exonerant flumina, velut in ciſternas; aut deducti ex appoſitis montibus torrentes: & augetur loci profunditas mole & motu aquarum. At vaſtiſſima vorago quâ continetur Oceanus, ab hujuſmodi cauſis ortum traxiſſe nequit: Nullus aquarum lapſus, nulla diuturna attritio, dimidiam terræ faciem exedere, & excavare ipſius molem ſolidam ad tantam profunditatem unquam potuit.

Atque ut rem paulò altiùs repetamus, meminimus aquis ſubjectam fuiſſe olim integram Terræ maſſam, cùm ſingula elementa loca ſua ſortita ſunt juxta naturam & propenſiones cujuſque. Age igitur, ſi placet, explicetur quibus deinceps cauſis in hâc maſſâ ſolidâ facta eſt foſſa ingentiſſima, ſatis capiendis aquis omnibus quæ ambiebant terrarum orbem. Cauſa externa naturalis (Theologicas enim alio loco tractandas, impræſentiarum dimittimus) nulla erat præter aquas ipſas, quæ cooperiebant hanc maſſam, & ab injuriis cæterarum rerum defendebant. Verum quidem eſt fluore incumbentis aquæ emollitâ, aliquid detritum iri ab hâc maſſâ: Sed ubique æqualiter, ob æqualem ubique motum aquarum. Vel ſi forſan aliquando valleculas aliquas fieri contingeret, motus aquarum magis impingentium in latera quàm in fundum, earum ripas retunderet, & cum cætero ſolo adæquaret.

Quoad

Quoad causas internas, nec exhalationibus, nec ignibus subterraneis aquísve locus esse potuit in hâc massâ solidâ & subaquaneâ: nec ab hujusmodi causis, si adessent, confectum foret hoc prodigiosum opus: Ignis enim, qui cæteris vehementior esse solet, in illis regionibus ubi sæviit per multos annos & secula, ut in regno *Neapolitano, Siciliâ, Islandiâ*, & alibi, par huic nihil effecit, nec ità excavavit terras & dirupit, ut novos alveos indè Oceano dederit.

Atque illud prætereà indicio mihi videtur, vas marinum non exortum esse ab hujusmodi causis subterraneis, quòd eâ ratione oportuerit sensim & gradatim factum esse, pluribus vicibus & augmentis, partim uno, partim altero seculo: & earundem causarum continuâ actione, in hodiernum diem procederet usque idem effectus. Ab ultimâ autem memoriâ hominum & historiarum semper extitit, absolutus & integer, ut est hodie, magni Oceani alveus. Nam si fortè Isthmum aliquem disruptum, aut regionem inundatam vidimus, aut viderunt Patres nostri, quantulum illud est ad magni Oceani Alveum, qui planè immemorabilis est quoad maximas & profundiores ipsius partes; quasque adeò verisimile est, unico quasi ictu, atque totas simul productas fuisse, idque à primis mundi temporibus, nempe à dissolutione primæ telluris & disruptione Abyssi.

Ad formam alvei marini quod spectat, nullam habet vel confusissimam; est enim omnimodè irregularis & inæqualis, profunditate, latitudine, & litorum ductu. Si modò lineâ regulari, & uniformi tractu per terrarum orbem ductus fuisset Oceanus, facilè crediderimus, ordinatione & elegantiâ rei inducti, primæ & melioris naturæ opus fuisse; aut si etiam alveus maris modicè depressus, cæterâ terrâ non multùm fuisset humilior, causam qualitercunque fingere potuissemus, ut fingunt alii, ex fluctuatione nescio quâ, & alluvione aquarum; sed immensi fundi vorago, incondita, incomposita, confragosa, & omni ratione deformis, non aliarum causarum quàm ingentis cujusdam ruinæ, vestigia retinet: haud pulchrioris parentis deformis fœtus. Undecunque enim, & quomodocunque fossam marinam intueamur, confusionis & perturbati ordinis faciem præ se fert.

In terminatione litorum & filo oræ maritimæ nihil & uniforme aut æquale: it ductu vago & incerto littus, recto, obliquo, sinuoso: ubique ferè dentatum est, & lacinioſum promontoriis, sinibus, æstuariis aut contiguis Insulis, ut in chartis Geographicis & marinis spectatur. Nec minùs varia est eorundem litorum constructio & libratio. Quandoque sternuntur, quasi ad libellam cum superficie maris, & in planities arenosas protenduntur, ut nullo alio limite coërceri videantur fluctus, quàm solâ figurâ & projectione convexâ telluris; alibi attolluntur in altum, veluti aggeribus factis contra vim & impetum undarum, & accumulatis saxis & rupibus commarginantur; quarum rupium nonnullæ Oceani fundo imis radicibus adhærent, & vertice nubes attingunt; aliæ minores aliis incumbunt, variè confractæ, varie aggestæ, acclives, præcipites, nullâ formâ conveniunt, nullo ordine sequuntur.

Nec minùs inæquales & confusas esse credibile est, partes inferiores alvei quæ sub aquis latent: ut ex saxis scopulísque submarinis, vorticibus, syrtibus, brevibúsque vadis conjicere licet. Verum quidem est, nec magnitudo, nec deformitas Alvei marini firmiter & attentè concipi, & animo æstimari vulgò solet, cùm oculis subducta hæc lateat magnâ ex parte, & parum sit ex alterâ quod uno eodemque intuitu comprehendere possimus; nec multùm hærere solemus in cogitatione rerum quæ sensus non feriunt, animíque affectus indè adeunt & movent. At siquis æthere suspensus, suppositum Oceani Alveum despiceret, sublatis aquis hiantem, scopulis & saxis horridum, depressum hîc illîc in immensas voragines, alibi vadosum, multis in locis apertum & perforatum latus ingentibus recessibus subterraneis; denique totum squalidum, informem & horrendum: rei adeò immanis conspectus totum pectus agitaret, animúmque impelleret ad cogitandum & indagandum acriùs quæ causa esse potuerit, aut origo tam portentosi Chasmatis, aut novi quasi Chaos. Quis primùm aperuit os Abyssi & dilatavit ipsius rictum? Quo impellente dissiluerunt & dejecti sunt illi scopuli & saxa quæ in fundo jacent? Quæ vis disrupit intimam & profundam terram, & ubinam abierunt ejecta viscera? Quis perfodit latera Oceani, & diduxit in patulos hiatus, usque ad interiora terræ? Quis duris cautibus præmunivit litora? Ecquid

quid horum retulerunt Patres, aut Gentium antiquissimarum annales & Origines? quo modo aut tempore hoc factum, totum simul, an repetitis vicibus: quâ vi, cùm adeò prodigiosè! quo consilio, cùm adeò confusé!

Si Rationem consulamus, hæc omnia primæ Telluris dissolutioni intrepidè ascribemus; quæ unica clavis mihi videtur, non tantùm scientiæ nostræ circa Diluvium universale, sed etiam circa multas & maximas anomalias, quæ in hodiernæ telluris formâ & fabricâ animadvertuntur.

Sequitur Insularum consideratio: De quarum origine tractaturum, principio distinguere oportet inter Insulas *factitias* & *originales*. Factitias appello, quæ mari ipsi non sunt coævæ, nec ab initio terræ nostræ extiterunt; sed quodammodo novæ sunt, à causis specialibus ortæ. Ità quandoque aggestione arenæ, alteriúsve terræ in vado aliquo maris aut æstuario, fiunt pulvini, eorúmque repetitâ accumulatione, Insula. Vel si brevia quædam ita deferantur à mari, ut ipsorum summitates emineant, latera autem depressiora adhuc circumstet & circumfluat Aqua, in medio emergit Insula. Atque altero ex hisce modis fieri existimo omnes Insulas planas & campestres, quæ nullos in se habent montes eminentiores, rupes, aut juga montium. Quandoque etiam mare in terras irrumpens, loca humiliora undiquaque inundat, intactis montibus, & editioribus terræ tractibus, qui exinde fiunt Insulæ. Denique regio aliqua terræ, aut tractus in mare procurrens, à cætero corpore abscinditur, parte intermediâ sive Isthmo subsidente & à mari absorptâ, ut de *Siciliâ* narratur. Quâ ratione etiam Insulæ montosæ & saxeæ oriri possunt. Denique nec impossibile videtur etiam è fundo maris emergere aliquando Insulam, sive magnum terræ fragmentum, quemadmodum *Delon* & *Therasiam* in mari *Ægeo* enatas referunt. Quod etiam monstrat, ut id obiter notem, jacere sub aquis Oceani magna fragmenta terræ, quæ non continua sunt cum ipsius fundo & vivâ unione conjuncta, at superimposita & separabilia.

At præter has Insulas factitias, quocunque demum modo exoriantur, sunt & aliæ mari nostro coævæ, quas ideò *Originales* appello, cùm nullo ex prædictis modis produci potuerint. Pro talibus habeo saltem illas quæ in magno Oceano reperiuntur, quas inter & Continentem Abyssus interjacet,

ſive inexploratæ profunditatis mare: ut ſunt Inſula Sanctæ *Helenæ, Aſcenſio, Azores* & hujuſmodi; quæ cùm rupeæ & ſaxeæ ſint, ex congeſtâ arenâ & pulvinis oriri non potuerunt, idque in profundiſſimo pelago: & cùm ab omni terrâ longiſſimè diſtent, magno Oceano undiquaque circumdatæ, non veriſimile eſt, aut olim fuiſſe promontoria, aut loca intermedia ſolâ inundatione facta eſſe maria, cùm minimè vadoſa ſint. Quare rationi conſentaneum eſt credere hujuſmodi Inſulas, non exceptis aliis multis quæ Continenti viciniores ſunt, à tempore Diluvii univerſalis extitiſſe. Nec huc uſque ſingularis eſt hæc opinio, cùm eandem teneant plurimi, à diluvio nempe ortas eſſe Inſulas; ſed rem variè explicant pro varietate ſententiarum quas habent de Ortu & rationibus Diluvii & Telluris.

Ex hypotheſi noſtrâ Inſularum origo ex diſſolutione primæ telluris & inde orto diluvio facilè explicatur. Cùm enim Inſulæ nihil aliud ſint quàm parvæ Continentes, aut Continentes magnæ Inſulæ, utræq; fiunt eodem ferè modo, nempe Continentes ex majoribus terræ dilapſæ fragmentis, ex minoribus Inſulæ, vel ex majorum fragmentorum fragminibus. Ratio utriuſque ità intelligi poteſt diſtinctiùs. In diſſolutione primæ telluris, cùm fragmenta terræ exterioris in magnam Abyſſum jam diſruptam dilapſa ſunt, quæ propter ſitum aquis qualitercunque extabant, in terram habitabilem ceſſerunt, ſive Continentem ſive Inſularem: cùm autem tres aut quatuor ſint Continentes majores in noſtrâ terrâ, ſatis erit ſupponere totidem fragmenta maxima: quorum unumquodque cùm latius eſſet quàm ut poſſet deſcendere integrum, propter aërem ſuppoſitum, qui tantâ celeritate exire non potuit, crepuit in mediis partibus, quibus elevatis per exeuntem aërem alteræ extremitates delapſæ ſunt in Abyſſum; In cujus fundum cùm primùm impingebant, immenſo ſuo pondere concuſſum fragmentum, atque impetu tanti caſûs, diſſiluit in plura fragmina, diverſæ magnitudinis & ſitûs; atque inter hæc fragmina, quæ prorſus ſubſidebant infra aquas, ſcopulos, & ſaxa ſubmarina & brevia maris conſtituerunt. Quæ autem ſatis magna erant, atque ita inclinata una in alia ut aquis eminerent, novas quaſi terrellas ſive Inſulas compoſuerunt. Atque hæc mihi videtur communis Inſularum Origo.

Ne-

Neque ideò mirabimur adjacere plerumque lateribus majorum Continentium multas Insulas, sive Insularum agmina, ut *Maldivas Indiæ*, novo orbi *Americanas*, *Hesperides Africæ*, *Cyclades* in *Ægeo* mari, atque ità de aliis: & ferè semper circa litora magnæ alicujus Continentis, aut in sinibus & fretis reperiuntur Insulæ, perrarò in magno Oceano; illud autem aliquando accidere potuit ex fragmento particulari, & à cæteris prorsus separato. Neque minùs respondet hypothesi nostræ, in Insulis hisce originalibus semper reperiri montes aut juga montium; & cætera quidem omnia, quæ de Insularum situ aliisve proprietatibus observari solent, ab eâdem hypothesi, quantum capio, commodè & adæquatè explicantur.

Existimant nonnulli Insularum originem deduci posse ex Diluvio universali, etiam non suppositâ dissolutione illâ Telluris & disruptione Abyssi quam nos supponimus: Alii Insulas etiam ante Diluvium extitisse volunt, terrámque ab initio in hanc formam ex se concrevisse: vel, à Deo immediatè confractam fuisse aut divulsam in hæc frusta & frustula. Prius refutatur capite quarto & quinto ex rationibus Chaos: utì etiam & secundò, cùm ostenditur sub eâ formâ diluvium pati non potuisse. An verò immediatè â Deo in hanc formam compulsa fuerit, capite ultimo videndum, ubi de argumentis Theologicis tractabitur. Alteros autem illos quod spectat, qui Insulas tempore diluvii ortas esse volunt, non autem ex disruptâ compage primæ telluris, ut nos statuimus, oportet primò exponant quam formam ipsi attribuunt telluri antediluvianæ, cùm stetit sine Insulis. Terram firmam olim pertigisse usque ad ea loca omnia ubi jam sunt Insulæ, minimè verisimile est, cùm loca intermedia, ut anteà notavimus, sæpe sint ἄβυσσα; eâ etiam ratione freta quædam & sinus planè tollenda essent, cùm tota scateant Insulis: & si in Terrâ illâ primâ desiderabantur prorsus Insulæ, ex quibus demùm causis factæ sunt in nostrâ, stante eâdem compage telluris? Prætereà ex illâ suppositione, istius temporis mare, dimidio minus esset nostro, cùm non tantùm singulis Continentibus adjaceant Insulæ, quæ satis longè in mare protenduntur, sed etiam reperiantur quandoque in medio Oceano; Unde sequitur ferè altero tanto auctiorem esse aquam in mundo nostro quàm ante-diluviano, cùm repleat alveum altero

altero tanto majorem. Undenam autem hoc immensum aquarum incrementum in terrâ nostrî, aut quæ tanta loca jam sicca sunt quæ antea aquis replebantur? Denique cùm anteà probaverimus, dari Insulas, quæ nec aggestione, nec inundatione fieri potuerunt, eædem rationes hic locum habent contra eos, qui diluvio, sine dissolutione terræ, Insularum origionem attribuunt. Atque hæc ità notâsse sufficiat de Insularum origine; & de magnitudine & formâ alvei marini.

CAP. IX.

De Montibus: eorum magnitudine, formâ, situ irregulari, & origine.

PRÆTER Cœlorum faciem, & immensa spacia ætherea, stellarúmque gratissimum aspectum, oculos meos atque animum nihil magis delectare solet, quàm Oceanum intueri, & magnos montes Terræ. Nescio quid grande habent & augustum uterque horum, quo mens excitatur ad ingentes affectus & cogitationes: summum rerum authorem & opificem indè facilè contuemur & admiramur, mentémque nostram, quæ cum voluptate res magnas contemplatur, non esse rem parvam cum gaudio recognoscimus. Et quæcunque umbram infiniti habent, ut habent omnia quæ non facilè comprehendimus, ob magnitudinem rei, & sensus nostri plenitudinem, gratum quendam stuporem animo affundunt.

Verum quidem est, nihil aliud esse Montes terræ, quàm magna rudera & compages confractas: sed quæ monstrant quandam Naturæ magnificentiam; ut ex antiquis Romanorum templis, & dirutis amphitheatris, magnitudinem gentis agnoscimus. Atque ut ii minùs afficiuntur rei Romanæ magnitudine, quibus nunquam contigit oculis usurpare gentis illius monumenta: ità qui planities & regiones campestres habitant, nec aliud viderent quàm monticulos quosdam, & leves terræ tumores, rectè animo concipere non possunt, quàm

quàm immanis res sit grandissimorum montium congeries, & vasto tractu protensa juga, quæ in aliis regionibus reperiuntur. Certè animum meum non parùm tetigit, & ad cogitandum de iis rebus stimulavit, cùm per *Alpes* & *Apenninos*, semel atque iterùm iter faciens, eorum vastitatem, confragositatem & magnitudinem, multas provincias, & ingentes terræ tractus pervadentium intuebar. Verum est, altitudinem montium parùm aut nihil esse ad profunditatem Terræ; sed eorundem amplitudo, & latæ radices non mediocrem proportionem habent ad terræ superficiem: Et si ex rationibus *Europæ* nostræ, de cæteris Orbis partibus judicare liceat, facilè crederem montes occupare minimùm, decimam partem terræ firmæ. Geographi in chartis suis non admodùm solicitè notant dispositionem & multitudinem montium, sed in describendis sitibus provinciarum, urbium & oppidorum, & fluminum cursibus toti occupantur: utpote qui rei civilis usibus studeant, non historiæ naturalis. *Cluverius* autem in descriptione antiquæ *Germaniæ*, *Italiæ*, & *Helvetiæ*, istarum regionum montes depinxit tabulis, & faciem naturalem aliquatenus exhibuit; ad cujus exemplum depingi curavi tabellam totius terræ, secundùm faciem ipsius naturalem: quanquam non ità horridè, ut reverà est; saltem ut erat ante omnem habitationem & cultum, cùm recens à diluvio & à dissolutione ruinas suas clariùs ostendebat. *Ad finem cap. hujus.*

Ex inspectione tamen harum tabularum mutabimus forsan opinionem & imaginem anteà conceptam de facie exteriore telluris; quam ordinatiorem & minùs cofragosam quàm reverà est, plerumque concipimus: Nempe cùm parum sit quod oculo metiri licet atque unico aspectu comprehendere, nec intra tantillum spatii soleant occurrere multi montes aut asperitates terræ, eandem ferè ideam extendimus ad cæteras terræ partes quas non videmus, atque ita globum nostrum multò æquabiliorem quàm reverà est, cogitatione fingimus.

At siquis mediis positus *Alpibus*, ex summitate montis altissimi vicinas regiones circumspiceret, cùm tot tantásque moles terrarum & insanas strages undique videret, nullo ordine, nullâ formâ, temerè congestarum ac si è Cœlo cecidissent, aut ima tellus illas eructásset: facilè sententiam præjudiciúmve de ordinatione & æquabilitate orbis nostri deponeret.

ret. Hujus prodigioſi corporis deformíſque brachium unum per *Sabaudiam, Delphinatem,* cæteráſque *Galliæ* Provincias ad *Pyrenæa* juga, & Oceanum, protenſum ſuſpiceret: alterum ſecundùm ductum maris Mediterranei per *Norica* juga, *Pannonia,* & *Dalmatica* uſque ad *Thraciam* & *Pontum.* A tergo reſpiceret montium *Rhæticorum* nivoſa cacumina, & dein ab imo ventre prodeuntem ramum *Apenninum* qui *Italiam* biſecat. Nec minùs horrent omnia in parte Septentrionali *Europæ, Bohemiâ, Sileſiâ, Daniâ, Norwegiâ, Sueciâ, Lapponiâ, Iſlandiâ,* &c. rupibus, ſaxis, præcipitiis, diſlocatis terræ portionibus, & antiquæ ruinæ monumentis. Ut non memorem montes *Riphæos,* à ſinu *Moſcovitico* ad oſtium *Obii* fluminis protenſos: magnum lapideum cingulum *Moſci* eos vocant, quoniam totum terrarum orbem iis montibus cingi exiſtimant.

Nec illud ſingulare eſt aut proprium tractibus *Europeis* telluris; nulla enim datur Continens, aut veteris aut novi orbis; nulla Inſula antiqua & originalis, quæ immunis montibus eſt: In unaquâque reperitur (quod notatu non indignum eſt) congeries, aut juga montium; quæ ſunt veluti capita aut dorſa iſtarum terrarum; quæ, cruribus in abyſſum poſitis, extra aquam ita ſuſtinentur.

Juga *Peruviana* in *Americâ* Auſtrali longiſſima ſunt & celſiſſima: præter alia multa in Septentrionali. *Tauri* montis jugum in *Aſiâ* totius orbis maximum habebatur; ità à Geographis deſcribi ſolet. Exoritur in *Aſiâ* minori à *Pamphilio* mari juxta *Chelidonias* Inſulas, & per varias regiones & vaſta regna, aliis aliíſque nominibus progreditur ab occaſu in ortum, uſque ad *Indiam,* dividítque *Aſiam* univerſam in duas partes: quarum altera, quæ Septentrionem ſpectat, *Aſia* intra *Taurum*; altera quæ Meridiem, *Aſia* extra *Taurum* appellatur. Multis à latere comitibus ſtipatur, hinc inde, inter quos celebres ſunt *Antitaurus* major, & minor, qui *Armeniam* majorem & minorem biſecant; ubi ipſe *Taurus* tranſit inter *Armeniam* & *Meſopotamiam,* multa brachia versùs Septentrionem & Auſtrum emittit. Celebris eſt etiam in *Aſiâ, Imaus,* mons cruciformis: *Caucaſi* montis Jugum, Jugum *Chinenſe,* & Juga *Arabiæ.* In *Africâ,* humeris Cœlum ſuſtinet *Atlas*; à litore Oceani *Atlantici,* ſive à parte *Africæ* occidentali, versùs orientem progreditur, per totam *Africam,* ad

confinia

confinia *Ægypti*: Montes Lunæ etiam cornibus amplectuntur ingentem terræ tractum; præter innumeros alios minores. Insularum etiam montes non obscuri sunt, earum potissimùm quæ in magno Oceano jacent. Sed de his satis.

Ex hâc multitudine & magnitudine montium innotescit, quàm aspera & confragosa sit orbis terrarum superficies: dein observandum est, montes illos non referre partes ordinatas, aut membra alicujus corporis; cùm nec singuli seorsim ullam in se formam & decorem habeant; nec cum cæteris ordinem aut dispositionem, quæ vel ad usum, vel ornatum referri possit.

Ad Formam montium singulorum quod spectat, nihil magis incertum, inconditum, aut perturbatum; ut solent esse rudera, omnium formarum & figurarum sunt, præter regularium; moles præruptæ & confractæ, nullus modus, nulla ratio partium, aut proportio, nulla pulchritudinis umbra, artis aut consilii nullum vestigium.

Hæc autem dicta vellem de genuinis & majoribus terræ montibus; non gratos *Bacchi* colles hîc intelligimus, aut amœnos illos monticulos, qui viridi herbâ, & vicino fonte, & arboribus, vim æstivi solis repellunt: hisce non deest sua gratia & jucunditas. Sed longè aliud hîc respicimus, nempe longæva illa, tristia & squalentia corpora, Telluris pondera, quæ duro capite rigent inter nubes, infixísque in terram saxeis pedibus, ab innumeris seculis steterunt immobilia, atque nudo pectore pertulerunt tot annorum ardentes soles, fulmina & procellas; Qualis est illa rupes Virgiliana,

Vastum quæ prodit in æquor,
Obvia ventorum furiis, expôstáque ponto,
Vim cunctam atque minas patitur cœlique marísque,
Ipsa immota manens.

Cic. 10 Æneid.

Hi sunt primævi & immortales, ut ita dicam, montes, qui non aliundè, quàm ex fractâ mundi compage ortum suum ducere potuerunt, nec nisi cum eâdem perituri sunt. In his, inquam, nulla forma, nulla partium constructio, quæ studium aut industriam præ se ferat, aut ad aliquem finem eatenus referri videatur.

Ac utì seorsim, unusquisque est incomposita & deformis

moles; ità nullum inter ſe ordinem habent alii cum aliis, aut ſeriem regularem. Situs montium terræ eſt maximum & eminentiſſimum confuſionis exemplum; nec turbine, nec terræ-motu, nec ullâ tempeſtate gravior confuſio induci poteſt. Verum quidem eſt ſæpe protendi in juga quædam, & longiſſimos tractus: iſtiuſmodi autem tractûs dorſum, quod latiuſculum eſſe ſolet, & aliquot dierum iter, in plures montes, ex utraque parte diſruptum, eſt immanis congeries ruderum & fragmentorum. Prætereà una pars jugi alteri non reſpondet, nec uniformi ſerie continuatur: Sæpe etiam planè interciſum eſt, & hiulcum.

Cùm verò magnarum rerum, licèt incultarum, non injucunda ſit ſpeculatio, redeamus iterum ad *Alpes* noſtras: & jactatis oculis in omnes partes, iſtarum ruinarum differentias & deformitates paululùm contemplemur.

Siquem fingeremus ſomno aut vino obrutum, ex patriâ campeſtri ſubitò tranſlatum, relictúmque in mediis montibus, & ruinis *Alpium*; cùm expergiſcenti aſtaret nova illa atque horrida rerum facies, magnæ rupes undique, & ſaxa, & præcipitia, & ſqualor & vaſtitas; extra fines orbis habitabilis ſe projectum crederet; aut in iſtum angulum Univerſi protruſum, ubi Natura, perfecto reliquo opere, materiam inhabilem congeſſerat. Mihi, cùm hæc contemplabar, venit in mentem infamis pugnæ Gigantum, cùm, montibus in montes aggeſtis, omnia ſuſque deque verterentur. Omnium materiarum atque formarum eſt hîc quædam confuſio; plurimi montes planè faxei ſunt, ſilicei, marmorei, cretacei, aut aliter lapidei; quidam terrei: quanquam id rariùs in magnis montibus. Quoad interiora, pauci pleni ſunt, plurimi cavi: ubi latibula ferarum & ſerpentum: Amnes ſubterranei repunt, creſcunt foſſilia, & metalla aggregantur. In formâ externâ nulla conſtantia, aut æquabilitas: quidam prægrandes craſſitie & altitudine, alii mediocres: quidam bicipites aut tricipites, atque (mirum dictu) æternâ canitie venerandi, cùm ab omni hominum memoriâ, tecta nive capita, ſoli licèt propiùs admota, & ex omni parte expoſita, æſtate & hyeme oſtentârint; alii è contrà fumos & flammas vomunt. Quidam exteriùs ſolidi, corpore integro & unito; alii laceri, fracti, & multifidi. Quidam ſolitarii (quanquam id rariſſimè in magnis montibus;) alii conglomerati,

aut

aut in longos, & tortuosos tractus exporrecti. Quidam sensim acuminantur, & desinunt in apicem; alii ejusdem ferè ambitûs sunt, radice, medio & summo; quandoq; etiam planitiem in fastigio habent instar mensæ. Quidam molliter assurgunt, & leniori clivo; alii asperitate, & præcipitiis planè impervii sunt. Innumeræ denique sunt formæ, & situs harum molium, ut solet esse ruinarum. Et quanquam reverà semper horreant loca montana, & tesqua, ut jam diximus; non deest tamen in tantâ varietate, quod recreet animum: Atque sæpè loci ipsius insolentia, & spectaculorum novitas delectat magis, quam venustas in rebus notis & communibus. Jucundum est ex profundâ valle prominentia montium superci ia, & impendentes moles suspicere: quæ tristi umbrâ involvunt subjectos populos, solémque & cœlum, maximam partem, adimunt. Id tantillum verò, quod illis supereſt, cœli, cùm montium summitates utrinque contingere videatur, suppositæ valli tecti instar apparet, aut cœrulei laquearis: hærent, hinc illinc, in mediâ viâ montis, aut lentè serpunt nubes, nec elatum cacumen attingere possunt; & ruit sæpe per declive latus, ex nivis resolutione ortus, præceps & spumosus torrens; squalidis Montanis potus insaluberrimus.

Ex montis fastigio alia se aperit rerum facies: cœlo liberiori hîc fruimur; aspectu verò propter multitudinem montium assurgentium, & perturbatum ordinem, interruptissimo. Etiam ex mari miditerraneo non ingratus est aspectus *Alpium* & *Apenninorum*: cùm præternavigantibus multiplices vertices & latera ostentant, quandoque nuda, quandoque urbibus & oppidis ornata.

Siquod verò Natura nobis dedit spectaculum in hâc tellure, verè gratum, & philosopho dignum, id semel mihi contigisse arbitror; cùm ex celsissimâ rupe speculabundus ad oram maris mediterranei, hinc æquor cæruleum, illinc tractus Alpinos prospexi; nihil quidem magis dispar aut dissimile, nec in suo genere, magis egregium & singulare. Hoc theatrum ego facile prætulerim Romanis cunctis, Græcísve; atque id quod natura hîc spectandum exhibet, scenicis ludis omnibus, aut amphitheatri certaminibus. Nihil hîc elegans aut venustum, sed ingens & magnificum, & quod placet magnitudine suâ & quâdam specie immensitatis. Hinc in-

tuebar maris æquabilem ſuperficiem, uſque & uſque diffuſam, quantum maximùm oculorum acies ferri potuit; illinc diſruptiſſimam terræ faciem, & vaſtas moles variè elevatas aut depreſſas, erectas, propendentes, reclinatas, coacervatas, omni ſitu inæquali & turbido. Placuit, ex hâc parte, Naturæ unitas & ſimplicitas, & inexhauſta quædam planities; ex altera, multiformis confuſio magnorum corporum, & inſanæ rerum ſtrages: quas cùm intuebar, non urbis alicujus aut oppidi, ſed confracti mundi rudera, ante oculos habere mihi viſus ſum.

In ſingulis ferè montibus erat aliquid inſolens & mirabile, ſed præ cæteris mihi placebat illa, quâ ſedebam, rupes; Erat maxima & altiſſima, & quà terram reſpiciebat, molliori aſcenſu altitudinem ſuam diſſimulabat: quà verò mare, horrendum præceps, & quaſi ad perpendiculum facta, inſtar parietis. Prætereà facies illa marina adeò erat lævis ac uniformis (quod in rupibus aliquando obſervare licet) ac ſi ſciſſa fuiſſet à ſummo ad imum, in illo plano; vel terræ motu aliquo, aut fulmine, divulſa.

Ima pars rupis erat cava, receſſúſque habuit, & ſaxeos ſpecus, euntes in vacuum montem; ſive naturâ pridem factos, ſive exeſos mari, & undarum crebris ictibus: In hos enim cum impetu ruebant & fragore, æſtuantis maris fluctus; quos iterùm ſpumantes reddidit antrum, & quaſi ab imo ventre evomuit.

Dextrum latus montis erat præruptum, aſpero ſaxo & nudâ caute; ſiniſtrum non adeò neglexerat Natura, arboribus utpote ornatum: & prope pedem montis rivus limpidæ aquæ prorupit; qui cum vicinam vallem irrigaverat, lento motu ſerpens, & per varios mæandros, quaſi ad protrahendam vitam, in magno mari abſorptus ſubitò periit. Denique in ſummo vertice promontorii, commodè eminebat ſaxum, cui inſidebam contemplabundus. Vale auguſta ſedes, Rege digna: Auguſta rupes, ſemper mihi memoranda!

Sed nimiùm me diduxit inopinantem, & detinuit harum rerum admiratio; Redeamus jam in viam, & ad inveſtigandam originem harum molium, tot tantórumque terræ montium, nos tandem accingamus. In principio rerum, Telluríſve noſtræ, primus orbis habitabilis, cùm emerſit ex Chao, non potuit eſſe formæ montoſæ: Non tantùm, quòd

ità

ità constructus nunquam passus esset aquarum diluvium, ut capite secundo fusè ostendimus; sed quòd ex naturâ rei ità construi non poterat, nec transire immediatè ex formâ fluidâ & æquabili, in maximè asperam & confragosam, qualis est hodierna; ut suprà deductum est Capite 4, & 5. constátque manifestò rem ad rationes distinctas revocanti, duas illas formas extremas & remotissimas, massæ primigeniæ, & superficiei salebrosæ & scopulosæ, unam ex aliâ, nisi intercedente aliquâ mediâ, produci non potuisse.

Siquis forsan dixerit, ità quidem se res habet, si exigatur ad leges Naturæ, & causarum secundarum motum; at Dei jussu, & causæ primæ immediato nixu, facti sunt montes: Nempe in mundi principio, cùm ad recipiendas aquas alveus Maris excavatus erat, ex terrâ indè ablatâ, & cumulatim aggestâ, fiebant montes. At nulla est proportio, ut capite ultimo fusiùs dicetur, inter montes terræ, ut ut magnos, & capacitatem alvei marini, qui per dimidiam totius globi superficiem extenditur: atque etiam satìs patet ex ipsa facie, & externâ formâ rupium, fractione aut ruptione factas fuisse, non simplici aggestione; etiam & saxeas fuisse ante illam disruptionem: quod indicio est non esse penitùs coævas corpori telluris, nec à molli terrâ factas.

Aliorum est opinio, eáque satìs antiqua, montes terræ Diluvio ortos esse; adeóque tellurem ante-diluvianam planam & æquabilem fuisse. Cùm verò parùm accuratè philosopharentur antiqui, saltem ii apud quos erat hæc traditio, nimis crassè conceperunt montes productos fuisse in diluvio, solâ agitatione aquarum: terræque superficiem, quæ anteà erat æqua & lævis, ex illâ, nescio quâ, commotione, evasisse asperam & montosam. Verum quidem est, tempore diluvii contigisse hanc transformationem telluris, non autem ex illâ quam assignant causâ, quæ tanto effectui planè impar esset; saltem si modum illum sequamur, quo rationes diluvii iidem authores explicant, solâ nempe & simplici inundatione, sive excessu quodam aquarum ex vi pluviæ & redundantiâ Abyssi exortarum. Quæ enim tanta undarum agitatio hinc oriri potuit in superficie planâ, aut æqualiter convexâ, ubi nulla vis gravitatis impelleret, aut hûc aut illûc, stagnantem liquorem: sed ubicunque, aut de Cœlo cecidit, aut emersit ab inferis, æquè libratus consisteret? Verum quidem est in tel-

lure

lure hodiernâ, ut eſt montoſa & lacunoſa, ex magnâ pluviâ orti ruunt torrentes de montibus, & per declivia terrarum, magno impetu. Sed cùm nulla eſſet talis declivitas in tellure illâ, nullus eſſet curſus violentus aquarum. Nec ventos aut turbines fingere licet ad agitandos hos fluctus: quo enim fine aut quâ efficientiâ? Denique impetus ille, ſive fluctuum, ſive torrentium, cùm eminentiora quæque proſternat & dejiciat, aptior eſſet ad complanandos montes & adæquandos cum cæterâ telluris maſſâ, quàm ad attollendos & extruendos.

Nonnulli denique (ut omnium opiniones complectar,) extra diluvium aut rationes diluvii, terræ-motibus, & diſruptis cavitatibus ſubterraneis, montes terræ generatos eſſe exiſtimant: nempe, collapſis hoc modo quibuſdam terræ partibus in ſubjectas cavernas, cæteræ, quæ reſtabant immotæ, rationes montium obtinuerunt. Illud quidem aliquoties accidiſſe non improbabile eſt, & nonnullos inde monticulos ortos eſſe, & aſperitates terræ: ut verò hæc ſit ſola & univerſalis cauſa omnium terræ montium, numero & mole, ut ſunt, maximorum, nemo facilè animum ad id credendum induceret. Quo ſeculo contigerunt illi terræmotus, & quare non continuantur ad noſtra tempora? Præterea nec id convenit formæ & ſitui montium: Si enim fuiſſent moles ſemper immotæ, ſive tractus terræ, qui ſtabiles & immoti ſtetiſſent ad ruinas contiguorum terræ-motuum, vertices haberent planos, obtuſos, integros, campeſtres, utpote reliquias ſuperficiei terræ illæſæ: Cùm ut plurimùm penitùs confragoſi ſint, & corpus ipſum inclinatum, ut à ſitu ſuo naturali dimotum. Etiam cujuſlibet Continentis corpus declive eſt à partibus mediterraneis versùs mare; quod argumento eſſe videtur, omnes terræ partes ruinæ cujuſdam univerſalis participes fuiſſe.

Intereà notandum eſt, ex noſtrâ hypotheſi, de ruptâ exterioris telluris compage, tempore diluvii, commodiſſimè intelligi Originem montium, atque eorum omnium, quæ eò ſpectant. Nempe cùm fatiſcebat, & in plura fragmenta diſrupta, in abyſſum delapſa eſt ea compages, utì partes fragmentorum, quæ extra aquas quomodocunque eminebant, rationem habuerunt Aridæ atque terræ habitabilis; ità iſtius Aridæ partes, quocunque modo eminentiores cæteris, montium

tium & collium rationem generalem subirent. Atque ut paulò specialiùs hoc explicemus, notandum est, pauca illa fragmenta, in quæ primùm divisa est & divulsa illa compages, cùm maxima essent, & per ingentes tractus distensa super faciem Abyssi, non potuerunt eâ formâ, & magnitudine, descendere in Abyssum ; aër enim suppositus impediebat : non quidem ille aër, qui extremitatibus & fimbriis fragmenti vicinus, facilem exitum habuit & expeditum ; sed qui indè remotus, per aliquot forsan millia milliarium, versùs medias partes fragmenti, iter suum brevi conficere non potuit, atque ideò incumbenti moli restitit. Intereà, partes extremæ fragmenti, suo pondere pressæ, facile cedentem aërem sequebantur, & continuò descendebant versùs Abyssum ; interiores autem, sive mediæ, cùm eadem facilitate descendere non potuerint, suspensæ detinebantur : atque primò se flecti, & aliquantulùm incurvari passæ sunt, convergentium extremitatum pondere ; posteà autem nimiùm tensæ, planè dehiscebant, & dissiluere in duo aut plura fragmina. Atque horum fragminum partes superiores, inclinatæ unæ in alias se mutuò sustinuerunt per modum fornicis, atque longè extra Abyssum eminebant.

Horum fornicum, sive horum fragminum confragosi vertices constituunt Ardua atque Aspera terrarum, tractúsque maximorum montium terræ ; ex quibus ad littora maris, est semper quædam declivitas, vel rectà, vel sequendo cursum fluviorum ; qui ex hisce tractibus ut plurimùm oriuntur.

Atque ità generati sunt montes terræ primarii, & magna juga montium ; cæteri, quos secundarios appellarem, concussione orti sunt. Nempe cùm primùm inferiores partes fragmenti descendendo contingerent fundum Abyssi, vel forsan etiam superficiem, ex subitâ illâ motûs obstructione orta est magna concussio & vibratio per totum fragmentum, atque indè denuò dissiluerunt & variè disruptæ sunt ipsius partes. Ab hâc autem concussione, & secundâ disruptione ortas esse existimo innumeras illas inæquabilitates superficiei terrarum : Regiones editiores aut humiliores, nec ejusdem regionis partes sibi conformes ; tesqua, montes, colles, declives agros, planities, multiformes valles. Dissimilis ubique est terrarum figura, nec durat idem tenor, & continua

nulla

nuitas, & filum ſuperficiei terræ; neque ullus in variando ordo aut regula. Prætereà etiam & interiora ſtrata ſoli, & venæ terræ ſæpiùs inclinantur aut abrumpuntur; quod itidem ab hiſce concuſſionibus maximùm proveniſſe abitror.

Atque hæc de generatione montium dixiſſe ſufficiat, juxta noſtram, de diſſolutione primæ telluris, ſuppoſitionem. Quibus ità explicatis, non mirabimur, primò, formam montium, & figuram qualitercunque irregularem, & diſruptam, aut qualemcunque in ipſorum ſitu confuſionem; hæc enim ex modo, quo generati ſunt, neceſſariò ſequuntur. Secundò non mirabimur, montes cavernoſos eſſe plerumque, & introrſum malè repletos. Cùm enim, ut plurimùm, ſuſtineantur per modum fornicis in illo ſitu elevato, eo ipſo non debent eſſe ſolidi; & ſi quando coacervatione facti ſunt, & ſuperſtratis molibus, etiam & hoc modo, ob inæquales commiſſuras, multa eſſent intercepta ſpatia vacua; quandoq; majora, quandoq; minora; ut accidere ſolet in ruinis. Atque ob eandem rationem non mirabimur, regiones montanas terræ-motibus obnoxias eſſe: ſæpè etiam ruunt & labuntur montes in ſuppoſitas cavernas, ruptis ſubitâ vi, aut diuturnâ exeſis, quibus innitebantur, fulcris & fornicibus. Denique non mirabimur continuationes illas montium per longos terrarum tractus, quas juga montium appellant; qualia in omni Continente reperiuntur, ut anteà notavimus, & in nonnullis Inſulis. Hoc non incelebre phænomenon ex modo, quo explicuimus generationem montium, dilucidè exponitur; ingentiſſima illa fragmenta crepuiſſe diximus in lineis partium mediarum, quæ cæteris ideò erectiores factæ, atque inclinatæ unæ contra alias, aliquouſque continuatâ ſerie, catenas illas, ſive juga montium conſtituerunt.

Multæ eſſe poſſunt differentiæ horum jugorum, pro figurâ, & qualitate fragmenti diſrupti; ſed inſtituti noſtri non eſt hæc minutiùs proſequi. De *Montium origine, ſitu, formâ externâ internâqae*, hæc dixiſſe ſufficiat.

Denique ad finem hujus capitis apponimus Telluris fractæ & collapſæ tabulam, quæ Orbis hodierni formam imitatur; Idque in parte externâ & conſpicuâ non malè, opinor, ſi minores quaſdam Inſulas, & minores Montes excipias. Quoad partes verò internas & inconſpicuas, ſive ſubaqueas, ſive

sive subterraneas, casus tantùm generales & insigniores expressimus, rationes probabiles secuti. Intereà, cùm omnes Oceani, atque alvei marini inæquales altitudines satìs exploratæ fuerint, situsque & formæ litorum, quî parte aquis immerguntur; certior multò, & emendatior tabula compingi poterit; ritè expensis & libratis rationibus, quâ in parte primæ fracturæ & MUNDANA CHASMATA facta fuerunt. Et cùm hanc ideam corporis Terreni, ex causarum intuitu, & collatis observationibus, suis partibus absolutam dederint, operæ pretium esset, non planis tabulis, aut levi quacunque picturâ, Superficie tenus, eandem exprimere; sed ingenti globo ligneo, aliquot ulnas crasso, totum Terræ corpus intus & externè oculis exponere & demonstrare. Opus quidem Principe dignum: ubi alveo Oceani reipsâ excavato, ídque formâ justâ; & extante reipsâ Terrâ habitabili, Insulari aut Continente, cum suis quibuscunque montibus & campis, Telluris nostræ verum simulacrum & compendium esset: Ac pro ratione, quâ sua quemque incitaret curiositas, & modus expensarum permitteret, aut mole auctiùs, aut formâ expressiùs, & elaboratiùs fingere liceret. Et ipsâ etiam materiâ, non tantùm saxeos in terrâ montes, & rupes & arenas in litore, sed res etiam quaslibet submarinas aptè simulare, non ingratum esset.

Supereſt ut unicum hîc monitum adjiciamus, nequis hæc perversè interpretetur. Per has interpretationes Physicas nihil detractum volumus Providentiæ Divinæ, quæ omnes omnium complectitur rerum ordines; aptos quidem singulos in suo genere, sed alios aliis præstantiores. Prævidit Providentia hujusce demolitionis Terræ, novæque constructionis modos parteſque omnes, quas ita dispositas esse voluit, ut semper retinerent faciem formamq; Ruinæ: unde commonefacti, hoc non esse opus originale faciliùs addisceremus, & hodiernæ Telluris formam præcessisse aliam magis integram & ordinatam. Dein ad causas secundarias quod spectat, non sunt utique supervacaneæ, sed eas regit temperatq; Deus diversimodè pro ratione operis quod molitur.

CAP. X.

Recapitulatio totius operis: Variæ formæ telluris hodiernæ generales & partiales, earúmq; explicatio. Conjectura de cæteris Planetis: Terram noſtram non eſſe præſtantiſſimam, aut unicè habitabilem Univerſi portionem.

NOBIS propoſitum fuit in hoc primo libro, Diluvii univerſalis, quo olim periiſſe mundum, fidem facit Hiſtoria Sacra, rationes ità explicare, ut quo modo factum fuerit, à mente humanâ comprehendi poſſit; & ad illuſtrandum confirmandúmque explicationem noſtram, Telluris tam primigeniæ quàm hodiernæ formam, ex ſuis cauſis expoſuimus; & reciprocè ex effectis cauſas indicavimus. Hypotheſis noſtræ, de diluvio Univerſali, hæc eſt ſumma; Non id contigiſſe, ut vulgò creditum eſt, ſimplici inundatione, aut ſolâ redundantiâ aquarum, ſed acceſſiſſe inſuper diſſolutionem exterioris telluris, & ſubſidentiam in Abyſſum magnam. Atque ad probandam hanc ſententiam, oſtendimus primò, nullo aquarum exceſſu aut abundantiâ, prout mundus noſter jam conſtituitur, aut olim conſtitutus fuerit, Diluvium Univerſale orbi terrarum induci potuiſſe; niſi adjunctâ diſſolutione aliquâ telluris. Nec ſine eâ explicari poſſe vim verborum Sancti *Petri*, de diſcrimine mundorum, veteris & hodierni, veteríſque interitu per aquam, hodierni per ignem; quæ in ſecundâ Epiſtolâ, Capite tertio habentur. Dein oſtendimus ex admiſſâ illâ diſſolutione telluris, eo modo, quo explicuimus, non tantùm capi & comprehendi commodè poſſe rationem Diluvii univerſalis, nec non & ſermonis illius Apoſtolici; ſed etiam explicari diſtinctè & perſpicuè conſtructionem hodiernam Telluris; origines Montium, Inſularum generationes, Oceani ſive alvei marini, cavitatum ſubterranearum, cæterarúmque inæqualitatum, quæ in facie aut fabricâ Globi noſtri reperiuntur. Denique

ab

Incognita
EUROPA
ASIA
AFRICA
Incognita

Fig. 2.

ab ovo rem repetentes, sive à primo Chao, orbem quendam habitabilem circumobductum iri Abyssо, juxta motus naturales illius massæ ostendimus; eámque Compagem exteriorem, non fore sempiternam ex suâ naturâ, sed post aliquot secula dissolutum iri; & ex ipsius dissolutione hunc ipsissimum rerum statum & ordinem secuturum, quem in tellure nostrâ deprehendimus. Ità causis effecta, effectísque causas respondere monstravimus, & conspirare in eandem, quam initio proposueramus, sententiam.

Hæc dictorum summa est; alio licèt ordine, cùm argumenti filum id exigere videbatur. Et cùm eò jam ventum sit, ut colophonem addamus huic parti primæ, non abs re erit summatim ante oculos ponere præcipua telluris phænomena, quæ formationem ipsius & modum constructionis respicere videantur: intelligo formas generales & minùs generales exterioris corporis telluris, ipsiúsque portionum & tractuum; ex quarum intuitu, tanquam in brevi tabulâ, aut ideâ, feremus judicium ocyùs & accuratiùs de earundem causis; utì etiam, siqua sit Hypothesis alia, quæ aptiùs nostrâ, singulis respondeat.

Prima autem Idea telluris, atque maximè generalis quæ huc spectat, est *Globi Terraquei*. Ubi ratio reddenda est illius formæ mixtæ, & discretionis aquæ & aridæ; item in parte aqueâ, vastissimæ illius fossæ, & voraginis quâ Oceanus continetur. Præterea, in Oceano ipso nascuntur Aridæ aliæ minores, veluti Terræ secundariæ, quæ separantur à reliquo orbe per interfluentes aquas, tanquam intermundia; harum etiam Insularum explicanda est origo.

Secunda Idea, & minùs generalis, est Globi terraquei *montosi, cavernosi, & aquis immersi*: item declivis à partibus Mediterraneis ad maritima, & à litoribus Maris ad medium. Quæ circa cavitates, aquásque subterraneas, & circa montes explicanda erant, explicuimus capite septimo & nono. Declivitatem etiam illam, quantum ad Continentes, anteà notavimus: eadem etiam observatur in alveo maris, cujus litoralia sunt, ut plurimùm, vadosa, atque indè descenditur gradatim ad partes profundissimas, versùs medium: Nempe ibi patet vorago, usque ad ipsum fundum Abyssi, quem nulla pars ruinæ aut confractæ compagis iis in locis attigit aut obtexit. Id quod explicatu facilè est ex suppositione nostrâ.

ſtrâ. Concipiamus enim fiſſuras illas primas, ſive prima chaſmata compagis exterioris terræ, quibus in diſſolutione ſuâ crepuit, reſpexiſſe medium Oceani, ſive illas partes abyſſi ſubjectæ ubi jam Oceanus eſt profundiſſimus; unde fragmentis ſubſidentibus ex illâ parte & ex alterâ versùs Mediterranea elevatis, relinqueretur ſpatium in medio, nullo fragmento tectum aut impletum, ideò & profundiſſimum; & ex utrâque parte acclivitas quædam eſſet verſus litora, ex fragmentorum iſtorum inclinato ſitu, ut repræſentatur in Figurâ præcedenti, *aaa*, & 1, 2, 3. quanquam rarò aut nunquam contigit inclinationem illam adeò eſſe æquabilem & uniformiter ſtratam ac exhibetur in Figuris

Inclinatio partium mediterranearum versùs mare dignoſcitur ex libramento fluviorum, qui omnes ad mare deſcendunt; etiam longiſſimis curſibus: Sed à partibus maritimis & litoralibus ad Mediterranea, vel nulli fluunt, vel non longo tractu ità continuantur.

Tertia Idea telluris eſt *Globi confracti*; hoc mihi forſan quis tardiùs conceſſerit, nec id ſenſibus conſtare, ut cætera, admiſerit. Globum telluris confractum eſſe uſque ad centrum, aut intima ipſius viſcera, nullo modo contendimus; nec etiam infra abyſſum ſive regionem aqueam: ſed exteriorem ipſius regionem quam habitamus, quâ hærent montes, quâ currunt fluvii, quam Oceanus alluit; interiùs etiam quâ latent cavernæ, quâ ſcaturiunt aquæ ſubterraneæ, quâ foſſilia reperiuntur, & quâ effodiuntur metalla, ad hanc profunditatem uſque confractam fuiſſe, & partes ipſius diſtractas, & ſenſus & rationem teſtes habemus. Ex ipſa facie quarundam rupium eas eſſe moles fractas manifeſtò dignoſcitur; & in quibuſdam fretis rupes oppoſitæ ità reſpondent aliæ aliis, ut olim fuiſſe continuas, indè multi ſuſpicati ſunt. Venas atque interiora ſtrata terræ, & foſſilium, innumeris in locis eſſe diſrupta notiſſimum eſt. Sed quid iſtis moramur? Vorago maris, cum confragoſis illis ſcopulis & ſcopulorum fragminibus, ſaxíſque ingentibus, quibus horrent litora, aut quæ projiciuntur in fundum, annon hæc exhibent corpus diſruptum? Quid repetam Inſulas divulſas à Continentibus, & Continentes laceras & luxatas mille modis, interiùs exteriúſque; nunc elevatis partibus extra modum, nunc depreſſis, nunc hiantibus & planè diffitis? Hæc confuſio & perturbatus

ſitus-

situs sine ruinâ contingere non potuit, nec illa ruina sine fractione.

Verum quidem est naturæ vultum, ut hodie cernimus, non esse adeò squalidum & ruinæ similem ac olim fuit, cùm recentis à dissolutione adhuc ipsius vulnera, ut ità dicam, manifesta erant & hiulca; nunc autem cultu & habitatione hominum aliquid ornamenti accessit Telluri, & æquabilitatis in ipsius superficie: Ipsa etiam Natura amiciendo terram herbis, fruticibus, & sylvis, leviores ipsius plagas operuit, atque insuper addidit non parùm venustatis & pulchritudinis toti corpori.

Siquis verò genuinam hujus globi ideam animo contemplari vellet, & judicium indè ferre, sit necne suis partibus luxatus & confractus, oportet eum detrahere hunc cultum Naturæ, atque animo exhibere Terram nostram, primò nudam, ut arborem in hyeme: non tantùm sine urbibus aut oppidis, cæterísque quæ humana cura adjecit, sed absque omni etiam supellectile, quam vel ad ornatum vel ad usus animalium natura apposuit. Non itaque prata, non lætos campos, non sylvas aut segetes imaginationi monstret, sed macilentum globum, asperrimum, cautibus, montibus, lacunis horridum. Secundò, ut rem concipiat ut in se est, evacuandus est Oceanus suis aquis, & profundum illud inane oculis aut animo objiciendum; alveum maris vacuum, cum suis insanis substructionibus, & apparatu barbaro scopulorum, saxorum, voraginum, & interjectarum Insularum, secum contempletur. Tertiò denique oportet auferre cavernarum opercula, ut interiora terræ in conspectum veniant; item nudare radices & fundamenta montium, ut quæ intus sunt cavitates & conceptacula, sive ignis, sive aëris, sive aquæ, ante oculos habeat. Rebus hoc modo dispositis & praparatis, si globum nostrum, detractis ità exuviis, nudum intueatur; formámque ipsius & constructionem enormem animadvertat, non aliud credo sibi ante oculos habere videbitur, quàm confracti & dissoluti mundi rudera. Ego quidem (quanquam id à Naturâ habeam, ut magnifice sentiam de Deo, & de ipsius operibus; atque eò etiam semper animum assuefecerim) dum hæc cogito & revolvo mecum tranquillo animo, non possum non exclamare, Deus bone, siquid ego sentio veri, aut si quicquam mortali datum sit

recti

rectè judicare & discernere, *Fractus Orbis collapsus est, & nos habitamus ipsius ruinas.*

Non me latet intereà hæc omnia à nonnullis, qui etiam nobiscum agnoscunt hodiernam tellurem semirutam esse, causis multò minoribus attribui; nempe ruinis partialibus, per terræ motus, eluviones aut subterraneas attritiones aquarum, eruptiones ignium, *&c.* quæ variis temporibus, ut in variis regionibus acciderunt; atque tandem telluris globum in hanc formam asperam, laceram, montanam & marinam reduxerunt.

Non diffitendum est ab hujusmodi causis particularibus, nonnihil mutari telluris superficiem, quandoque hoc modo, quandoque illo: at quò minùs omnes inæqualitates globi nostri, tam internæ quàm externæ, ab hisce causis originem traxisse potuerint, multa obstant & impediunt. Atque ut unà complectamur rationes omnes quibus figura aut integritas orbis terræ disrumpi, aut mutari potuit, Supponamus primò, operâ humanâ, sive arte, quasdam mutationes factas esse, ut in extruendis aut diruendis oppidis, aut munimentis bellicis: in deducendis fluviis, in exsiccandis paludibus, in monumentis erigendis, in adæquandis aut perfodiendis montibus. Sed levia hæc sunt, & nullius ferè momenti. Secundò, alias factas esse causis naturalibus, sed non universalibus: quarum suprà meminimus; quæ nempe certos terræ tractus tantùm respiciunt, & sæpius contigerunt contingúntque quotidiè; quales sunt montium aut aliarum terrarum subsidentiæ & absorptiones, promontoriorum à Continente divulsiones, & nova freta interjecta; novarum terrarum, vel per aggestionem pulvinorum, vel aliunde, generationes; & siqua sunt hujusmodi effecta ignis, aquæ, aut aëris subterranei: ab hisce enim causis omnes inæquabilitates terræ derivandas esse sentiunt.

Nos hasce causas agnoscimus, earúmque vim ad inducendas Orbi terrarum aliquales mutationes (idq; præcipuè seculis à diluvio proximis, ut anteà notavimus capite septimo) sed quæ minimè respondeant magnitudini rerum de quibus hîc agitur. Hinc aliquas cavitates & crateres fieri potuisse non negandum est, aliquos etiam tumulos & verrucas terræ; sed quid hoc ad vastitatem, molem, congeriem montium nostrorum, & continuationem per longissimos tractus terrarum?

rum? quid ad inexploratas maris nostri dimensiones, tam superficiei quàm profunditatis? de quibus sua capita consulenda. Ponamus, quod utriq; opinioni commune est, Corpus telluris solidum fuisse in rerum principio, aquis totam ipsius massam cooperientibus; in hâc massâ subaquaneâ quomodo extiterunt montes, valles, profundum vas maris, cavitates subterraneæ? Nulla fuit causa vel interna vel externa quæ superficiei hujus fundi inæquabilitatem aliquam insignem inducere potuit: Nulla vis vaporum intus latens, ut suprà, ex modo quo genita fuit hæc massa, ostendimus: nullus externus impetus, cùm circumfusâ aquâ muniebatur; quæ etiam cùm ex omni parte æqualiter ad medium terræ vergebat, suppositi fundi partes æqualiter compressas, & situ uniformes tenuit. Prætereà, si fingeremus à causis incognitis, asperam reddi hanc superficiem, asperitates illæ qualescunque in molli materiâ & semiliquidâ, actione superlabentis aquæ delamberentur. Denique, si res agenda esset hujusmodi causis lentis incertísque, vel æternùm stetisset sub aquis Tellus, vel non nisi post longa secula emersisset.

Sed quorsùm immoramur hisce argumentationibus? quomodocunque enim emerserit Tellus, aut quandocunque in formam siccam & asperam, nempe hodiernam, vel hodiernæ similem, eo ipso esset incapax diluvii, & immersabilis, ut anteà capite secundo fusè ostendimus. Quare manet usque eadem difficultas de diluvio universali, terris subitò inducto, subitóque reducto. Cùm enim de diluvio universali loquimur, non loquimur de formâ aqueâ permanente telluris, sed de transeunte, qualis nulla ex hâc hypothesi exhiberi potest: Eo enim modo quo juxta has & hujusmodi hypotheses mutationes magnæ & transformationes telluris explicantur, accidere debent lentè, sensim & per partes, non nisi multorum seculorum decursu consummandæ; & abire eodem modo & gradu: quod historiæ & circumstantiis diluvii universalis minimè congruit.

Denique, ut claudamus omnia, suprà memoravimus in globo nostro supereſſe quædam indicia ruinæ universalis, sive quæ monstrant totam terram exteriorem dissolutam esse, & situ naturali dimotam: Istiusmodi est elevatio partium mediterranearum, & declivitas versùs mare, ipsiúsque alvei maris declivitas versùs medias partes. Eandem etiam ruinam

nam fuiſſe ſubitaneam, & quaſi totam ſimul; antiquiſſimam etiam & à cauſis ſingularibus profectam, quæ hodiè non obtinent; non tantùm à rationibus diluvii patet, ſed quòd nihil ſimile, aut vident dies noſtri, aut meminerunt antiquiſſimi Scriptores. Quis conſcripſit origines *Alpium*, aut *Caucaſi*; aut montium Lunæ natales? quoto Urbis conditæ, aut Olympiadum nati ſunt? Urbium & Oppidorum initia, etiam terræmotuum & eluvionum, & Cometarum, & novorum ſyderum, qualitercunque notârunt tempora, cæteráſque mutationes inſignes & notabiles, ſive prodigia, ut dici ſolent, in Cœlo aut in Terrâ; ſed montium exordia nemo commemoravit, in nullis monumentis reperiuntur; nec ſcriptis, nec levi aliquâ traditione, memoriæ prodita: quanquam etiam rerum iſtiuſmodi novarum & inſolentium avidiſſima ſit Natura humana, atque fama tenaciſſima. Agrum aliquem intumuiſſe, atque novum inde collem aut clivum exortum eſſe, quis forſan literis tradidit; aut à patribus fortè receptum eſt: ſed quid hoc ad maximas terræ moles, *Atlantem*, *Taurum*, *Riphæos* montes, ingentiſſima corpora, & quæ majeſtatem quandam præ ſe ferunt & venerandam antiquitatem? Denique qui montium originem à Terræmotibus deducunt & hujuſmodi ruinis, fatentur Eos non extitiſſe in primâ Telluris origine, quinimò nec a multis exinde ſæculis. Sed vereor nè nimius ſim in hoc argumento, in quo libentiùs orationem ſe dilatare paſſus ſum, quòd integram Theoriam ferè comprehendat. Duæ enim ſunt hypotheſes præter noſtram, de ortu montium, maris cavitatum, cæterarùmque terræ hodiernæ inæqualitatum: quarum una in eo convenit cum noſtrâ, quòd fractiones & ruinas admittat, ſed particulares tantùm & quotidianas, quales ab aquis, ignibus, & halitibus ſubterraneis proficiſci ſolent; altera nullas ruinas admittit, ut cauſas prædictorum Phænomenôn, ſed tellurem in hâc formâ immediatè à Deo productam ſtatuit; quam, utì ſequenti capite tractaturi ſumus, ità hanc, quantum ſatis eſſet ad expoſitionem & examen alterius, animus erat in hoc capite perſequi.

Intereà cùm hæc ità ſe habeant, conſtétque rationibus certis globum noſtrum non tantùm terraqueum eſſe & montoſum, ſed etiam in exteriore regione çonfractum; ſi conjecturis locus eſſe poſſet, ſuſpicarer etiam in cæteris Planetis

tis eandem formam generalem, rerúmque ordinem obtinere. Notum est Planetas esse corpora opaca, Lunámque nominatim esse globum terraqueum & montosum, quod à dissolutione & confractione Compagis ipsius exterioris proveniisse, ut in tellure nostrâ, si de rebus similibus similiter judicandum sit, non improbabile est. Prætereà si macularum, quas in *Venere* & *Marte*, obsérvârunt, eadem sit ratio, ac in Lunâ, erunt etiam Globi terraquei; in statu præter propter simili cum Lunâ & Terrâ, nec à causis forsan dissimilibus. Nec aliter de *Saturno* sentiendum est: sed compages ipsius exterior non videtur tota simul dissiluisse, aut in suam Abyssum delapsa esse; sed ruptis & labentibus partibus polaribus, medias permansisse, & se sustinuisse mutuò per modum fornicis circa corpus Planetæ, sive pontis cujusdam superstructi Oceano *Saturni*. *Mercurius*, Soli proximus, quâ sit facie non satis constat. *Jovis* autem mihi videtur antediluviana: Quùm perpetuum Æquinoctium hucusq; retineat, ut Tellus Primæva. Denique, cùm omnes Planetæ qui in Cœlo nostro continentur, atque ejusdem Solis alumni sunt, aliquâ cognatione & similitudine inter se conjungi videantur, atq; eadem ferè habere phœnomena generalia; cumq; ratio quâ Planetam Nostrum ex suo Chao deduximus, satis ampla sit, ut ad plures extendi possit, debeátque, ut videtur, ad omnes extendi in quibus eadem elementa reperiuntur, sive partes originariæ; Verisimile mihi videtur omnes Planetas Cœli nostri processisse ex Chao eodem ferè modo, easdem regiones elementares habuisse, & compagem orbémve exteriorem suæ Abyssо superstructum; denique, suum quemq; diluvium passum esse, aut passurum. Hæc, inquam, ità se habere facilè crederem, in quantum de rebus valdè remotis & inaccessis per rationes verisimiles quicquam statuere liceat.

Liceat prætereà ex contemplatione telluris, talis, qualem exhibuimus & demonstravimus, in aliam cogitationem descendere, non minoris quidem momenti, & quæ faciliorem aditum dabit ad theoriam nostram, & non parùm ponderis. Cùm Terram nostram mole exiguam, formâ rudem, exteriùs interiúsq; intueor; atque ex alterâ parte respiciam ad immensam Dei potentiam, sapientiámq; & bonitatem; difficulter à me impetrare possum, ut credam, hanc qualemcunq;

cunque massam esse totum illud, quod Deus uspiam creavit habitabile, aut in quo ordinando & excolendo totam curam operámq; posuit. Apud omnes receptum est, Tellurem esse instar puncti, si ad totum universum comparetur; atque hujusce puncti partem dimidiam occupat Oceanus, alterius dimidii, quod supereſt, magnam partem Montes, aliqualem deserta, eremi, Solitudines, lacus prætereà, & paludes, sylvæ & saltus, & regiones inhospitales aut frigore, aut sterilitate: quibus omnibus amputatis, vix credam supereſſe dimidiam partem terræ firmæ, quæ vel commodiusculè habitari possit. Deus bone, quantulum patrimonium! ex quadrante puncti hæredes sumus.

Prætereà, cùm tellus nostra, formæ adeò neglectæ, inordinatæ, & multis modis incommodæ sit, argumento mihi videtur, huic instruendæ & adornandæ non omnem impendisse operam Providentiam; nec hanc esse sedes unicas, atque loca sola totius Universi, quæ habitari possunt. Ædem modicam simul & sordidam, pauperis est exstruere; & quo minor est Regis aut Potentis domus, eò solet esse elegantior: turpe enim est in palatio parvo, aliquid esse superflui aut confusi.

Ità tamen res est in tellure nostrâ, quæ cùm exigua sit, est etiam rudis: & in illâ exiguitate multa sunt superflua, multa inelegantia. Dimidiam terræ superficiem inundat Oceanus, magnâ ex parte, ut mihi videtur, inutilis; nam altero tanto minus aquæ, conductæ per alveos benè dispositos circa terrarum orbem, fluviisque suis aptatos, & ad ornandam tellurem, & commercio exercendo inserviissent aptiùs, cæterisque usibus humanis. Itidem siquis tot & tantorum montium in terra, necessitatem quæreret, aut utilitatem, ad educendos fontes, ad recipienda Metalla, ad præbenda saxa, *&c.* ex innumeris paucos forsan inveniret, qui his funguntur officiis: cæteri verò quid valent aut proficiunt rebus humanis? aut si amoliri liceret, quid deesset rerum naturæ, nisi inutilia quædam telluris pondera?

Prætereà, sapiens optimúsque Author in suo parvo mundo atque unico, tanta posuisset inania! deserta & solitudines inhabitabiles; loca horrida, tristia, squalentia, nuda & infrugifera; ídque per regiones magnas & vastos terrarum tractus porrecta, in quibus nullus Mortalium sedem figere,

aut

aut vitam vel tenuem sustinere posset? Tenuem dico, non enim hîc vinum poscimus, aut frumentum, aut carnes animalium, nec vestimenta; fac tantùm ut sint fontes aquarum, & poma & nuces, & viliſſimæ fruges: sed horum nihil quicquam occurrit, nec aliud quàm ſiccæ arenæ & dura saxa. Frustrà quæreres, vel ad signandam viam, arborem; sed viatori utendum est magnetis ope, ut in Oceano; atque omnia sua secum portanda, ut in longâ navigatione. Talia sunt magna *Africæ*, & præsertim *Libyæ* deserta; *Arabiæ* petrosæ & arenosæ; *Tartariæ* item, & multa alia.

Denique ex iis regionibus terræ quæ habitantur qualitercunque, quàm multæ sunt in quibus incommodè habitatur, & miserè vivitur, tam propter Cœli inclementiam & intemperiem, quàm infelicitatem soli? Per totas ferè Zonas frigidas, ut fertur, ità res est; pauci & squalidi incolæ, rudes, barbari moribus, ingenio, & modo vivendi: si tamen vivere dici possint, qui non aurâ vescuntur æthereâ, sed aëre nebuloso & crassis halitibus; obvolvuntur tenebris, & per longissimas hyemes incredibilis est sævitia frigoris, nivis, imbrium, & ventorum; quam ipsi Ursi, & immites feræ vix ferre possunt.

Inter incommoda terræ nostræ, quid referam lacus insalubres, & quæ nulli, quòd sciam, usui sunt, fœtidas paludes? Aërem corrumpunt, animalia venenata generant; saltem, ut cætera multa, montes, saltus, ericeta, campi steriles, magna spatia parvæ telluris inutiliter occupant: atque hæc domûs nostræ sunt veluti inania & inepta cœnacula, nullo apparatu, nullâ supellectile instructa. Ità etiam cellæ & hypogæa innumera sunt, cavernas terræ intelligo vacuas & inutiles; quæ sordibus replentur, & animalculis noxiis; & halitibus quandoque, qui accensi, aut aliter agitati, ipsa fundamenta concutiunt, & tectum & parietes diffringunt.

Ut verbo dicam omnia, Si respiciamus immensam copiam aquarum in globo nostro; si magnitudinem & multitudinem montium; si regiones propter Cœli inclementiam vix habitabiles, desertas, terrásque steriles; denique si loca palustria, & cavernas subterraneas, fatebimur primas maximásque partes mundi nostri, piscibus, feris, & reptilibus dicatas esse: ut meritò Naturam erciscundæ familiæ postulare posse videamur.

Intereà, hunc mundum piſcium, ferarum, & reptilium, uni-genitum, ſi ità loqui liceat, Dei mundum, æquum eſt ut reputemus? Hoc utique eſſet & dignitatem Dei offendere, ut mihi videtur, & humani generis. Si unicum Dei opus eſſet, & ſingulare in eo genere, eſſet proculdubiò in eodem genere perfectum, omnibúſque numeris abſolutum: tam ratione formæ, quàm qualitatum materiæ; tam ratione Cœli, quàm ſoli; denique ſedes præſtaret ſuis incolis omnimodè commodas, beatas & paradiſiacas.

Atque talem fuiſſe olim Tellurem forſan dices, nempè cùm primùm formata, recens exiit è manibus Dei; ſed degeneravit poſteà, degenerante humano genere. Rectè quidem, ego etiam idem ſentio: ſed quomodo degeneravit tellus? Non tantùm mutando qualitates ſuæ materiæ, ſed tandem formam etiam, diſſolutâ ipſius compage; ea enim quæ notavimus hodiernæ telluris incommoda & deformitates, ratione formæ potiùs oriuntur quàm materiæ. Quare, ad liberandam Providentiam, nobiſcum dicendum eſt, non eandem fuiſſe formam telluris primigeniæ ſeu Paradiſiacæ, ac eſt hodiernæ; hoc autem admiſſo, atque hanc terram non unicum eſſe locum habitabilem totius univerſi, ab omni incommodo aut difficultate objectâ facilè nos expediemus. Quòd enim orbis noſter mole exiguus ſit, id Naturæ non poteſt eſſe opprobrio, ſi non niſi unus è multis ſit; nec quòd ſit formâ rudis, cùm iſtius orbis primigenii, juxta Theoriam noſtram, non niſi reliquias & rudera habitemus: non ideò mirabimur conſtructionem ipſius eſſe parùm regularem, aut uniformem; tantúmque abeſt ut indè inuri poſſit aliqua macula Divinæ Sapientiæ, ut eandem mirari potiùs debeamus; quæ etiam ruinæ partes ità diſpoſuit, ut ſupereſſent habitationes humano generi; & ſub novâ facie, novâque rerum ſerie, alter mundus emergeret.

Atque hæc hactenus. Erat mihi animus in fine hujus Capitis notâſſe aliquas formas Telluris, & ipſius tractuum magìs particulares; & diverſos modos ſitûs regionum terræ; cauſaſque generales iſtius diverſitatis: Sed cùm paucorum curioſitas eò uſque progreſſura ſit, viſus eſſem forſan argumentum onerare minutiis; quare ſatiùs duxi, datis principiis, applicatíſque ad maximas Telluris inæqualitates, cæterarum explicationem cujuſque ingenio ac otio relinquere.

CAP.

CAP. Ultimum.

Respondetur explicationibus Theologicis hodiernæ formæ Telluris. Hypothesis nostra de terrâ superabyssinâ ulteriùs confirmatur. Monitum de recursu ad causam primam, & ad miracula.

QUANQUAM Theoria nostra de ortu Telluris, ipsiúsque dissolutione, nihil mutet in rationibus fidei, neque illum rerum ordinem ullo modo attingat; cùm tota consistat intra terminos mitissimæ Philosophiæ: Quoniam tamen de eâdem h c materiâ sermones instituerunt Authores Sacri, in ipsorum verbis & narrationibus forsan occurret aliquid, quod explicationibus nostris opponi possit.

Notavimus antea circa formam Telluris hodiernam, duas esse opiniones præter nostram; quarum una est Philosophica, & per ruinas fractionésque, sed particulares & successivas, omnes inæqualitates terræ explicat; quam præcedente capite examinavimus: Altera est Theologica, quæ sine causis secundis rem totam expedit, ad efficacem Dei potentiam immediatè referens, quicquid aliàs explicatu esset arduum. Nempe aiunt, neque ruinas, neque fractiones ullas intercessisse, aut necessarias fuisse ad inducendum Telluri, quotquot habet, inæqualitates & irregularitates; verbo Dei excavatum esse alveum maris, ab ipso rerum initio, & aggestos montes, & perforatam terram innumeris in locis ad efficiendas cavernas; idque eo tempore factum, cùm tertio die creationis Deus fecit apparere Aridam, jussis aquis se recipere in unum locum. Quanquam enim nulla mentio facta sit montium eo die, neque quidem ullo alio creationis die, id tamen intelligi debere dicunt ex eo, quòd, cùm Deus excavârit corpus terræ ad construendum alveum maris, terra ejecta & ad littora aggesta, eo ipso constituebat montes. Cogitatio, ut mihi videtur, satìs crassa. Sed c ìm à multis Theologis recepta sit, nec suppetat alia aptior aut verisimilior,

lior, ſi nullas ruinas admittamus in cauſas hodiernæ formæ telluris, hanc ſententiam examini hîc ſubjiciemus.

Et notandum primò, quam conſequentiarum ſeriem poſt ſe trahit hæc opinio vel expoſitio : Supponit hodiernam telluris formam fuiſſe originariam, & ab ipſo rerum initio durâſſe immutatam : quæ videtur opinio iſtorum Irriſorum, qui apud Sanctum *Petrum* dixerunt, *Ex quo obdormierunt Patres à principio creationis omnia permanſerunt eadem.* Ad quos refutandos Apoſtolus manifeſtè diſtinguit mundum originarium ab hodierno, ob peculiarem utriuſque conſtructionem, atque eò propter ait Antiquum aquis periiſſe, atque hodiernum igne periturum eſſe : Ut capite quarto fusè oſtendimus. Secundò, difficultas ſive impoſſibilitas explicandi Diluvium comitatur hanc ſententiam. Tertiò, ii, quibus ea placet, oportet oſtendant omnes proprietates Paradiſi, atque omnia ipſius Phænomena obtinere potuiſſe in hâc formâ telluris : cujus contrarium libro ſecundo probaturi ſumus. Quartò, oportet oſtendant, hodiernæ telluris conſtructionem non eſſe deformem aut incommodam ; cùm iſtiuſmodi fuiſſe naturam integram, nempe primum & proximum Dei opificium, minùs honeſtum eſſet fingere, aut planè iniquum. Quintò, oportet reſpondeant omnibus argumentis & indiciis diſſolutionis & ruinæ, quæ à Natura rerum deſumpſimus, & explicuimus, capitibus 7, 8, 9, & 10. Denique iis reſpondendum erit, quæ jam objecturi ſumus contra hunc modum producendi vel formandi tellurem noſtram.

Ponamus igitur ante oculos Globum telluris ſub eâ formâ, quam habuit ante productionem Aridæ, ut in ſequenti Figurâ ; hæc terra ſubaquanea erat æquabilis, ex conſenſu omnium, tam Theologorum quàm Philoſophorum ; ſupponamus jam tantam foſſam in eâdem factam, quanta ſatis eſſet ad capiendum aquas Abyſſi, Oceanúmque noſtrum repræſentaret ; atque ex terrâ ejectâ aut extrusâ montes terræ factos eſſe : Sequitur hinc montes terræ ſimul ſumptos, capacitatem Oceani repleturos, quoniam ex eâ deſumpti erant ; Quod tamen minimè fieri poſſe, facili calculo apertiſſimè conſtat. Nam Oceanus occupat dimidiam ſuperficiem totius globi, alterum dimidium tenet Arida ; maxima profunditas Oceani reſpondeat maximæ altitudini montium, & mediocris mediocri : Terra itaque ejecta ex hâc foſsâ ſatis eſſe deberet

ad

Pag. 87.



ad cooperiundam totam faciem Aridæ vel maximis vel mediocribus montibus; cùm tamen non occupant montes dimidium Aridæ, nec quidem quadrantem aut ſextantem, ideóque nec ſextantem Oceani implerent.

Id etiam aliter probari poteſt, comparando montes cum primâ Abyſſo: Quicquid eſt aquarum in Oceano, vel alibi terrarum, erat olim ſuper terram, cùm Tellus ſtetit Abyſſo circumdata: Factâ itaque foſsâ Oceani, terra indè ejecta tantum loci occupare deberet in ſuperficie telluris, quantum ibi occupabat anteà aqua quæ in eam foſſam intravit; ſive montes æquales eſſe deberent Antiquæ Abyſſo; ſunt autem omnes aggregati multò minores: ideóque neque eâ ratione exorti ſunt. Ponamus ex. gr. Abyſſum altero tanto minùs profundam fuiſſe hodierno Oceano, ſive profunditate ſuâ reſpondiſſe mediocrium montium altitudini; tota ipſius moles neceſſariò ſuperaret, ídque multis vicibus, aggregatum omnium montium: Cùm enim Abyſſus totam globi ſuperficiem operiebat, ut reſponderet calculus, deberent occupare montes

montes dimidium ejuſdem globi, ſive totam Aridam; atque ulteriùs ſupponere oporteret montes illos eſſe omnes maximos, ſive primæ magnitudinis, ut unuſquiſque eſſet altitudinis duplæ ad profunditatem Abyſſi; & conjunctiſſimos, ut quaſi novam regionem terræ conſtituerent. Quòd ſi eoſdem conſideremus diſperſos, ut jam ſunt, & disjunctos, nec niſi per viceſimam circiter globi noſtri partem protenſos; ad compenſandum defectum deberent eſſe prodigioſiſſimæ altitudinis, juxta hunc modum generationis, nempe decies circiter altiores quàm jam ſunt. Quare manifeſtum eſt, rationem montium terræ, & proportionem, ſive ad alveum maris, ſive ad Abyſſum primigeniam, huic opinioni de ipſorum origine, minimè reſpondere: Ac uti reverà majores ſunt montes quàm ut ex contingentibus motibus & mutationibus terræ oriri potuerint, ut alii ſupponunt; ità minores ſunt quàm ut moli Oceani aut Abyſſi primæ reſpondeant, ut ab his ſupponitur.

Prætereà ex ſitu quorundam montium, ab omni mari longè diſſitorum, præſumere licet, mediterraneos illos, quicquid de litoralibus fingamus, non egeſtos eſſe ex lacunis maris, tortóſque & vibratos per aërem in regiones terrarum longè remotas. Quomodò autem facta ſunt barathra ſubterranea, quæ nullo patent in aërem hiatu, per quem evacuari potuerint; quomodo conſumpta ſunt ipſorum viſcera, aut quò projecta? Denique ex hâc ſuppoſitione, montes eſſent corpora introrſum ſolida, & ſolidæ baſe terræ applicata; quod rariſſimè contingit; ſunt enim ferè cavernoſi omnes, & ſubeſi, tam corpore quam radicibus; atque eò propter terræ motibus obnoxii: Neque materiæ, quâ componuntur, plerumq; ſaxeæ; neque formæ, quæ ſæpè itidem eſt molis duræ, fractæ, hæc opinio reſpondet.

Et quidem hi Authores fingunt ſibi falſiſſimam ideam Telluris: Concipiunt enim primò orbem noſtrum habitabilem inſtar ſuperficiei lævis, integræ & unitæ, qualis nempe erat fundus Abyſſi; ſive terra ſubabyſſina: & dein factâ hîc foſſâ pro Oceano, huic ſuperficiei aridæ tanquam additamenta quædam, ſuperimponunt hîc illîc moles montium & ſcopulorum.

At

At verò montes & elevationes terrarum non sunt mera agglutinamenta Terræ exterioris, sed ipsius vivæ & continuæ partes: quæ protenduntur integræ quandoque usque ad fundum Abyssi, vel Oceani, ut in scopulis litoralibus videre est. Nec datur ulla regio aut superficies in orbe nostro, cui, tanquam fundo immobili, agglutinari poterant: hoc est, nulla datur regio aut superficies quæ pro terrâ subabyssinâ haberi posset, aut quæ permansit immota, & in eodem situ ab initio rerum. Quod patet, non tantùm per rupta strata interiora & venas terræ, cæteráque ex quibus in præcedente capite exteriorem regionem terræ confractam, & divulsam esse monstravimus: sed etiam quòd sumptâ quâcunque superficie, aut cute terræ, si eandem ulteriùs persequamur, alicubi abruptam deficere reperiemus, nec per totam regionem Aridæ integrâ & æquabili convexitate continuari. Exempli gratiâ, siqua esset hujusmodi superficies aut regio qualem illi fingunt, esset aut valles, valliúmque superficies continuata, aut planities terrarum. Valles quod spectat, sunt inæqualis libellæ inter se, perinde ac cum cæterâ terrâ: earúmque nonnullæ adeò sunt profundæ, ut longè infra superficiem Oceani in ipsa terræ viscera descendant, eas intelligo quæ profundorum lacuum receptacula sunt. Planities etiam non sunt inter se æque-altæ; etiam ad eandem distantiam à mari: & mediterraneæ plerumque sunt altiores litoralibus. Præterea sunt inclinatæ in suis partibus, nec planæ ad libellam. Quanquam enim in multis planitiebus, oculo judice, nulla sit inclinatio; tamen si longiusculè protendantur, vel ex cursu fluminum, vel à differentiâ & inæqualitate horizontis sensibilis, situs inæqualitas deprehenditur.

Denique sumptâ quâcunque superficie, nulla est uniformis libratio terrarum: Non tantùm in eâdem Continente, sed in eâdem Regione, in eâdem Provinciâ, in eodem agro, partium diversus & multiformis situs est; Idque acceptâ quâvis lineâ in Orientem, aut Meridiem, plagâlve contrarias, aut intermedias. Et quanquam innumeræ sint diversitates & inæqualitates, cùm inter se comparantur partes terræ; certissimum tamen est situm communem tractuum terræ esse inclinatum, quandoque magis, quandoque minùs; quandoque in hanc partem, quandoque in illam, secundùm omnes modos & gradus inclinationis: & planè frustrà sunt,

qui communem aliquam ſuperficiem in terrâ noſtrâ quærunt, æquè altam per omnes ſuas partes & regiones, cui veluti ſedi & ſolo firmo, ardua terrarum atque omnes inæqualitates ſuperextruantur.

Patet igitur, ex omni parte, & multifariis rationibus, modum illum Theologicum generandi montes, cæteraſque Terræ inæqualitates, Phænomenis non reſpondere: nec alveum Oceani, eam, quam fingunt, habuiſſe originem. Præterea, aliunde probabile eſt, Oceanum non fuiſſe apertum & diſcluſum ab initio rerum: Neque Orbem primum habitabilem fractum fuiſſe in tot Terras & Terrellas, ex quibus jam totus componitur. Prima enim propagatio & traductio hominum & animalium in tot mundos ſeparatos, nimis incommoda fuiſſet, ſi non impoſſibilis explicatu. Et quoad alveum Oceani, ipſius originem & apertionem, ex diruptione Abyſſi in Diluvio, clarè & diſtinctè percipimus: concurrente in eandem ſententiam totius naturæ hodiernâ facie.

Quod verò nonnulli per Abyſſum Ante-diluvianam, cujus diſruptione factum eſt Diluvium, mare noſtrum, ſub hodiernâ formâ, intelligi vellent, minimè id recipi poteſt ob multas rationes. Primò, quòd nullâ maris noſtri inundatione ſatis aquarum effluere poterat ad ſubmergendam terram, ut capite ſecundo oſtendimus: Nec fingi poteſt ratio & modus hujuſmodi effluxionis, cùm mare & terra ſimul Globum conſtituant, & ſuperficies maris multò depreſſior ſit locis mediterraneis, nec altior cæteris. Quare ſi omnes ſcopulos ſepoſitos & remotos ab oris maris ſupponeremus, ipſiúſque litora, quaquà patent, plana & aqualiter ſtrata, nulla tamen ſequeretur inundatio; neque etiam quanquam terræ facies tota eſſet lævis & disjectis montibus complanata: atque eadem eſt ratio de aquis quibuſcunque inter terræ viſcera reconditis, ac de mari. Præterea, ſi per *Tehom-rabbah* nihil aliud intellexit *Moſes*, quàm mare communiter ſic dictum, quare non uſus eſt potius eâ voce Hebraicâ quâ mare ſimpliciter exprimitur? At nullibi in hiſtoriâ diluvii vox ea occurrit, nec maris fit ulla mentio per totam illam narrationem. Vox *Tehom-rabbah* poteſt quidem applicari ad ſignificandum mare, quemadmodum poteſt ad quamlibet aquarum voraginem; non eſt autem pro eâ re, ſive eâ parte naturæ, vox certa & propria: quali in ſimplici-

nar-

narratione usurum fuisse Historicum, si è re suâ fuisset, verisimiliter concludi potest. Denique quinam quæso sunt illi fontes vel thesauri maris, quorum disruptione factum est diluvium? Per disruptionem fontium, omnes intelligunt disruptionem terræ, quæ fontes aquarum cooperiebat: Fontes enim aliter disrumpi non possunt. Aquæ igitur illæ sive illius Abyssi, terrâ coopertæ erant; quod cùm non sint aquæ maris nostri, eo situ & formâ quibus jam sunt, nec intelligi hîc possunt per Abyssum magnam. Atque ut illud hîc obiter notem, si *Tehom-rabbah Mosaicum*, cujus disruptione factum est diluvium, non erat mare nostrum, eâ quâ jam est formâ & situ; sed alia quædam Aquarûm vorago, non minùs immensa, vel potiùs omni ratione major: certissimum est tellurem illam ante-diluvianam non eandem cum hodiernâ formam habuisse; in hodiernâ enim nulla est abyssus aut vorago aquarum, quæ Oceanum æquare, multò minùs superare possit.

Atque hæc notâsse sufficiat ad refellendam sententiam communem de origine montium & maris, in principio rerum. Sed iidem Authores primum Orbem habitabilem, sive primam Aridam, eodem ferè modo factum esse volunt. Nempè Aquam Abyssi, quæ totam primò Terram operiebat, in fossas quasdam derivatam esse: terrámque ab aquis derelictam, unà cum augmentis glebarum & pulverum ex his fossis erutorum, orbem primum habitabilem constituisse. Sententia, ut mihi videtur, alterâ, quam refutavimus, non minùs crassa. Nos nec fossas, nec fodinas, nec excavationes quascunque, aut derivationes supponimus; sed Abyssum Terramque subabyssinam, in suis sedibus integras & illæsas relinquentes, utrique superstruimus Orbem, eo, quo suprà dictum est, modo; in habitationem, tam hominibus, Cap. 5.
quàm animalibus, commodissimam.

Hæ duæ hypotheses quorundam Theologorum, cùm pendeant à se invicem & cohæreant, refutatâ primâ, secunda etiam corruit: Sed, præter jam dicta, notare licet ulteriùs, factâ hujusmodi excavatione Terræ in certis locis, & accumulatione in aliis, mutaretur æquilibrium Telluris, & gravitatis centrum, adeoque & totius corporis situs: nisi æqualis esset hæc egestio & accumulatio ex utrâque parte æquatoris: quod de globo nostro Terraqueo non constat, cùm multò

plus terrarum compareat ex parte Borealî æquatoris, quàm ex alterâ. Præterea, hæc perturbatio rerum, manu Dei perficienda, incongruum quid & inscitum mihi videtur. Supponunt Deum primò suis sedibus disposuisse singula elementa: Dein eadem, suis sedibus, ac si opus suum retractasset, exturbâsse: &, nescio quâ vi, in situm inordinatum & violentum compulisse. Denique, si hoc modo fingeremus nudatum esse fundum Abyssi, solum illud subabyssinum ratione materiæ & qualitatum, non esset idonei temperamenti ad constituendum primum orbem habitabilem. Cùm enim pro gignendis plantis & animalibus, quorum fœcunda mater & nutrix erat recens Tellus, aptus esse deberet orbis ille, ex materiâ levi & rariori, pingui & fibrosâ, ut constaret, necessum fuit: Materia autem solida, partibus crassis & brevibus, macris & ponderosis constans, quales fundum Abyssi petebant, solum insœcundum constitueret, & seminarium ineptum procreandis animalibus, & principiis rerum; ejusdem saltem cum nostris temperamenti & indolis. Præterea materia oleaginea in specie, quâ scatet orbis exterior terræ, omnisque ipsius apparatus, tam animalis, quàm vegetativus, in terrâ illâ subabyssinâ vix reperiri debuit; nullâ saltem copiâ. Cùm enim partes oleagineæ leviores sint non tantùm terrestribus, sed etiam aqueis, quâ ratione imum Abyssi peterent, aut locum infimum? in illo, scilicet, rerum statu libero, ubi pro ratione suæ gravitatis quodque sedem capessebat. Sed de hâc re satis.

Quod si eò confugias ultimò, ut, abdicatâ hâc hypothesi fossarum & lacunarum, per elevationes & tumores Terræ has aquas Abyssi excutere tentes, ad constituendum Aridam, neque ea ratione efficies, quod cupis. Fieri enim non potest ullo modo, ut tota moles Aridæ, non tantùm montes, aut quod campis & planitiebus eminet, vallibúsve profundissimis, sed quicquid porrigitur imis radicibus usque deorsùm ad maximam profunditatem Oceani: Fieri, inquam, non potest, ut tota illa moles materiæ desumpta fuerit, aut protrusa ex massâ terræ subabyssinæ. Fingendæ enim essent ingentissimæ voragines & cavitates, in imis visceribus terræ, multò inferiores ipsius Oceani alveo, eodémque multò majores: quæ satis essent, non tantùm capiendis & resorbendis omnibus montibus terræ, sed toti ipsius regioni superiori, ad profun-

funditatem ubique æqualem medii Oceani fundo; totum enim illud egestum & explosum supponunt ex massâ subabyssinâ. At siquæ essent hujusmodi cavitates, cùm alveo Oceani profundiores & inferiores essent, eò fluerent omnes aquæ maris, fossámque siccam & hiantem, qualem suprà descripsimus capite octavo, relinquerent; itidem flumina, quæ se exonerant cuncta in mare, & fontes aquarum omnes exarescerent: neque orbis noster omninò esset habitabilis.

His ità expositis & demonstratis, omnibus Theologorum, de origine Montium, Maris, & primæ Aridæ, philosophematis, satis responsum esse existimo. Quod reliquum est, Siquis amore & studiis philosophiæ aliquantulùm imbutus, hodiernam rerum faciem contempletur, non poterit non advertere, telluris nostræ elementa & corpora majora non esse dispositа secundùm leges & ordinem naturæ: cùm moles illæ montium, scopulorum, & rupium, supremæ sint, Aquæ in imas partes terræ deductæ, atque aër sæpe inclusus in cavernosis ipsius visceribus. Cúmque præterea recordetur, olim hæc aliter dispositа fuisse, cùm in massâ primigeniâ terra infimum locum tenuit, & cætera sedes sibi proprias; Atque demum apud se exquirat, animo libero & aliorum imperiis soluto, quæ causæ esse potuerint hujus mutati ordinis & præternaturalis situs rerum, persuasum habeo, eum vel ex hoc solo agniturum, compagem illam superabyssimam necessariò introducendam esse. Denique cùm cætera cuncta phænomena adjunxerit, quæ vel ex historiâ sacrâ, vel historiâ naturali deprompsimus & exposuimus, viderítque eandem respondere singulis; & complecti omnia quæ vel originem terræ, vel hodiernum ipsius statum, vel mutationes intermedias respicere possint; fatebitur, aut verum nos inveniisse rerum ordinem, aut adeò verisimilem, ut nullis indiciis aut argumentis à vero discerni possit.

Atque hæc de subjectâ materiâ sufficiant; Liceat mihi Coronidis loco adjicere unum atque alterum monitum de recursu ad primam causam & ad miracula. Illud in usu est apud multos, cùm rerum causas ignorant, in Deum conjicere omnia; quasi inter primam & ultimam causam nullum esset intervallum, nullæ causæ intermediæ; Et quo minùs instructi sumus rerum scientiis, eò magis proclives sumus in hoc vitium. Omnibus enim innatum est desiderium scien-

di-

di rerum causas, quas cùm attingere non possunt, fingunt nullas esse præter primam, atque eo modo se æquant sapientissimis. Ità quidem consulitur ignorantiæ nostræ, quæ indè occultatur quodammodo: Sed parùm prospicitur Majestati Dei, dum quamlibet Naturæ formam, degeneris licèt & corruptæ, immediatè à sanctissimâ Ideâ mentis divinæ ità eductam esse, incautè affirmamus. Est quædam sanctitas in primo rerum ordine, qui digitos Dei quasi tetigit, & efflux-it proximè à cogitatione divinâ: neque ad hanc supremam originem temerè & promiscuè referenda est quælibet rerum facies. Simplicitate quâdam pulchrâ & fœcundâ omnia formata sunt ab initio; mensurâ, numero, & pondere justa: Cùm nulla esset ratio cur hic primus rerum ordo à rectitudine deflecteret: Sed degenerante mundo animato, & inanimatum degenerare quodammodò ratio postularet, & sapientia & justitia divina: quem ideò vanitati & corruptioni subjici, ab Apostolo ad *Romanos* octavo dici videtur, ubi manifestò loquitur de mundo inanimato & naturali, & de mutatione aliquâ in pejus, in eodem factâ. Ego quidem cùm perturbatam formam hodiernæ telluris intueor, qualem Cap. 7, 8, 9, 10. ostendimus, minimè ausim dicere, hæc ità stetisse immutata ab ipso rerum ortu, neque alius fabricæ mundum enixam esse æternam Sapientiam.

Ac uti in deducendis rerum originibus non temerè recurrendum est ad primam causam; ità nec in explicandis effectis singularibus, ad Miracula: hoc omnes agnoscunt, atque etiam frustrà ac temerè eò recurri, cùm res aliunde per causas naturales satis explicari potest. Satis autem explicatur aliquod phænomenon, cujus rationes redduntur adæquatè, idque juxta analogiam Naturæ: ità scilicet, ut cætera Natura eidem explicationi consentiat & suffragetur. Atque propterea rationes à nobis allatas ad explicandum diluvium universale, non tantùm deduximus a primo Chao, sed etiam confirmavimus per consensum & connexionem totius Naturæ: ut in hâc materiâ (modò partem utramq; satis aptè explicuerimus) nihil ultrà desiderari posse videatur. Intereà cùm non omnes à Naturâ ità compositi simus, ut philosophiæ studiis delectemur; neque etiam liceat multis, propter occupationes vitæ, iisdem vacare, quibus per ingenium licuisset: iis jure permittendum est, compendiariò sapere; & reli-

relictis viis Naturæ & causarum secundarum, quæ sæpe longiusculæ sunt, per causas superiores philosophari; idque potissimùm, cùm ex piis affectibus id quandoque fieri possit; quibus, vel malè fundatis aliquid dandum esse existimo, modò non sint turbulenti. Denique cùm certissimum sit à divinâ providentiâ pendere res omnes, cujuscunque ordinis; & ab eâdem vera miracula edita esse: quibus, nobiscum convenit de hisce principiis, in assignandis rerum causis, iis semper liberum, per me licet, esto Judicium; modò parem libertatem aliis concedant, neque per importunam ignorantiam in ea se imperiosè ingerant, quæ non pernoscunt.

TELLURIS

TELLURIS Theoria Sacra:

ORBIS NOSTRI

ORIGINEM & MUTATIONES

Generales, quas

Aut jam ſubiit, aut olim ſubiturus eſt,

COMPLECTENS.

LIBER SECUNDUS

DE

Tellure Primigeniâ & de Paradiſo.

EDITIO TERTIA.

AUTHORE *T. BURNETIO.*

LONDINI,

Impenſis *Benj. Took*, MDCCII.

PRÆFATIO.

SIQUIS Historiam mundi Philosophicè conscriberet, atque rerum humanarum seriem cum suis causis & rationibus, in quantum definiri possunt, exponere aggrederetur, quod esset genus operis verè aureum; Oporteret eum notare primo loco varias Naturæ facies & vicissitudines quas à primis rerum initiis hucusque subiit & sustinuit; Dein unicuique subjungere suum ordinem civilem atque illum vivendi modum, qui, Naturæ externæ cognatus, singulis periodis seculisve obtinuit.

Hâc methodo qualitercunque usi sunt Poëtæ & Authores antiquissimi in primis mundi seculis describendis; quorum etiam singulis suum titulum, ut ità dicam, & characterem tam à naturâ externâ quam ab hominum moribus desumptum indiderunt. Eodem modo mundi tempora digesserunt Sibyllæ *aut librorum Sibyllinorum Scriptores, per Ætates scilicet aut αἰῶνας, quam etiam rationem notat sequiturque novi fœderis stylus sacer. Atque hæc methodus Historiæ sive hæc digestio temporum in quantum distinguitur à civili & vulgari, quæ Regum vitas & stemmata, gentium bella, Regni alicujus aut Reipublicæ motus & vices consequitur, Sacrata aut Philosophica dici possit, cùm Providentiæ semitas propiùs attingat & rerum humanarum fontes.*

Secundùm hanc methodum primum mundi intervallum, magnum & memorabile, erat ab Orbe condito ad Diluvium cùm Natura faciem formámque mutavit & quoad cœlum & quoad terram, & novus prodiit rerum ordo tam naturalis quàm civilis. De primo Naturæ ordine jam actum est quadantenùs, & cæteræ partes sequuntur in secundo libro adjiciendæ: Eidem appendit suus ordo civilis & modus viven-

di ab hodierno quàm maximè alienus ; cùm neque essent olim quæ ad bellum spectant artes aut instrumenta, neque quæ ad Nauticam, neque quæ ad Vestitum victúmque plurima, neque quæ ad ædificia & supellectilem ; neque farrago illa rerum & mercium quibus urbes nostræ & officinæ, portus & nundinæ replentur. Quot & quanta sunt quibus nec gaudebant primi terræ Incolæ, nec indigebant ? deerat illis, sine damno, totus ille mundus Artificialis & apparatus rerum non natarum, sed factarum, quibus, magnâ ex parte, hodiernus vitæ ordo constituitur.

Ac utì intervallum ante-diluvianum post-diluviano, toto cœlo & terrâ disconvenit, ità ejusdem intervalli pars prima ac ultima, & inter se & ab intermediis non parùm discrepabant. Terræ enim ubertas & modus vivendi simplex & innocuus sensim periêre, aut necessitate aut luxu aut ambitione inventis artibus, quas ætas prima fœliciùs ignorabat. Hæc & hujusmodi multa in Philosophicâ mundi historiâ per varios gradus & modos in utroque mundo deducenda essent, posito semper in primâ fronte Naturæ exterioris statu, & quid inde fluxerit proximè, notato ; dein adjunctis quid religio naturalis aut revelata, quid rerum usus, quid scientiarum ortus & augmentum, cæteráque rebus humanis novitatis aut mutationis attulerunt ; ex quibus ordine dispositis pulcherrimum & elaboratissimum hujus mundi Drama aut repræsentatio componitur. Hæc autem obiter tantùm perstringo, oblata occasione ab utriusque libri, maximè hujus secundi, argumento ; cujus partes & ordinem cùm in opere ipso satìs distinxissem, de eâ re nihil hîc dicendum restitit.

Quod superest, Benevole Lector, siquid in hoc scripto rectè dictum inventúmve reperies, id alacriter amplectere ; neque à veritate fruendâ te absterreat aliorum opinio aut imperium : Siquid verò animadvertes aut rerum naturæ aut certæ historiæ contrarium, eâdem ratione & eâdem animi libertate repudiandum suadeo.

TELLU-

TELLURIS THEORIA SACRA.

LIBER II.

De Tellure primigeniâ & de Paradiſo.

CAPUT I.

Introductio & ſumma Libri ſecundi ; Phænomena generalia Paradiſi & Orbis primævi ex Hiſtoriâ ſacrâ & profanâ recenſentur.

HACTENUS Telluris primigeniæ ortum è ſuo Chao, ejuſdémque diſſolutionem, libro primo explicuimus ; Idque potiſſimùm ad aperiendas & demonſtrandas rationes Diluvii univerſalis *Noëtici*. Qualis erat ea tellus, cùm ſtaret integra, quantúmque hodiernæ diſſimilis, generatim deſcriptum eſt ; cùm totam fuiſſe Continentem, ſine maris hiatu ; totam lævem & æqualem, ſine montibus ; totam denique ſolidam (uſque ad Abyſſum) ſine cavernis, ex modo ſuæ originis ibidem oſtendimus. Cæteræ jam conditiones telluris primigeniæ, & quæ propiùs ſpectant ad orbis habitabilis rationem, & humanæ vitæ commoda, hoc libro explicandæ ſunt ; quò ad Paradiſum, quem quæremus, ſternamus viam, atque hypotheſin noſtram, quaſi bifrontem, utrumque mundum æquè reſpicere probemus.

Et

Et ſi fortè quæ propoſuimus, & ſecuti ſumus hactenùs rerum PRINCIPIA, fidem mereantur apud ingenuos, ob facilem, quam nobis dederunt rationem, & orbis hodierni originem, & antiqui interitum intelligendi; cùm eadem principia aditum nobis dederint ad Paradiſi notitiam, claramque cognitionem illius mundi Originarii, etiam maximè difficiles eorum vi & evidentiâ flecti poſſe non diffidam; ausímque mihi polliceri, hanc Telluris theoriam, locum aliquem & authoritatem habituram apud omnes, quibus non ſatis fuerit ſolam rei novitatem quibuſcunque argumentis opponere.

Cùm orbem primum habitabilem, alium ab hodierno jam ſuprà invenerimus, aliámque terram primævam, cujus nos habitamus reliquias; evidens eſt, in illo orbe, aut in illâ terrâ primorum hominum quærendas eſſe ſedes; adeóque primum librum hujus ſecundi fundamentum eſſe & quaſi demonſtrationem, in quantum ex rationibus diluvii univerſalis & hodiernæ telluris formâ, aliam præextitiſſe, vel eandem ſub aliâ formâ, ibidem evincitur: Hæc terra prima nobis jam petenda & perluſtranda eſt, ad inveſtigandum Paradiſum; Locum diù multúmque quæſitum per terrarum orbem; neque tantùm per terrarum orbem, ſed etiam in aëre, in Lunâ, & ad tertium uſque cœlum.

Et quò fœliciùs inſtituamus hanc diſquiſitionem, ſciendum eſt, neque in locis extra-mundanis quærendum eſſe Paradiſum, neque ſatis eſſe ad eundem explicandum fertilem & riguum agrum alicubi terrarum, ut in *Meſopotamiâ*, aut alibi inveniſſe; oportet ut cætera natura reſpondeat, & tota rerum ſeires & cognatus ordo. Sunt enim quædam Paradiſi phænomena generalia, quæ reliquæ telluri primigeniæ cum eo communia erant, atque horum primò habenda eſt ratio, cognoſcenda origo, & quis ſtatus naturæ ea omnia complectatur, diſpiciendum; dein deſignanda regio ſpecialis Paradiſi, ſaltem ex opinione Veterum; & quæ ad eam ſeorſim ſpectant, excutienda. Quoad phænomena generalia Paradiſi, ſive conditiones ei communes cum reliquo ſuo terrarum orbe, eas omnes præfiniri poſſe credo, ſi eis quæ in libro primo de *formâ telluris primigeniæ* diſſeruimus, adjiciamus in hoc ſecundo ipſius *ſitum ad ſolem: Modumque* quo Aquas & humorem acceperit. Ex hiſce enim tribus, ut mihi

mihi videtur, quæcunque nobis certâ fide tradita sunt de primævo rerum statu, tanquam ex suis causis deduci possunt.

Atque illam methodum semel mihi proposueram in hoc secundo libro, ut Ideam orbis habitabilis recens geniti ex suis causis depingerem, in quâ relucerent omnes proprietates mundi ante-diluviani; dein ut permitterem cujusque ingenio eandem amplecti pro mundo nostro, vel pro ipsius imagine tantum habere, modò nostrum verè referre & exprimere, secundùm omnes ipsius facies, agnosceret. Cùm verò hujusmodi Ideæ aliquid ficti habere videantur, placeántque magis quòd ingeniosæ sint, quàm quòd veritatem exhibeant aut probent; satius duxi, missâ omni ambage, ad rem ipsam accedere, ac prout in se est nudè propositam strictis rationibus expendere.

Facili igitur & perspicuâ usi methodo, recitabimus primò phænomena Paradisi communia, quæ cum eo participavit reliqua terra ante-diluviana; quid nempe singulare & à seculis nostris diversum, sive illa tellus habuit, sive ille rerum status, prout ab historiâ sacrâ & profanâ memoratur. Dein monstrabimus, ea phænomena in tellure nostrâ, ut hodiè constituitur, reperiri non posse, neque unquam potuisse, stante hâc rerum compage. Denique ostendemus, admissâ illâ rerum compage atque illo orbe habitabili, quos libro primo signavimus, & fusiùs infrà descripturi sumus, memorata illa omnia phænomena ibidem repertum iri, & quæcunque alia de primævo naturæ statu, vel certâ ratione vel historiâ hactenùs innotuerunt.

Quanquam verò in hisce dignoscendis dux nobis esse debeat prima & præcipua, historia sacra, tamen quoad maxima capita profanam etiam consulere licebit; nempe narrationes illas Antiquorum, quæ plerumque apud Poëtas occurrunt, de primis mundi seculis, & speciatim de aureo seculo: Nihil enim dubito aureum seculum antiquorum idem mundi tempus & eundem statum exhibere, ac nobis exhibet sacræ historiæ Paradisus; idque non tantùm ob conditiones naturales & civiles utrique communes, sed maximè ob rationem temporis. Utì enim *Moses*, cùm mundi ortum ex Chao descripsisset, induxit proximè Paradisum, & aliquot posteà seculis Diluvium; ità antiqui omnes statim ab exor-

dio

dio mundi (quod itidem à Chao deducunt) auſpicantur aureum ſeculum ; quo ſenſim degenerante cum humano genere, per diluviem univerſalem finis impoſitus eſt illi primo rerum ordini, & ſecundò inſtauratur mundus.

Atque imprimis conſentiunt omnes, & utraque hiſtoria teſtatur, ſummam fuiſſe cœli clementiam & æquabilitatem in recenti mundo & in Paradiſo ; quod primum phænomenon generale haberi poſſit. Ea cœli temperies cum verno tempore comparari ſolet ab antiquis, & nota ſunt præ cæteris illa carmina *Virgiliana:* 9 Lib. 2 Georg.

Non alios primâ creſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliúmve habuiſſe tenorem
Crediderim : Ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri.

Magnum Orbem ver egiſſe ait, non regionem aliquam ſingularem, ità enim verba illa intelligo ; cum conſtet antiquos, tum Patres, tum Poëtas, non tam in vere natalem mundi poſuiſſe, quàm ver perpetuum & perenne in novo mundo ſine ullâ tempeſtatum viciſſitudine conſtituiſſe.

Ver erat æternum : placidíque tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos ſine ſemine flores.

Ita *Ovidius.* Exeunte autem aureo ſeculo, dicit,

Jupiter antiqui contraxit tempora veris,
Pérque hyemes, æſtúſque, & inæquales autumnos,
Et breve ver, ſpatiis exegit quatuor annum.

Nempe in regno Saturni, juxta antiquos, eadem ſemper erat facies naturæ, cœli, & terræ ; eadem temperies aëris ; neque fluxit tempus per diſpares motus, & illud inæquale curriculum per quod annus noſter volvitur. Id abundè teſtatur *Plato* in *Politico*, atque inductæ cœlorum ἀνορμοσίᾳ illud attribuit. *(Vid. Archæol. Philoſ. li. 2. c. 5.)* Quando autem, aut quomodo tandem & ex quibus cauſis, hæc inæqualitas & viciſſitudo temporum anni incœperit, id ſeveriori ratione quærendum eſt.

Intereà

Intereà authores Chriſtiani non minùs celebrâtunt in Paradiſo ver perpetuum & Halcyonea tempora, quàm apud gentes Poëtæ in aureo ſeculo: Ut videre eſt apud *Juſtinum Martyrem, Tertullianum, Baſilium, Damaſcenum, Iſidorum, Claud. Marc. Victorem,* alioſque ſubſequentes. Atque ut carmina carminibus ſubjungamus, ita cecinit *Alcimus Avitus* in *Gen.* de Paradiſo loquens,

Non hîc alterni ſuccedit temporis unquam
Bruma, nec æſtivi redeunt poſt frigora ſoles:
Hîc ver aſſiduum cœli clementia ſervat:
Turbidus Auſter abeſt, ſemperq; ſub aëre ſudo
Nubila diffugiunt, jugi ceſſura ſereno.
Nec poſcit natura loci, quos non habet Imbres:
Sed contenta ſuo dotantur gramina rore.
Perpetuò viret omne ſolum, terræq; benignæ
Blanda nitet facies: Stant ſemper collibus herbæ,
Arboribuſq; comæ, &c.

Nihil his apertius: Et cum ait nunquam pluiſſe in Paradiſo, neque id popoſciſſe terram humore roſcido madentem, inde etiam curſum Anni & viciſſitudines tacitè ſiſtit & ſufflaminat.

Cum has Patrum ſententias de Paradiſo notâſſet *C. Bellarminus,* nempe nulla fuiſſe frigora aut æſtus ibidem, aliaſve viciſſitudines, ſed ver perpetuum, ſtatuit id fieri non potuiſſe, *niſi alius tunc fuerit curſus ſolis quàm nunc eſt*; vel, quod eódem redit, *alius Telluris ſitus,* prout nos ſtatuimus. *De Grat. prim. Hom. c.* 12.

Denique certum eſt, illam fuiſſe temperiem & tranquillitatem cœli in mundo recenti, tam intra, quàm extra Paradiſum, quæ plantarum & animalium ortui commodiſſima eſſet; Quæ cùm Tellus (ſub auſpiciis Providentiæ) inſtar Magnæ Matris, primò produxerit, ab omni vi frigoris aut caloris in ſuo, ut ità dicam, puerperio protegenda eſſet.

Secundò, alterum phænomenon mundi primævi, Paradiſo cum reliquo orbe habitabili commune, erat incolarum LONGÆVITAS: quâ, nullum manifeſtius aut magìs inſigne diſcrimem reperitur inter tempora ante-diluviana & poſt-diluviana, primæva & hodierna. Primis hominibus facilis natura dedit id, quod nullâ arte aut medicinâ nos aſſequi

possumus, vitam non modò sanam & vegetam, sed in septingentos, octingentos, aut nongentos annos & ultra productam: sub eam ætatem quâ nos senio confecti sumus, illi ex ephebis vix excesserant; & numeratis aliquot exinde seculis, annorum & liberorum saturi extremum diem vix tandem clauserunt. Notum est Patriarchas ante-diluvianos in tot annos, & tam mirandam longitudinem vitas protraxisse, ut, ad salvandam fidem historiæ sacræ, alias à nostris annorum formas nonnulli excogitare voluerunt: sed eandem longævitatem primorum hominum nos docent gentium scripta; *Hesiodi* carmina & Sibyllina hâc de re nota sunt: & qui plura desiderant in eodem argumento Gentium testimonia, *Josephum* adeant, (*Li.* 1. *Hist. Jud. c.* 4.) qui eandem longævitatem primorum hominum celebrans, *Testes habeo*, inquit, *hujusce rei quotquot inter Græcos Barbarósque rerum antiquarum monumenta reliquêre.* Scriptorum nomina infrà ex *Josepho* subjiciemus. Quòd verò ad Paradisi incolas etiam extendi debeat hæc longævitas, cùm à nemine dubitari possit, id missum facimus.

Tertiò denique, In mundo novo, tam extra, quàm intra Paradisum, egregia memoratur soli fertilitas, morúmque & vivendi ratio simplex, quoad victum, habitum, cætera: Vita denique & facilis & beata. Ità semper pinxêre veteres Aureum seculum, notissimum apud Poëtas ferè omnes argumentum; in quo luserunt ad fastidium usque, materiæ dulcedine allecti; ut neque id sibi proposuisse videantur ex iis nonnulli, rem ipsam verâ narratione exponere, sed ingenium qualitercunque exercere in adornandâ ideâ fœliciſſimi rerum statûs. Hæc memorantur ab *Hesiodo*, *Virgilio*, *Lucretiò*, quorum carmina in *Majori Theoriâ* exhibentur.

Præterea, quoad victum illius mundi, simpliciſſimus erat; & quoad vestitum, aut simplex, aut nullus. Et facilè quis sibi persuaserit cœlum mite & æquale fuisse tunc temporum, ut suprà notavimus, tam ex eo quòd nudi incederent, quàm quòd solis herbis & fructibus viveretur per totum annum. Neque enim primi homines erant carnivori, ut testatur antiquitas tam sacra quàm profana: *Noæ* primùm indultum est post Diluvium carnibus vesci, *Gen.* 9. & iisdem abstinuisse primos mortales memoratur ab antiquis,

At

At vetus illa ætas, cui fecimus Aurea nomen,
Fœtibus arboreis, & quas humus educat herbis
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.

Denique vitam facilem & beatam primorum hominum breviter deſcripſit, & optimè *Heſiodus* his Verbis,

Ὡς τε θεοὶ δ' ἔζωον, ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες,
Νόσφιν ἄτερ τε πόνων καὶ ὀιζυροῦ.

Plura non adjiciam: Neque hæc eo animo retuli, quaſi ſingulis Poëtarum verbis fidem adhibendam eſſe cenſerem; luxuriant enim plerumque narrationes Poëticæ, & ut niteſcat opus, ſæpe ſubtexunt ornamenta, & audacter quædam exaggerant: Sed quoad hæc Phænomena generalia mundi primævi, & in ratione temporum & rerum, omninò mihi convenire videntur authores tam ſacri quam profani. Quanquam enim hiſtoria ſacra fœlicitatem primævam uni regioni reſtringere videatur, profana autem dilatare & repandere in omnes regiones terræ, & in omnes ipſius incolas, durante primo illo & aureo ſeculo: tamen ſi de communi utriuſque ſorte hoc intelligatur, atque alterum de ſingulari dote Paradiſi, quâ reliquo orbi præcelluit, neutiquam pugnant. Et erat quidem tota tellus prima, ob rationes quaſdam, Paradiſiaca, utì ob alias non niſi tractus & regio ſpecialis. Et quoad tempus notandum eſt, non æquè duráſſe hæc tria phænomena mundi primi: Longævitas hominum, & cœli temperies ad diluvium uſque pertingebant; illa autem ubertas terræ & modus vivendi ſimplex & innocuus à primis ſeculis ſenſim periêre.

Dictis præterea ſuperaddunt non-nulli, in primâ naturâ nulla fuiſſe venena aut venenoſa, nullas herbas noxias, aut mineralia, aut metalla; quibus non deeſſe ſuas rationes exiſtimo ſecundùm hypotheſin noſtram: ſed qui recte explicuerit illa phænomena illuſtriora jam memorata, & telluris primæ conſtitutionem penitùs introſpexerit, in cæteris quis eſſe potuit aut debuit rerum ſtatus, ex earundem cauſarum intuitu non difficulter videbit.

Quod ſupereſt, ex allatis notandum, præpoſteris conſiliis uti, ac planè fruſtrà eſſe eos, qui Paradiſi regionem ſcrutari, ipſiúſque doctrinam ſpecialem exponere ſuſcipiunt, nondum comperto eo generali rerum ſtatu qui toti Naturæ cum Paradiſo communis erat, & quem paucis jam perſtrinximus. Idem mihi facere videntur ii, ac ſiquis auri naturam explicaret, nondum comperto quid eſſet metallum; aut in *Britanniâ* urbem quæreret, quæ nè quidem in Continente noſtrâ eſſet. Quare hæc phænomena, tanquam ſigna aut in litore indices præfiximus, ut iis viſis, & paulatim præteritis, nos rectum curſum tenere, & in eodem proficere, continuè ſciremus.

CAP. II.

Phænomena jam recenſita Telluri hodiernæ non conveniunt, neque explicari poſſunt ſecundùm formam & ſitum hodierni cœli & terræ.

RErum facies quantum jam mutatur, & Naturæ vultus ab illo naſcentis & recens nati mundi! Non tantùm priſtinam fidem deſideramus, & juſtitiam & candorem aureæ ætatis, & cætera quæ ſpectant ad ordinem rerum civilem; cujus œconomia tunc temporis ſimpliciſſima erat, & à noſtrâ immane quantum diverſa: Sed ordo etiam naturalis longè alius erat ab hodierno; ut neque idem eſſe genus humanum, neque eundem mundum habitare videamur. Aërem ſudum & ſerenum non obſcurabant nubila, non perturbabant procellæ, non corrumpebant halitus malefici: Intereà pullulabat è ſinu telluris omne genus, non plantarum modò, ſed & animalium; & vivebant homines vitam tranquillam & Athleticam, protenſam non tantùm ad trecenos annos, inſtar Quercuum; ſed ad nonagenos & millenos, quantùm vix durant ſaxa noſtra & rupes. Et cùm hæc tria phænomena, perpetua cœli ſerenitas, tellus fœta animalibus,

&

& eorundem longævitas proximè reſpiciant rerum ordinem naturalem, videndum primò ſi cum hodiernâ formâ, ſitu, & compage telluris noſtræ conſtare poſſint, aut unquam potuerint.

Hoc autem eſt quod nos apertè negamus: ídque maximè ob hanc rationem, quòd inæqualis forma telluris & inæqualis forma temporum anni, eam cœli & aëris temperiem deſtruerent, quæ ſingulis eſſet neceſſaria Exponitur nimbis, vento & procellis, tellus noſtra; horret tonitru & fulmine, riget quandoque frigore, quandoque æſtuat calore; cœli inconſtantiam, & innumera aëris incommoda patitur. Verum quidem eſt, aliquas terræ regiones aliis eſſe tranquilliores, & mitiori cœlo frui; ſed per omnes tractus & climata ſunt quædam vices caloris & frigoris, hyemis & æſtatis, & mala his annexa: & in nonnullis adeò eſt inimicum cœlum & maligna tellus, ut vix, & nè vix quidem ſint habitabiles: de quibus locuti ſumus ſub finem *cap.* 10. *libri primi.* Benè beatéque vivitur, ut in aureo ſeculo, ubi altâ nive, & altâ nocte teguntur terræ per ſpacium aliquot menſium? aut ubi immodicis caloribus infeſtati, brevem vitam exhalant fuſci incolæ? Neque etiam pars ulla ſelecta aut tractus ſingularis hodiernæ telluris, fœlicitatis Paradiſiacæ ſedes eſſe potuit, cùm ubique locorum, etiam in climatis temperatiſſimis, ratio cœli & aëris, quanquam cætera adfuerint, ſemper impediret. Ubínam ageremus in terrâ noſtrâ, nocte diéque ſub dio, per omnes anni viciſſitudines, ut primi mortales: præberétque tellus, ſponte natis frugibus, omnia ad vivendum, non miſerè & ſqualidè, ut vivunt jam populi barbari; ſed benè beatéque, ut in primâ ætate, neceſſaria? Et ſi terram maledictam eſſe dixeris, cœlúmne etiam maledictum eſt? ipſius faciem quid turbavit, anteà ſerenam, benignam, ſalubrem? quid aërem corrupit, rerum cœleſtium quid mutavit naturam? Eundem ſolem habemus, eadem ſydera; & ſuperiora omnia, (ex eorum hypotheſi) quantum ad nos ſpectat, eodem modo ſe habent, quo ab initio mundi. Si itaque nulla telluri acceſſit mutatio, quare non aureis Paradiſi temporibus fruimur adhuc, & uſque placidè fluenti anno?

Omnes orbis terrarum ſinus & regiunculas rimati ſunt viri docti ad inveniendum locum Paradiſo conſerendo idoneum: Quidam in *Meſopotamiâ* collocârunt, alii in *Paleſtinâ*, alii in inſulâ

insulâ *Taprobanâ*, alii alibi: sed id primò examinandum esset, si in hodiernâ tellure, sub eâ quâ jam est formâ, terraqueâ & montosâ; & sub eo, quo est ad cœlum, situ, locus Paradisi quærendus esset. Ubicunque in terrâ nostrâ collocaveris, id erit in Continente aliquâ, vel in aliquâ Insulâ. In omni Continente, cùm sint montes & valles & inæqualiter dispositi tractus terræ, cursus vaporum erit necessariò irregularis & impeditus, cœlúmque inconstans, & motus aëris turbulenti. Verum quidem est in quibusdam Insulis cœlum mitius experiuntur incolæ & æquabilius; nempe ob circumfusi Oceani planitiem & patentes campos æquoris, vapores non constringuntur, neque contrariis motibus agitantur; Eâdem ratione, quâ mare pacificum tranquillo cœlo fruitur: sed etiam quandoque in ipso mari pacifico incidunt tempestates sævissimæ, Ecnephiæ & Exhydriæ. Et in magnis maribus, ut rariores sunt procellæ, ità etiam cùm adveniunt sunt magìs horrendæ. Aliunde etiam situs Insularis Paradisi, & hominum & animalium per terrarum orbem propagationi obstaret. Et quidem cùm omnis Continens non aliud sit, quàm major quædam Insula, eâdem ratione neque in ullâ Continente, quales sunt hodiernæ, constitui potuerit.

Neque tamen telluri Paradisum auferimus, quasi in regionibus aëris, aut in Lunâ quærendus esset. Omninò supponimus fuisse in superficie telluris. Sed telluris superficiem & regionum ipsius, aliter formatam fuisse & dispositam, quàm est hodie, contendimus; ipsúmque corpus terræ commodiorem ad cœlum situm habuisse.

Illud hactenùs monstrare ex primo Paradisi phænomeno, perpetuâ cœli serenitate, & temporum mansuetudine conati sumus: sequuntur duo alia, Ortus animalium in tellure Paradisiacâ, & eorundem hominúmque Longævitas. Ad Ortum animalium quod spectat, præter aptam soli indolem & temperamentum, pinguis succi plenum, uligine dulci, almâ & vivificâ, refertum, quale in tellure primigeniâ invenimus libro præcedente, ex modo quo generata fuit; & quale desideratur in hodiernâ: requiritur ultrâ, nascente hoc mundo animato, æqualitas cœli & temperatus calor. Tenera vitæ principia, nisi in temperie justâ conserventur, fingi non possunt à Naturâ, neque in illum ordinem & compagem membro-

membrorum & viſcerum formari, quam in corpore animalium meritò admiramur. Ex ovis non generantur pulli, niſi tepore æquali foveantur; nimia vis aut caloris aut frigoris necat: & quoad fœtus viviparorum, non tantùm principia vitæ & prima rudimenta animalium in utero materno conſervantur ab omni injuriâ aëris, donec in formam animalem concreverint; ſed, ad confirmandam & roborandam compaginem, aliquot adhuc menſes eodem loco tepido deliteſcunt.

Si verò ſupponamus ab initio rerum eaſdem fuiſſe viciſſitudines & hyemis æſtatis, quibus jam annus fertur; principium progreſſúmque vitæ, formationis, & incrementi, animalibus è ſinu terræ orituris, interruptum iri, neceſſarium mihi videtur; non quidem vermiculis, ranunculis, & animalculis hujuſmodi, quæ etiamnum è putri, ut aiunt, oriuntur; cùm brevi perficiantur, & parum illud, quo opus habent nutrimenti, ubique ferè inveniant: Sed de iis animalibus loquor, quæ cùm ſint magnæ molis, & roboris, opus eſt ut ſolideſcant eorum membra, & indureſcant aliquantulum oſſa & carnes, antequam motus ſuos exercere, aut ipſius corporis molem commodè ſuſtinere poſſent. Quibus ideò videmus Naturam ordinâſſe geſtationis in utero tempus longius, ut benè firmaretur compages, antequam in auras prodiret. Cùm itaque in mundo recenti hæc eadem animalia, ex utero magnæ matris Terræ oriebantur, opus erat, ut haberent tempus geſtationis, ſive à primo conceptu ad partum, ad minimum æquale viviparis noſtris. Dico minimum æquale; quoniam ſubitò parta, & à terrâ divulſa, neque membra ſuſtinendis & promovendis corporibus idonea haberent, neque herbis comedendis & digerendis dentes & ſtomachum. Fœtus novelli viviparorum, in lucem editi, lacte materno aliquamdiù nutriuntur, miti alimento & ejus ſimili, quo anteà in utero vivebatur. Et cùm ſucci lactei terræ ad herbas, multò major ſit differentia, quàm eſt chyli materni ad lac maternum, animalibus illis terrigenis, cùm ſtatim à partu ablactanda eſſent, majori vi in viſceribus corporis opus eſſet, & fœturâ longiori ad vim illam & firmitudinem inducendam.

Ponamus itaque hæſiſſe terræ hæc animalia decem aut duodecim menſes, neceſſe eſt ut ſubiiſſent per illud tempus vi-

ces

ces inæqualis caloris, æstivi & hyberni: quæ teneris vitæ rudimentis non potuerunt non officere, aut defectu succi nutritii, aut aliquâ intemperie materiæ formandæ inductâ. Et si fortè in auras excluſa inciderint in hyemem, neque quo ſe defenderent contra injurias aëris, neque quo veſcerentur, haberent. Atque hæc breviter de ortu animalium; quibus ſiquis fortè reſponſum qualecunque extuderit, utcunque non deffitebitur hypotheſin noſtram de æquabilitate cœli & terræ commodiſſimam eſſe mundi natalitiis, & primo rerum ortui.

Supereſt tertium Paradiſi, & primorum ſeculorum phænomenon; Longævitas hominum, & ut par eſt credere, cæterorum animalium. Inter populum ante-diluvianum & poſt-diluvianum nulla nobis innotuit inſignior differentia, aut quam magis admiramur & obſtupeſcimus, quàm prodigioſa illa diſparitas quoad vitæ terminum; *prodigioſa*, inquam; cùm diverſiſſimæ ſpecies animalium non tantùm inter ſe differant vivendi ſpatiis, quantùm primorum ſeculorum homines à ſuis ipſorum poſteris. Si hæc longævitas ſemper conjuncta fuiſſet cum morum innocentiâ, & cum eâdem expirâſſet, eam divinitùs proveniſſe, & præter naturæ ordinem, crediderimus: ſed duravit ad diluvium uſque, cùm genus humanum inſigniter degenerâſſet; quare inter cauſas naturales ipſius ratio omninò quærenda eſſe videtur. Fruſtrà recurritur ad diætam ſobriam, tenuem & excarnem; ità enim vivitur à multis Monaſticis hodiè, quorum tamen qui ſunt vivaces maximè centeſimum annum vix attingunt. Et cùm vim aliquam & virtutem inſolitam herbis & fructibus illius temporis adſcribunt nonnulli, id omninò gratis dictum eſt; hæc enim, ut dixi, longævitas obtinuit uſque ad diluvii tempora, & terra maledictionem ſuam jamdudum ſubierat. Neque id nobis explicant hi Authores, in quâ formâ partium aut temperie herbarum & fructuum vim illam vivificam poſitam eſſe volunt: & quî conſtat, ſimiles herbas fructúſque hodiè non habere, aut proximis à diluvio ſeculis non habuiſſe, ſimiles partes ſimilémque virtutem? Prætereà non ſeneſcimus, neque deficit nobis vita ob inopiam boni alimenti; neque in illis terræ regionibus ubi longiùs vivitur, cibus eſt præſtantior quàm in cæteris. Denique, ex ſolâ ratione cibi qualiſcunque provenire non poteſt egregia longævitas; præſtantia enim cibi vel in eo conſiſtit, quòd ſuccum benignum

benignum abundè præbeat, qui facilè in ſanguinem carnémque convertitur: vel quòd talem carnem conſtituat, cujus partes non facilè diſſipentur, neque avolent. Atque hæ duæ conditiones cibi quodammodò inter ſe pugnant: ſuccus enim quò benignior eſt, eò tenuiores ſunt ipſius partes & flexibiliores, carnémque conſtituunt magìs delicatam, cujus ideò partes faciliùs atterentur & elabuntur, ut in infantibus videmus & valetudinariis; neque hujuſmodi cibus ſingularem vim aut proprietatem habere videtur ad conferendam longævitatem. Alter cibus, cujus partes ſolidiores ſunt, carnémque conſtituunt minùs diſſipabilem, vitæ prolongandæ aptior videtur. Sed cùm neceſſe ſit ad vitam conſervandam, non tantùm ut permaneant carnes & viſcera, ſed ut permaneant in certâ quâdam temperie, quâ apta eſſe poſſint fungendis officiis corporis, naturalibus & vitalibus; eíque diſpoſitioni cùm maximè obſtent nimia durities & ſiccitas fibrarum, aut nimia laxitas; fibræque ex hujuſmodi cibo & ſucco conſtitutæ, vitiis illis non minùs obnoxiæ ſint, quàm aliæ: neque vi hujuſmodi alimenti in tot ſecula protendi potuit vita. Nempe, ſi tunc temporis eædem cauſæ externæ adfuerint, quæ hodiè atterunt & arefaciunt corpus, partiúmque temperamentum pervertunt. Ego quidem, utì neutrum genus cibi ex ſe, & ſub omni cœlo, ſufficere ad vitam egregiè prolongandam; ità utrumlibet ſufficere exiſtimo, modò aptè concurrat mundi externi conſtitutio; atque ea ſit cœli & aëris temperies, ut neque cibi illius benignioris partes tenues & flexiles nimiùm diſſipentur, neque fortioris cibi partes, mollioribus eductis, nimiùm rigeſcant.

Atque facilè mihi perſuadeo, rationem boni cibi, & qui potis eſt ad conſervandum corpus, ſi cætera accedant, non eſſe adeò anguſtam & præciſam; cibus enim ſanus idem eſt vivificus, & vivaces facit, modò externa non impediant: ut in ſequentibus clariùs patebit. Cúmque in omni ferè gente & patriâ diverſo genere cibi vivatur, & tamen ſanè; veriſimile eſt, neque rationem boni cibi adeò eſſe definitam, neque eum in causâ eſſe quòd tantillum temporis vivant Poſtdiluviani, aut tantum vixerint Ante-diluviani; Qui certè ſi eodem nobiſcum cœlo & mundo externo uſi eſſent, nunquàm vidiſſent fluere ſeptem, octo, aut novem ſecula, licèt enutriti fuiſſent Nectare & Ambroſiâ: Sed hæc pluribus diſcutienda ſunt.

CAP. III.

De verâ causâ longævitatis Ante-Diluvianorum: & de causis senectutis in genere, & brevitatis hodiernæ vitæ.

HActenùs, quæ vulgò afferri solent, longævitatis in ante-diluvianis rationes refellimus: sequitur ut quid ipsi statuamus in hâc re, & pro verâ causâ habeamus, aut brevis vitæ in hodiernis, aut longæ in primis mundi incolis, exponamus. Neque id aliundè petendum esse existimo quàm à causis externis, & ab actione aëris & cœli in corpus, quæ prout æqualis est & temperata, aut inæqualis & extrema, corporis statum magis aut minùs, citiùs aut tardiùs, immutat & labefactat. Cùm autem, juxta sententiam nostram, in primis mundi seculis nulla esset temporum vicissitudo, neque hyems, neque æstas; sed eadem semper Naturæ facies, idem tenor, & perpetua cœli clementia & æquabilitas; indè deducendam esse censeo originem atque veram rationem longævitatis ante-diluvianæ: vitæque nostræ brevitatem ab inæquali anni formâ, & intemperatâ vi frigoris & caloris corpus alternatim impetentium, provenire sentio. Quod judicium rectè institutum sit, necne, ulteriùs jam videndum.

Atque huic sententiæ imprimis favere videtur experientia hodierna, cùm in quibusdam Insulis, ubi cœlum temperatius est & æquabilius, diutiùs vivatur quàm in cæteris terræ regionibus; & in quantum fruuntur cœlo Paradisiaco, tanto longioris vitæ privilegio gaudent: Ità præ cæteris omnibus terræ regionibus, quod sciam, Insulæ, quas appellant *Æstivas* sive *Bermudas*, notissimæ sunt ob Incolarum longævitatem; Neque hîc tantæ longævitatis ratio alia inveniri potest, præter insignem illius cœli æquabilitatem; quæ tanta est, ut nulla ferè sit differentia tempestatum anni. Et è contrà in *Virginiâ*, quam appellant, licèt non multùm remotâ, ob maximam inæqualitatem cœli vitam trahunt plerumque brevem

vem & valetudinariam. Eidem ſententiæ reſpondet eorum experientia, qui, cùm mutaverint clima valdè calidum pro frigido, & è contrà; vim corporis, & vitam imminutam ſentiunt: Ità notum eſt *Batavos*, qui notabile tempus, potiſſimùm tenerioris ætatis, in partibus longinquis tranſegerunt, domi reduces valetudine minùs firmâ frui, vitâque breviori; Quales extremas mutationes incommodare vitæ exiſtimo, non tantùm ob mutatam ſanguinis temperiem, ſed quòd habitus corporis tonúſque partium ſolidarum, fibrarum & viſcerum, certo modo diſpoſitus juxta actionem unius cœli, cùm alterius & multùm diverſi ſubit actionem, pervertitur; Partéſque officiis ſuis fungendis in regimine corporis, ineptiores redduntur.

Ità etiam videmus in eodem climate, mutationes anni in vere & autumno corpus ſingulari modo afficere, morbóſque frequentiùs inducere, ob reſolutos humores, ordinémque & texturam partium ſanguinis, unde inſolitæ fermentationes oriuntur: Neque credendum eſt anniverſarias illas mutationes aëris in viſcera, & partes non fluxiles nihil agere. Quanquam enim earum compagem diſſolvere non poſſint, mutant tamen formam interiorem, & diſpoſitionem fibrarum, poróſque, & eum modum conſtructionis, quo organa ſunt ſuis quæque uſibus deſtinata: quoniam verò in partibus ſolidis hoc ſenſim fit, & plerumque ſine morbo comitante, harum partium mutationes anniverſarias non percipimus, donec multoties repetitæ in vitæ curſu, manifeſtam debilitatem & defectionem tandem induxerint. Id etiam manifeſtius eſt in iis, qui vigiliis, excubiis, calore & frigore immoderatis, corporis ſtatum ſæpe perturbant: Quanquam enim in morbos non ſtatim incidant, fibras corporis labefactando ſenectutem immaturam accerſunt, & vitæ ſpatium corripiunt; ut è contrà, qui nullis violentis aut extremis expoſiti vitam tranquillam agunt, eodem ferè ſemper tenore, modò in morbos non incidant, tardiùs ingrediuntur ſenectutem, longiúſque protrahunt.

Hæc, & hujuſmodi exempla ſolito longioris aut brevioris vitæ, tardioris aut præcipitis ſenectutis, aſcribimus maximè fibrarum & viſcerum conſervatæ aut immutatæ diſpoſitioni, & formæ interiori: quæ licet variis modis, cauſíſque internis, perinde ac externis contingere poſſit; eam tamen in allatis

exemplis à causis externis provenire manifestum est. Dico à causis internis, ut à gulâ, crapulâ, nimiâ venere, & hujusmodi, itidem labefactari posse viscera: Cum verò hæ causæ locum non habeant in omnibus, omnes autem simus brevis ævi à tempore diluvii, causas universales & inevitabiles brevitatis vitæ externas esse contendimus, nempe vicissitudines tempestatum & inæqualem actionem cœli, aëris & mundi exterioris in corpus nostrum secundùm diversas anni partes. Quod jam ratione examinandum est, & à rei ipsius, nempe corporis nostri, naturâ.

Illud itaque excutiendum proponimus, *Quare machina & compages humani corporis eo modo, quo constructa & constituta est, tantillùm duret; & licèt nullus morbus superveniat, intra octoginta plus minùs annos senescat, deficiat, moriatur?* Et quò magis perspicuè hanc quæstionem tractemus, consideremus hominem in præstantiâ ætatis, circa annum vigesimum: sit corpore sano & vegeto, nutriatur cibo optimo, & moderatè se regat in omnibus: Quæstio est, quare non perduret corpus illud in eodem statu vigoris & sanitatis per aliquot secula? Non est certè levis momenti hoc problema, neque adeò facile solutu ac vulgò creditur; sed quæ usu quotidiano novimus & certissimâ experientiâ, ea neque admiramur, neque ad eorum causas investigandas multùm excitamur, quanquam sæpe occultiores sint, & inventu difficiliores aliis, quæ ob raritatem, hominum studia & animos maximè occupant. Nihil senectute communius, & breve curriculum vitæ omnibus notum est; à maximo vigore ætatis statim delabimur in effœtam & pallidam senectam, neque hujus mutationis præproperæ & inevitabilis quisquam explicuit causas.

Dices forsan, deficere sensim viscera & partes internas, neque officiis suis benè fungi in digerendo cibo, distribuendo, & in sanguinem & succum convertendo; unde paulatim sequitur totius compagis debilitas & ruina. Verum quidem est sensim deficere viscera, sed quare, & quo modo, & ex quibus causis? non à causis internis, non destruunt seipsa; neque jam deficit alimentum magis, quàm in pueritiâ aut adolescentiâ ad resarciendas vires, & partes diminutas, aut deperditas; unde stantibus iisdem causis quare non sequitur idem effectus? atque corpus nostrum, instar ignis, dato fomite, quare perpetuò non vigeat: aut instar lampadis,

dis, quæ ſubminiſtrato oleo, eâdem vi & vigore ſemper lucet, modò à ventis, & à rerum externarum injuriis conſervetur ?

Dices forſan, non eandem eſſe rationem corporis organici, & multipliciter compoſiti, quale eſt corpus humanum, ac ignis aut lampadis, ubi nulla eſt partium, aut operationum diverſitas. In hominis corpore, cùm innumeræ ſint partes & organa, atque ità connexa invicem, ut ſi unum deficit, neceſſe ſit detrimentum cæteris afferat, & ſenſim trahat ruinam totius ; Illi, inquies, multò difficilius erit, quàm ſimplici lampadi, tenere diù eundem ſtatum integritatis, aut ſe immutatum longiuſculè conſervare. Si rem rectè inſpicias, eadem eſt ratio utriuſque corporis, magìs aut minùs compoſiti ; neque quicquam officit organorum aut partium varietas. Supponimus enim partes hujus Machinæ, ſive minùs, ſive magìs compoſitæ ; quotquot ſint, eſſe jam omnes integras, vegetas, & ritè ordinatas : dein ſupponimus ſubminiſtrari omnia alimenta, quæ requirantur ad conſervandas has partes in eodem ſtatu, nempe in eâdem integritate, vigore, & ordinatione : Unde manifeſtum eſt nihil referre, ſive hæ partes ſint multæ vel paucæ, decem, vel centum, vel mille, modò vis & proportio cauſarum, earum numero ſemper reſpondeat. Ità ſi ſupponamus Lampadem noſtram multiplicibus ramis & canaliculis conſtare, quorum unuſquiſque diverſi generis oleo replendus eſt, atque hæc olea commiſcenda eſſe omnia & confundenda in communi aliquo receptaculo, unde vel ob diverſam levitatem, vel diverſa foramina quæ ſubeunt, quodlibet ſuum locum neceſſariò petit atque ramum cui deſtinatur ; hæc lampas, multiformis licèt, ſubminiſtratis diverſis ſuis oleis, non minùs conſtanter ardebit quolibet ſimplici.

Atque ut aliam aliquam machinam, magìs compoſitam, conſideremus, exempli gratiâ, molam ſeu moletrinam, aut hujuſmodi ; ſit aqua loco alimenti & humorum in corpore, & compages ſolida partes ſolidas corporis noſtri exhibeat : Si hæc mola vim habuit reficiendi & reparandi omnes ſuas partes attritas, & deperditas, ſive rotæ, ſive ſaxi, ſive trabium, ſive paxillorum, datâ perenni aquâ manifeſtum eſt perenniter molituram. Atque eadem eſt ratio horologii & machinæ cujuſvis compoſitiſſimæ, modò ſupponatur virtutem habere reparandi ſuas partes.

Cùm

Cùm itaque manifeſtum ſit Machinas artificiales, modò haberent facultatem ſe nutriendi, in multa ſecula duraturas, motúſque quibus deſtinantur, eodem ordine peracturas; conſtétque machinas naturales, uti corpora noſtra & animalium, cùm vegeta ſint, eâ virtute pollere, ſe nutriendi & inſtaurandi: ſequitur debere eas durare ex naturâ ſuorum principiorum & facultatum, in multa ſecula.

Dico ex naturâ propriarum facultatum: niſi quid foràs obſtet & impediat, & facultates illas ſenſim diminuat & labefactet: ſive illud ſit debilitando vim organorum quibus alimentum præparatur, ſive partium diſpoſitionem quâ recipitur; ídque eo, quo infrà dictum erit, modo.

Intereà mirum videri non poteſt, motus mundi exterioris magis agere in Machinas naturales quàm artificiales, majúſque detrimentum iis afferre: Cùm enim harum materia ſemper ſit tenera & molliuſcula, præſertim viſcera atque organa interiora; artificialium autem ſemper dura: manifeſtum eſt, intemperies, viciſſitudines, & inæqualitates cœli & aëris, majorem vim effectúmque habituras in has, quàm in illas; ídque non tantùm deprædando materiam, ſed potiſſimùm pervertendo formam viſcerum & partium interiorum, in quantum organa ſunt. Cúmque problematis propoſiti de cauſis ſenectutis & brevitatis vitæ noſtræ, ſolutio hinc pendere potiſſimùm mihi videatur, hæc omnia explicanda ſunt diligentiùs; nempe Primò, in quo conſiſtit forma viſcerum in quantum ſunt organa, functionibus ſuis naturalibus & vitalibus deſtinata: dein quî ratione hæc forma viſcerum pervertitur, atque, eâ perversâ, tota compages declinet: denique quomodo cœlum inæquale, & viciſſitudines anni hanc formam pervertunt; indéque ſenectutem & decrementum vitæ inducunt. Atque hæc quidem ſingula à ſuis principiis explicantur in primâ & majori *Theoriâ*: Sed ne minùs convenire videantur huic *Compendio*, Lectorem rerum iſtarum expetentiorem eò remittimus.

Intereà pertinet ad hoc argumentum de longævitate Patriarcharum & primorum hominum, ut eorum opinionem refutemus, qui per annos in hoc calculo, *Menſes* intelligunt, ſive annos Lunares menſtruos; Unde Patriarcharum ætates ad terminos hodiernæ vitæ, vel etiam quandoque minores reducunt, & diſquiſitionem de cauſis longævitatis in ante-diluvianis inutilem reddunt.

Cùm

Cùm verò hæc mutatio calculi gratìs facta ſit, neque aliâ ratione aut fundamento nitatur, quàm rei, ut opinati ſunt, incredibilitate: Cúmque rationes & cauſas naturales tantæ longævitatis jam expoſuerimus, non opus erit comminiſci hujuſmodi ſubterfugia ad ſalvandam fidem hiſtoriæ *Moſaicæ*, quam cauſis naturalibus & legitimis ſuperſtructam eſſe oſtendimus.

Prætereà non tantùm *Moſes*, ſed ex profanis Authoribus multi eandem longævitatem primorum hominum celebrârunt. Nota ſunt verba *Joſephi*, qui de hâc longævitate verba faciens, *Teſtes habeo*, inquit, *hujus rei quotquot inter Græcos Barbaróſque rerum antiquarum monumenta reliquêre, nam &* Manethus *qui Ægyptiacam &* Beroſus *qui Chaldaicam ſcripſit hiſtoriam, &* Molus *vel* Mochus, *&* Heſtiæus *&* Hieronymus *Ægyptius, quíque res Phœnicum proſecuti ſunt, uno mihi omnes ore ſuffragantur. Imò etiam* Heſiodus, Hecatæus, Hellanicus, Acuſilaus, Ephorus *item &* Nicolaus, *veteres mille annos vixiſſe tradunt.* Atque illa querela *Jacobi* de brevitate vitæ ſuæ, *Gen.* 47. 9. *Pauci & mali ſunt dies vitæ meæ* (cùm jam centum & triginta annos attigiſſet) *præ diebus patrum meorum*: evidenter monſtrat, primos homines fuiſſe longævos, neque ad modulum iſtius calculi fictitii reducendos eſſe. 1 *Li.* 4. *Hiſt.*

Denique obſtant multæ rationes quò minus admitti poſſit hæc temeraria interpretatio: primò, conſtat aliunde *Moſem* uſum eſſe anno Solari vel Lunari magno, eúmque compoſuiſſe ex menſibus, ut jam in uſu eſt. Dicit enim in hiſtoriâ diluvii (*Gen.* 7. 11.) aquas inundâſſe terras anno ſexcenteſimo vitæ *Noæ*, menſe ſecundo, die decimo ſeptimo, ubi anni & menſes diſtinguuntur; dicítque infrà, *Cap.* 8. 3. poſt centum & quinquaginta dies cœpiſſe aquas decreſcere; quod decrementum aquarum factum eſt ante diem decimum ſeptimum Menſis ſeptimi: eo enim die requievit arca ſuper montes *Araràt*, *v.* 4. Interceſſerunt itaque centum & quinquaginta dies minimùm inter Menſis ſecundi diem decimum ſeptimum anni *Moſaici*, & Menſis ſeptimi diem decimum ſeptimum ejuſdem anni: cúmque inter menſem ſecundum & ſeptimum (termino ſumpto à die decimo ſeptimo utriuſque) quinque ſint menſes, numerétque *Moſes* inter hos duos terminos minimùm centum & quinquaginta dies manifeſtum eſt, eum dediſſe ſingulo menſi triginta circiter dies; atque

Whiſton's Chronology 6:15 —

atque ex istiusmodi mensibus annum suum composuisse. Dein decem menses numerat *Moses* in suo anno, cùm a quas decrevisse ait usque ad decimum mensem, *Cap.* 8. 5. atque insuper numerat quinquaginta quatuor dies, *Vers.* 6. 10. 12. quibus expectavit & tentavit *Noah* si penitùs exiccata esset Tellus, usque ad primum mensem sequentis anni: Unde constat eum non tantùm protendisse annum suum multò ultra menstruum Lunarem, sed reverà Solari nostro, vel simili & æquivalenti usum esse. Secundò, cùm de posteris *Noæ* agitur & progenie *Semi*, *Cap.* 11. 10. Si anni illi menstrui sumantur, ex patribus istis multi vel immaturam mortem obierunt, vel terminum naturalem vitæ miserè brevem, neque ad spatium viginti annorum protensum habuerunt: *Nachor* enim, ut cæteros non memorem, non vixisset, juxta computum illum, ultra quindecim annos; Neque *Abrahamus* (qui vixisse dicitur centum septuaginta & quinque annos, *Gen.* 25. 7.) ultra septendecim: dicitur tamen, *Vers.* 8. dicti capitis 25. obiisse *in bonâ senectute senem & dierum saturum*; quæ ridicula sententia, si non habuisset nisi septendecim annos? Et cùm nullus ex hisce patribus, juxta hanc interpretatiunculam, annum sexagesimum attigisset; neque ullus ex progenie *Adami*, *Cap.* 5. annum centesimum, nè excepto quidem *Methusalamo* ipso; Quo jure, ut anteà notavimus, queritur *Jacobus* de brevitate vitæ suæ? aut quâ ratione vera esse possunt ipsius verba, cùm ad Regem *Pharaonem* dicit, *Dies peregrinationis meæ centum & triginta annorum*
Gen. 47. 9. *sunt, parvi & mali: & non pervenerunt usque ad dies patrum meorum.*

Denique, ut plura non addam, quid absurdiùs fingi potest eo, quod ex hoc computo fictitio manifestè sequitur, *Nachorem*, cùm nondùm habuerit quatuor annos, genuisse filium *Thæracum*: dicit enim Textus eum genuisse *Thæracum* anno vigesimo nono vitæ suæ; qui numerus in annos menstruos resolutus, non excedit tres annos communes: Similique proportione cæteri patres eâ ætate quâ pueri nostri vix loqui nôrunt, puberes fuissent, & cum uxorculis ejusdem aut etiam minoris ætatis, liberis generandis operam dedissent. Atque hæc notâsse satis esse videtur ad ostendendum in Genealogiis Mosaicis annos Solares, vel solaribus similes intelligendos esse: Ideóque & primos homines juxta eandem Historiam

ſtoriam inſigniter fuiſſe longævos, neque operam noſtram fruſtrà collocatam eſſe in eorum longævitate explicandâ.

Hæc hactenus. Ut diſcrimen obſervetur inter ætates Patriarcharum Ante-diluvianorum & Poſt-diluvianorum, non abs re erit Tabulas ſubjectas inſpicere & inter ſe comparare; ut quiſque apud ſe reputet à quibus cauſis oriri potuiſſent tanta ætatum diſcrimina ante & poſt Diluvium, ſi iidem fuiſſent utrobique Naturæ ſtatus & ordo.

Patrum Ante-diluvianorum Ætates.	*Anni.*
Adam	930
Seth	912
Enos	905
Cainan	910
Mahaleel	895
Jared	962
Enoch tranſlatus	365
Methuſalah	969
Lamech	777
Noah	950

Patrum Poſt-diluvianorum Ætates.	*Anni.*
Shem	600
Arphaxad	438
Salah	433
Eber	464
Peleg	239
Reu	239
Serug	230
Nahor	148
Terah	205
Abraham	175
Iſaac	180
Jacob	147
Joſeph	110

CAP. IV.

Hypotheſis noſtra de Tellure primigeniâ exponitur, potiſſimùm quoad rectum iſtius ſitum in Eclipticâ; cujus cauſa & ratio oſtenditur: Indè facilè explicantur memorata phænomena mundi primi.

EXpoſitâ ratione longævitatis in ante-diluvianis, reſumamus hypotheſin noſtram de *æquali formâ Telluris, & æquali ad Solem ſitu*; unde & huic phænomeno, aliiſque mundi primævi plenè ſatisfactum iri non diffidimus: Hypotheſis autem illa, quæ reſpondet accuratè phænomenis quibus applicatur, pro verâ accipi debet; præſertim ſi aliunde eadem phænomena explicari non poſſunt: At perpetua Cœli clementia & tranquillitas, fructus omni tempore maturi, herbæque ſuccidæ & vireſcentes, Terram calore Solis fotam concepiſſe & peperiſſe animalia, etiam maxima & potentiſſima; hominéſque vixiſſe ſeptem, octo aut novem ſecula: Hæc iſtiuſmodi ſunt phænomena, quæ ſecundum hodiernum ſtatum Cœli & terræ locum habere non poſſunt, ut principio capitis ſecundi oſtendimus; neque ſecundùm ullum alium naturæ ordinem hactenùs, quòd ſciam, cognitum, præter illum quem propoſuimus.

Hypotheſis autem noſtra duabus partibus conſtat, quarum altera *formam* telluris reſpicit, altera ipſius *Situm ad Solem*: formam telluris primigeniæ ſupponimus integram, æquabilem & uniformem, ſine montibus, præcipiciis aut cavitatibus; qualem in præcedente libro exhibuimus, & multifariàm probavimus: Et cùm hæc eadem forma non minùs aptè hîc reſpondeat mundi primævi phænomenis, quàm illic hodierni, indè exintegro confirmatur; adeóque concinunt, & ſe mutuò corroborant hujus tractatûs ambæ partes, ut ſi alterutra vera ſit, erit utraque vera.

Altera pars hypotheſeôs reſpicit Telluris ſitum, quem alium fuiſſe ab hodierno manifeſtè probant eadem phænomena Paradiſi & telluris primæ, eúmque ad Solem rectum. Quemad-

admodum autem primam partem hypotheſeôs noſtræ non tantùm ab effectis probavimus; ſed etiam à cauſis & à modo quo primùm genita fuit Tellus: Ità hanc alteram partem etiam à priori probari poſſe exiſtimamus; atque ſitum Solis ad terram, vel terræ ad Solem, primò fuiſſe rectum & æqualem, inſpectis cauſis, appariturum.

Arduum eſſet explicatu quâ ratione fieri potuerit mutatio ſitûs inter ſolem & tellurem, & quæ inde pendet temporum anni mutatio, ſi ideò Sol transferendus eſſet ex Zodiaco in Æquatorem, aut ex Æquatore in Zodiacum: Quâ enim machinâ, aut vi, quo modo aut tempore facta eſt, aut fieri potuit hæc mutatio? Si verò cogitemus, ut fere conſentiunt omnes Aſtronomi, diverſa anni tempora pendere ab obliquo aut inclinato ſitu telluris ad Solem, ſive ad axem Eclipticæ, illum ſitum olim mutatum fuiſſe, vel ex mutato ſitu Centri gravitatis, aut directionis Magneticæ lineis, vel aliunde, non eſt captu difficile: Quomodocunque autem illud contigit, aut quandocunque, olim fuiſſe, aut fore debuiſſe rectum & æqualem, ex ipſius rei contemplatione videbimus.

Ponamus ante oculos corpus magnum æquabile & uniforme, cujus idem ſit gravitatis & magnitudinis centrum; cogitemúſque ferri in Eclipticâ circa Solem motu ſui cœli liquidi: ità libratum in aëre, nulla videtur eſſe ratio, quare non haberet axem ſuum Parallelum axi ejuſdem Eclipticæ, utroque polo æqualiter inclinato ad Solem. Ità enim manifeſtò poſtulat ratio gravitatis (quæ in medio libero ſitum corporum gravium determinare debet) ut non propendeat ad centrum ſui motûs aut gravitatis ex una parte, magis quàm ex alterâ. Et ſi corpus Telluris aliquatenus Ovatum fuerit tunc temporis, id minimè obſtaret ſuppoſitioni noſtræ, quin potiùs eò firmiùs ſe teneret Terra in eo ſitu Parallelo: Corpus enim oblongum liquido innatans, cùm neutra extremitas præponderat, certiùs hæret in ſuo ſitu & in paralleliſmo cum axe gravium, difficiliúſque dimovetur a ſuo æquilibrio, quàm corpus purè Sphæricum: Neutrum verò, modò regulare ſit, & gravitatis ſuæ idem habeat centrum ac molis, ut habuit Terra prima, ſe inclinare poteſt aut obliquè diſponere ad centrum & axem ſui motûs.

Unde perſpicuum videtur Tellurem primigeniam uniformem & æquilibratam ex omni parte, ut eam ſuppoſuimus, ſe diſpoſituram in ſitum ad Solem rectum, niſi impedimentum aliquod nobis ignotum aliundè acceſſerit : Atque ex illâ diſpoſitione perpetuum æquinoctium ſequiturum per omnia terræ Climata, atque æquabilem illum anni tenorem & totius Naturæ, qualis & hiſtoriæ mundi noſtri, & ideæ naſcentis mundi in genere, aptiſſimus & commodiſſimus eſſet. Si enim exhibeamus animo talem globum aut orbem, qualem deſcripſimus, eâ formâ, eo ſitu ad ſolem, atque illo temperamento glebæ, quod terræ primigeniæ & ſuperabyſſinæ, ex modo generationis ſuæ attribuimus, orituri mundi faciem omninò referre mihi videretur ; neque ei defuturum illum apparatum plantarum & animalium, qui ad inſtruendum orbem habitabilem requiritur ; Quæ cœli diſpoſitio fingi poteſt aptior ad excitanda rerum ſemina & fovenda ? Quis ſuccus, quæ temperatio & ingenium terræ, ad concipienda vitæ principia ? & in quo gremio tutiora eſſe poſſunt ab omni injuriâ externâ ? Sed me reprimo.

Quanquam in hanc cogitationem *De mutato Telluris ſitu*, ex ipſius rei contemplatione primùm inciderim, non deeſt tamen ejuſdem rei aliqualis memoria apud Antiquos : Quorum ſi preſſiùs ſequamur veſtigia, in eandem planè ſententiam nos ſenſim ducent. Notum eſt, ut antea monſtravimus, in primo mundi ſæculo Ver perpetuum conſtituiſſe Veteres, Annumque uniformem, abſque ullâ tempeſtatum viciſſitudine. Id verò fieri non potuit, ut nôrunt Aſtronomi, ſub eo, qui jam obtinet, Telluris ſitu, aut quocunque ſimili. At ſi ponamus axem Telluris tunc temporis parallelum fuiſſe cum axe Ellipticæ, ſequeretur Æquinoctium perpetuum, eademque anni facies per totum ipſius curſum, prout illi aſſeruerunt.

Philoſophi prætereà plures, qui memorantur in majori *Theoriâ, dicunt declinâſſe Polum vel Terram* à primævo ipſius ſitu ; Quod vix aliter intelligi poteſt quàm de illâ obliquatione aut deflexu à ſitu recto, de quo loquimur : unde oritur temporum anni inæquabilitas.

Denique ad utrumque teſtimonium confirmandum, conſulatur *Plato*, (ut antea monuimus) in ſuo Dialogo de *Politico* ſive de *Regno*, ubi de regno *Saturni* & *Jovis* agit, dicitque ſub

ſub regno Jovis cœlis inductam eſſe quandam ἀναρμοσίαν ſive ἀναμαλίαν, atq; ex illo muto cœli inconcinno profluxiſſe hodiernæ Telluris mala maxima: & ſpeciatim temporum anni inæqualitatem, & vitæ brevitatem. Cum priùs in regulari cœlorum motu nulla eſſet tempeſtatum inæqualitas, atq; inde longævi extiterint terrarum Incolæ.

Qui plura deſiderant in hoc argumento, conſulant *Platonem* ipſum in ſuo *Politico* & *Phædone*: vel ſi magis libet, *Archæol. Philoſ. li.* 2. *l* 5, *&* 6. ubi hæc pleniùs expoſita ſunt.

Interim dico, Poſito hoc ſitu Telluris primigeniæ, plenâ facie ad ſolem converſæ: atq; illâ conformatione Totius, & temperie partium, quas priùs explicuimus, Eſſet (me judice) aptiſſimum naſcentis mundi ſeminarium ad futuras rerum generationes omni ex parte diſpoſitum. Præterea, ex illâ temporum æquabilitate omnia eſſent placida & tranquilla, nequid parturienti Naturæ officeret, aut primos ipſius motus unde reliquorum ſeries & ordinatio pendebant, interpelleret. Deniq; rebus ad hunc modum compoſitis, omnes innocuæ naturæ delicias in novo mundo experirentur primi homines, maturos fructus in omni anni parte, umbroſas arbores, florentes campos, cœlum ſerenum, & molliter ſpirantes auras. Deniq; vitam ſanam, ſecuram, & Longævam.

CAP. V.

De aquis telluris primigeniæ; & de ortu, motu, & exitu ipſius fluviorum: ubi datâ occaſione de figurâ telluris Ovatâ tractatur; denique quæ de Iride, poſt Diluvium apparente; dicta ſunt à Moſe, cum explicatione noſtrâ conferuntur.

HActenùs à formâ & ſitu Telluris primigeniæ mundi primævi faciem, & Paradiſi phænomena generalia explicuimus. Reſtat adhuc quæſtio non exigua de fluviis aut aquis ejuſdem Telluris: Orbis enim nequit eſſe habitabilis abſq; aquis;

aquis ; modum igitur invenire oportet quo oriri potuerint, fluere & exire fluvii in orbe illo uniformi & ſine mari : aut alium aquationis modum proponere.

Non unicum quidem eſſe modum exiſtimo *Aquationis* in Planetis, ſive humorem recipiendi. Si naturæ ordinem tantummodò ſpectemus, probabile mihi videtur, Planetas *integros* & uniformes, nullum Diluvium paſſos, & ſub æquinoctio perpetuo verſantes, irrigari tantùm *Rore* & pluviolâ nocturnâ. *Fractos* autem & Montoſos, non rore tantum ſed etiam fluminibus humectari. Utcunq; id ſit, ut eos ſequamur qui fluvios conſtituunt in primævâ Terrâ, experiamur Siquis ſit modus iſtiuſmodi fluviorum origines curſuſq; explicandi.

Fateor me hæſiſſe aliquamdiù dubium in hâc re, neque occurrebat gravior difficultas in totâ hâc materiâ tractandâ, quàm ortum motúmque aquarum & fluviorum in tellure primigeniâ explicare. Nempe initio, fluvios omnes è mari ortum ducere, cùm multis philoſophis credebam ; neque videbatur mihi ulla ratio aut modus educendi aquas è mari in hâc terrâ primâ. Cùm verò ſecundis cogitationibus animadverſiſſem, fluvios noſtros non è mari tantùm, ſed è pluviâ & reſolutâ nive magnam partem oriri, animum applicui ad indagandum, in illo rerum ſtatu, quis eſſet ordo Naturæ in regionibus aëris ; & quænam eſſet *Meteorologia* primi orbis noſtri habitabilis. Quam materiam cùm examinâſſem aliquamdiù & apud me aperuiſſem, indè pendere videbam aliqualem hujuſce rei explicationem.

Nullas fuiſſe aut Nivis aut Grandinis procellas in orbe illo, cùm ab inæquali & ſubito frigore proveniant, ex modo quo ad Solem diſpoſitum exhibuimus, facilè credemus ; neque etiam tonitrûs, ſi à caſu aut occurſu nubium glaciatarum, ut probabile eſt, oriatur. Quoad aquas autem, & quæ ab aquoſis vaporibus ſine magno frigore provenire poſſunt, non eſt eadem ratio ; manifeſtum eſt enim non defuturos vapores, cùm calor ſolis eſſet continuus, & exterior regio terræ initio humens : Et pro ratione quâ ſicceſcebat, radii Solis penetrabant altiùs, & ex magnâ Abyſſo ſuppoſitâ ingentem copiam vaporum in auras adducebant. Sed fatendum eſt eandem vim caloris impedituram quò minùs in nubes & aquas ex ſeipſis condenſarentur. Et cùm nulli erant montes aut inæqualitates terræ tunc temporis ad comprimendos

mendos vapores & nubes, id non niſi à ventis pendere potuit & à frigidioribus terræ regionibus versùs Polos. Quare operæ pretium erit rationem ventorum, & vaporum curſum in iſthoc orbe examinare, cùm indè pendeat potiſſimùm ſtatus aëris & aquarum ratio.

Primò, manifeſtum eſt, Ventorum vaporúmq; motus in illo orbe multùm diverſos fuiſſe ab hodiernis, multóque magìs regulares ſtatóſque, neque unquam violentos. Ea omnia quæ in terrâ noſtrâ inæquales & incertos motus aëris inducunt, aut etiam violentos, nullum habuerunt locum in Terrâ primigeniâ; neque inæqualis actio Solis in terram ſecundùm diverſa anni tempora: neque inæqualis forma telluris, vel reſpectu montium, vel reſpectu Maris & Aridæ; neque venti contrarii & colluctantes.

Secundò, manifeſtum eſt, motum vaporum fuiſſe versùs Polos; cùm non habuerint aliunde quò abirent. Agitati ſub Æquatore & circa medias Terræ partes, & rarefacti à Sole, ſe repanderent in majus ſpatium ex omni parte: Cùm verò Orientem & Occidentem versùs ſub eodem Æquatore aër magìs agitatus quàm versùs Polos, magìs reſiſteret ipſorum dilatationi & progreſſui; manifeſtum eſt eos versùs polos ituros, ob minorem rarefactionem & reſiſtentiam aëris ex illâ parte: atque ideò illum fuiſſe curſum vaporum ſtatum & regularem, à mediis nempe terræ partibus ad extremas, ſive ab Æquatore verſus Polos.

Denique notandum eſt, cùm partes regionéſque extremæ terræ mediis multò frigidiores eſſent, vapores eò versùs adducti & motu paulatim langueſcentes, vi frigoris in guttas condenſarentur, & perenni rore vel pluviâ in terras ſuppoſitas dicciderent. Dico rore aut pluviâ *perenni*: quoniam cùm actio Solis in elevandis vaporibus erat conſtans & æqualis, neque quicquam impedire potuerit eorum curſum versùs polos, aut eò appulſorum condenſationem; manifeſtum eſt perpetuam ſcaturiginem & inexhauſtos theſauros aquarum cœleſtium circa regiones illas aëris ſemper ſubſtitiſſe; indéque perenni deſtillatione dilapſas, ſuperficiem terræ irrigâſſe.

Atque hunc fuiſſe rerum ordinem in orbe primigenio liceat ſupponere: Omnes è cœlo proveniſſe aquas; atque ab iis aquis cœleſtibus fluvios omnes terreſtres ortum duxiſſe, leni & æquali curſu ſemper fluentes. Et cùm non agerentur

tur præcipites per ſaxa & præruptas terras, neque ſubitis incrementis ruerent inſtar torrentium; faciles ſe præbuerunt ubique humanæ operæ, ad colendos agros, ad irrigandos hortos, in omnes partes ductiles, prout uſus vitæ aut deliciæ poſtularent.

Ortu fluviorum in terrâ primâ explicato, reſtat adhuc non minùs inſignis difficultas de motu & exitu horum fluviorum. Notum eſt enim aquas non fluere niſi per declive: & cùm terram primigeniam planam & æquabilem ſuppoſuerimus, quare in has potiùs quàm illas partes fluerent aquæ? quare non conſiſterent quietæ, eodem quo cecidiſſent loco? aut ſe propagarent indè per modum intumeſcentis ſtagni, æqualiter ſe dilatantes ex omni latere, neque in has partes magis quàm illas curſum dirigentes? Prætereà, ſi fingamus ex quibuſcunque cauſis, ab extremis terræ partibus ad medias tendiſſe, eò deductis quis eis eſſet exitus, aut quomodo tandem ſe exonerarent? Notum eſt, fluvios hodiernos ſe exonerare in Mare, aut forſan in lacus, qui cum mari per ſubterraneos ductus communicant: hiſce autem fluviis nullus patebat aditus in mare ſive in Abyſſum, quæ omni ex parte clauſa erat: & ſi in lacus ſe exonerabant, redundarent illi lacus, niſi haberent itidem quò affluerent. Unde hærere & ſtagnare deberent omnes aquæ telluris primigeniæ, ſine curſu, ſine exitu.

Difficile quidem eſſet, aut forſan impoſſibile, fluviorum telluris primigeniæ motum & curſum explicare, ſi tellus illa fuiſſet abſolutè Sphærica: At ſi ſupponamus, eam fuiſſe oblongam vel ovalem aliquatenus, manifeſtum eſt, partes polares altiores fuiſſe æquinoctialibus, ſive remotiores à centro: unde aquæ quæ ceciderunt versùs polos, in medias terræ partes defluere deberent, & totam ferè telluris ſuperficiem irrigare.

Et quanquam ſuperficies terræ æquabilis eſſet & uniformis, & exundarent ex omni parte aquæ illæ circumpolares; fieri tamen non potuit, quin in declivitate illâ vias aliquas aliis depreſſiores, ſive foſſulas, gyrando invenirent: quibus, tanquam alveis, in rivos formarentur, & continuò proreperent versùs Æquatorem. Verum quidem eſt, principio has derivationes aquarum in partes mediterraneas fuiſſe magis diffuſas & irregulares, cùm nondum, aut uſu, aut operâ humanâ,

manâ, excavati erant alvei : ſed ſi fortè alicubi defecerint illi alvei, in eis locis redundarent pauliſper aquæ & intumeſcerent in placidos & amœnos lacus : Unde iterum progreſſæ, conſuetum curſum versùs medias terræ regiones repeterent ; & inter eundum ſæpe confluentes, junctis alveis, in majora flumina concreſcerent.

Hæc de curſu fluviorum. Reſtat adhuc quæſtio de eorundem exitu ; cùm enim fluendo perventum eſſet ad medias terræ regiones, quid fieret illis ? quò ſe reciperent, quò ſe exonerarent ? Dico in plures ramos ramulóſque diviſos, partim exhalatione conſumptos fuiſſe, partim à bibula terra epotos. Sed hoc paulò fuſiùs explicandum eſt.

Atque primò notandum, declivitatem terræ minorem fuiſſe prope Æquatorem, quàm in locis ab Æquatore remotis : ut ex figurâ ipſius ovali manifeſtò ſequitur. Unde cùm aquæ eò perveniſſent, tardiùs fluere inciperent ; atque tam ob motum lentum & debilem, quàm ob alveum parùm profundum, facilè ſeparari ſe paterentur, & diduci in aliquot ramos & brachia, ut ſæpe contingere videmus verſus fluviorum Oſtia : Ob nullam, inquam, vel exiguam terræ declivitatem eò loci, nulla ferè eſſet alvei cavitas, & aquæ labentes quaſi in ſuperficie ſoli, facilè diſſiparentur & diſtraherentur in varias partes & in multiplices canaliculos, eodem ferè modo quo ductus ſanguinis in corpore noſtro cùm longiùs progreſſi ſunt à corde, divaricantur in multos ramos ramulóſque, & ſenſim ſe perdunt in habitu carnis.

Notandum præterea, cùm aquæ non pertingerent ad ipſum Æquatorem atque medium Zonæ torridæ, media illa regio Zonæ torridæ omni humiditate deſtituta, atque Soli ſuperimpendenti per totum annum expoſita, aridiſſima eſſet & vehementer aduſta : unde in arenas converſa & terram ſiccam & ſitibundam, adrepentes aquas inſtar ſpongiæ exugeret. Atque hiſce duobus ità notatis, facilè credemus fluvios Telluris primigeniæ, eo quo ſuprà diximus modo, efluxiſſe & deſiiſſe : nempe, ſub finem ſuorum curſuum verſùs Æquatorem, variè diſtractos & diſſipatos in facie terræ, partim ardore Solis & ipſius terræ calefactæ, exhalatos, partim à ſitientibus arenis hauſtos fuiſſe.

Atque hæc de ortu, curſu, & exitu fluviorum in tellure primigeniâ ; quæ licet aliquo modo ſingularia ſint, non tamen

men prorſus carent exemplis in hodiernâ terrâ. Aiunt *Euphratem*, aut illius brachium ità evaneſcere, diſſipatum, & ab arenis exhauſtum, aut à Sole. Et quoad ortum fluviorum primigeniorum reſtare mihi videtur aliquale exemplum, ut cætera non memorem, in inundatione *Nili*, atque aliorum fluviorum conſimilium. Nempè, in iis regionibus ubi non pluit, ut in ſuperiore *Ægypto*, & regionibus *Libyæ*, vapores qui extrahuntur à Sole, curſum dirigunt versùs montes & loca frigida vicina; ut in tellure primigeniâ versùs polos: ubi condenſantur in pluviam, vel conſtringuntur in nivem: Atque ſtatis illis temporibus in quibus advenit hæc anniverſaria condenſatio vaporum in pluviam, vel nivis reſolutio, *Nilus*, in quem exonerantur, ſive nives, ſive pluviæ, intumeſcit, & regiones circumvicinas inundat.

Ad explicandum curſum fluviorum in tellure primâ, uſi ſumus figurâ ovali illius terræ: atque omninò operæ pretium eſſet examinare, in ejuſdem terræ ruinis quantum ſuperſit illius formæ oblongæ & ovalis: & propterea ea phænomena Sphæræ quæ dependent à figura terræ examinanda ſunt, & ad certas experientias exigenda: Multa enim recepta ſunt communi famâ & fide de proprietatibus globi noſtri, tantùm per analogiam & conformitatem ad primum aliquod ſuppoſitum; nempe ad præſumptam figuram rotundam terræ; unde alia deducuntur tanquam corollaria, nullis aliunde obſervationibus confirmata.

Notandum autem eſt, quæ ſolent afferri ad probandam rotunditatem terræ, ut circumnavigatio, apparitio & occultatio montium & turrium navigantibus, utì & ſtellarum, atque hujuſmodi, ſatìs quidem probant terram non eſſe planam ſed convexam, non autem eò attingunt, ut qualis ſit illa convexitas, Ovalis vel ſphærica, præcisè arguant. Nos tamen communiter ex præſumptâ figurâ accuratè ſphæricâ terræ, multa alia concludimus, & ſine ulteriori examine pro compertis habemus. Ità dicimus communiter poſitis ſub polis Solem hærere ſex menſes ſuprà horizontem, totidémque ſubter; Gradus latitudinis in terrâ ubique eſſe æquales; & æquales ubique gradibus longitudinis; & hujuſmodi; quæ nullâ obſervatione probantur, neque alio nituntur fundamento quàm præſuppoſitâ rotunditate terræ. Imò ſi obſervationes conſulamus, de iis erit dubitandi locus: nam quoad

gradus

gradus latitudinis in terrâ, ſive ſpatia quæ reſpondent gradibus ſumpti meridiani, quæ hactenus factæ ſunt obſervationes potiùs probant ſpatia illa inæqualia eſſe quàm æqualia: nempe inter Æquatorem & Polos. Et quoad moram Solis ſupra horizontem, vel ſubter, in regionibus versùs polos, quæ factæ fuêre obſervationes *Novæ Zemblæ*, *Spitbergæ*, & circa *Groenlandiam*, adeò ſunt irregulares, ut ſphæricæ convexitati telluris parùm favere videantur. Quod de umbrâ terræ dicitur, incertum eſt, an ex omni parte conica ſit, præſertim in æquinoctiis, cùm latus Soli obtenſum tenet, Cæterorum etiam Planetarum figuram operæ pretium eſſet accuratiùs obſervare, præſertim Jovis; cùm videatur eſſe adhuc in ſtatu ante-diluviano. Non id quidem in me ſuſcipio, hujuſmodi obſervationes inſtituere, neque perquirere omnes, quæ ab aliis inſtitutæ ſunt: Sed utì nullæ hactenùs mihi occurrerunt quæ ſententiæ noſtræ de oblongâ figurâ terræ refragantur, ità libenter ab aliis acciperem novarum quarumcunque notitiam, quæ formam terræ præciſam demonſtrarent.

Intereà ſi rem à priori examinemus, telluris originem reſpicientes, quæcunque ſit ipſius figura hodierna, ut eſt fracta & lacera, quòd debuerit olim eſſe oblonga & ovalis, in primâ ipſius formatione cùm adhuc globus aqueus eſſet, probabile videtur. Nihil dubito demonſtrationem *Archimedis* de figurâ Sphæricâ aquæ veram eſſe; nempe maſſam aquæ ſe naturaliter conformaturam in figuram Sphæricam circa ſuum centrum; ſcilicet, ſi illa maſſa ſeu globus aqueus immobilis & quietus hæreat, nihilque eum extrinſecùs premat, urgeátve ex unâ parte magis quàm ex alterâ: Si verò ipſius vortex ſive Orbis circumfluus ſit ovalis, & brevioris diametri in Æquatore quàm per polos, ut nonnulli exiſtimant: Tellus incluſa eandem figuram indueret. Nempe cum in rotatione Terræ moles aquæ ſub Æquatore multò magis agitaretur, quàm aqua versùs polos, ubi minores circulos perageret; partes illæ maximè agitatæ, à centro ſui motûs recedere conantes, cùm prorſus exilire & avolare non potuerint propter incumbentem undique aërem, orbiſque ſui anguſtiam in iis locis; neque multùm refluere, ſine ejuſdem aëris renixu & reſiſtentiâ; non aliter ſe liberare valerent, quàm defluendo ad latera: Aquæ enim impulſæ & impeditæ, quo-

cunque reperiunt aditum & faciliorem motum, eò fluunt ; & ex illo defluxu aut detrusione aquarum ad latera, & exoneratione partium mediarum circa Æquatorem, globus aqueus evaderet aliquantulum oblongus, ut in *fig. paginæ sequentis.* Crusta autem terrea, sive testa quæ supervenit huic globo, suppositæ molis figuram imitaretur, atque ità Ovum magnum constitueret. Denique, cum ipsi vortices Planetarum, ut & suæ circa Solem orbitæ, habeantur Ovati vel Elliptici ; ex quibuscunque causis id factum sit, nil mirum, si tener orbis Planetæ, istoc vortice involutus, eandem figuram, in primâ sui formatione, subinduerit.

Hæc dixisse sufficiat de Aquis Telluris Primigeniæ ; Quæ duplici modo, ut vidimus, explicari possunt : aut per fluvios pluviasque, ut hodiè : aut per *Rorem* & vapores nocturnos. Hunc modum posteriorem repræsentasse videtur *Moses*, cum in novo mundo dicit, *Deus non fecit pluere super Terram, sed exijt vapor è Terrâ & irrigavit faciem Soli* ; quemadmodum fit etiamnum in nonnullis regionibus terræ, ubi nunquam pluit, nec ideò desinit Solum esse lætum & frugiferum. In sacris Literis nunquam legitur pluisse ante tempus Diluvij. Sed illud magis notandum, quod dixerit *Moses*, Peracto diluvio *Iridem* apparuisse *Noacho*, ad confirmandum Dei pactum aut promissum ; Innuens eo ipso Iridem nunquam antea apparuisse. Sic se habet Historia sacra, Finito diluvio, Deus promissum fecit *Noæ*, vel pactionem, terrarum orbem in posterum nunquam obrutum iri aquarum diluvio. Et in signum hujusce rei, vel pignus, arcum suum posuit in nubibus, sive *Iridem posuit in Cœlo.* Quod clarè mihi innuere videtur Iridem non fuisse anteà in Cœlo. Si enim fuisset anteà, seculis nempe ante-diluvianis, & illo ipso quo contigit diluvium, quî nunc esset signum non iterùm futuri diluvii ? Dices forsan non fuisse signum verè & in se significativum, sed ex instituto tantùm. Sed præterquam quòd hoc minuit vim dati pignoris, & vim nativam verborum & sententiæ ; neque aptum esse potuit signum ex instituto, ut mihi videtur, nisi novum esset ; vel saltem aliquid novi accessisset ei hâc occasione, quo signi rationem acquirere potuisset. Si enim Deus dixisset, promitto tibi *Noæ*, nunquam futurum diluvium, & in signum hujus rei vel pacti mei, Ecce *Solem in firmamento*, vel ecce *statuo*

Gen. 2.5,6.

Gen. 9. 12, 13.

Solem





Solem in firmamento; hoccine esset appositè dictum? Sol, inquam, qui erat anteà in Cœlo, usque à principio, & tunc etiam cùm miserabiliter aquis perierunt terræ, quî potuit dici à Deo in Cœlis statui, tum cùm initum erat pactum, ídque in signum non futuri Diluvii? Cùm Deus prophetiæ, promissi, aut fœderis implendi signum dat in Cœlo vel in Terrâ, necesse est ut id fiat per aliquam novitatem, vel aliquâ factâ mutatione in rerum naturâ, quâ se posse & velle dictis stare testetur, ut cùm umbra recessit in horologio *Abaz*: Ità cùm *Abazo* dixit Propheta, *Pete tibi signum à Jehovah, Deo tuo: E profundis pete, aut ex alto*: & nolenti *Abazo* Deus ultro signum promisit, Quale signum, quæso, promisit? *Ecce virgo concipiet & pariet filium.* Res anteà, nec visa, nec audita. Ad quem locum rectè arguit *Justinus Martyr*, *Signum* non fuisset, si ordinarium & commune fuisset. Etiam *Tertullianus* (Adver. Jud. c. 9.) *Signum à Deo, nisi novitas aliqua monstruosa fuisset, signum non videretur.* Nihil, scilicet, effeciset, vel ad ingenerandam fidem rei promissæ, vel ad testandum Dei promittentis potentiam & propositum; quæ sunt signorum propria. Necesse est igitur ut aliquid exhibeatur præter ordinem consuetum qui anteà obtinuerat, ità ut phænomenon sit aliquo modo novum, ut signi rationem habeat. Si enim facies Naturæ omninò eadem sit & immutata, nihil novi, neque ex parte rei, neque ex parte Dei, significare potest.

Isa. 7. 11, 12.

Dial. cum Tryph.

Nudis verbis addunt *signa* vim ulteriorem & magis efficacem: promisso simplici plus valet promissum cum signo adjuncto, ut scriptum sit fortius appositio sigillo, magisque obstringit & devincit Stipulatorem, spemque pacisentis ex alterâ parte, magis confirmat. Ita Iridis signum de quo loquimur, interpretatur *Chrysostomus*, Deumq; sic alloquentem introducit, Εἰ ὁ λόγος μῦ, φησὶν ὁ Θεὸς, &c. *Si sermo meus non sufficit, inquit Deus Noæ, Ecce & signum do.* Quod quidem signum, tunc temporis, speciem habuit miraculi. Et in eundem modum quæ memorantur in Sacris Literis ad confirmandum promissum data signa, aliquid semper habent extraordinarii, & notam miraculi. *Abrahamo* signum datum habes, *Gen.* 15. 8, 17. per ardentem lampada & fumantem fornacem, *Gideonis* vellus roscidum siccumque fuit per vices contrarias terræ circumvicinæ, *Jud.* 6. 36, 37, &c. In sig-

In Gen. Hom. 28.

num

num Regi *Hezekiæ* receſſit umbra in ſolari per decem gradus, *Iſa.* 38. 7, 8. Denique *Zacharias* factus eſt mutus, ut hoc ſigno, dubitanti aut tardè credenti excitaretur fides, *Luc.* 1. 18, 19, 20. Quid plura? *Moſes* ipſe, qui hæc dixit de Iride, petiit itidem, in punitione *Coræ*, ſignum non minùs mirabile; quale ſcilicet quantumque duxit neceſſarium ad convincendum populum. Si morientur, inquit, hi homines morte communi, mihi non credent populus: *Sin autem aliquid novi patrabit Deus, & aperiens humus os ſuum abſorbebit eos, cum omnibus quæ eorum ſunt, deſcendentque vivi in Sepulchrum, tunc cognoſcent homines, Iſtos conte mptim provocâſſe Deum.* Et hiante Terrâ deinceps abſorpti fuerunt. En ſignum, & rationem ſigni. *Num.* 16. 29. 30.

His rationibus & exemplis adductus, nunquam à me impetrare potui ut crederem *Iridem* non fuiſſe *novum Phenomenon*, *Noacho* aut ſuis nunquam antea viſum. Ideóque vim & vigorem habuiſſe, indolem & admirabilitatem *ſigni* veri, proprii & genuini: ut ſolent eſſe ea quæ ad fidem promiſſis faciendam & firmandam à Deo ſunt data. Hæc de *Iride*, & ſtatu aëris ante Diluvium. Pergamus ad reliqua.

CAP. VI.

De loco Paradiſi Terreſtris: Neotericorum opinio de ſede Paradiſi in Meſopotamiâ, refellitur; è contra ſitus ipſius in orbe Auſtrali, ſecundum Patres paucis exponitur. Denique de utrorumque ſententiis dubitatur.

HActenùs Tellurem primigeniam à tot retrò ſeculis natam & denatam, vi rationis & Philoſophiæ, quaſi redivivam deſcripſimus; Eámque non tantùm rationes omnes orbis habitabilis, ſed talis etiam qui orbis primi & Paradiſiaci phænomenis reſpondeat, complecti oſtendimus: quod hujus primæ Sectionis inſtitutum erat; ut, hiſce veluti præliminaribus Paradiſi, primùm perluſtratis & expoſitis, in quibus ei cum cæterâ ſuâ terrâ convenerit, communem Neotericorum in hoc argumento errorem effugeremus, qui ſtatim ab ingreſſu

greſſu operis ad Paradiſi fluvios inveſtigandos ſe accingunt; & quod ultimum eſt in hâc materiâ primùm aggrediuntur, & in eo ferè toti hærent. Nos veram Methodum doctrinæ Paradiſiacæ inſtauravimus; in quâ, generalibus, ſimpliciori-bus, & quæ cognitu faciliora ſunt, præmiſſis, aditum damus ad minutiora omnia, quæ notitia humana attingere poſſit. Atque hiſce generalibus ad finem jam perductis, ſupereſt celebris illa diſquiſitio de *LOCO AUT REGIONE PARADISI TERRESTRIS.*

Locum Paradiſi quæſitiſſimum ſolâ vi & ductu Theoriæ noſtræ definire, nec ſperamus, nec ſatagimus; cùm quæcunque fuerit hemiſpæriorum in antiquâ terrâ differentia & ſingularis proprietas, aut in eodem hemiſphærio regionum, à cauſarum intuitu demonſtrari non poſſit. Maxima pars Telluris primigeniæ erat aliquo modo Paradiſiaca; atque ità ſemper in mundo novo, & durante aureâ ætate, à priſcis gentibus habita eſt: ut liquet ex eorum monumentis. Quod ſi, his relictis, Antiquorum patrum premamus Veſtigia, rectà nos ducunt, ut mihi videtur, in orbem Auſtralem, ſive ultra Æquatorem, ad Paradiſi locum inveniendum.

Atque eò libentiùs antiquos Patres ſequor qui nos ducunt in orbem incognitum, quòd inter diverſas authorum neotericorum ſententias, qui in variis orbis cogniti regionibus Paradiſum collocârunt, nullam inveniam, quæ ipſius hiſtoriæ & phænomenis ullatenùs reſpondeat. Præterquam enim, quòd neque cœli perpetuæ ſerenitati & conſtantiæ, hominumque longævitati, conſulant; Quibus non tantum Paradiſus, ſed etiam tota Tellus coætanea gaudebat: Quoad phænomena ſpecialia Paradiſi, neque inter ſe conveniunt hi authores, neque cum hiſtoriâ ſacrâ, neque cum rerum naturâ. Nemo neſcit quot & quantæ ſunt diſceptationes Theologorum & Geographorum de fluviis Paradiſi; ubinam ſint aut fuerint, & quas regiones terrarum peragrârint: Atque auſim dicere collatis ſingulorum ſententiis, ex iis quamlibet refelli poſſe cæterorum authorum argumentis; ſi ortum, curſum & exitum quos fluviis ſuis attribuunt, expendamus. Et quot quidem ſunt diverſæ opiniones de loco Paradiſi, tot ſunt diverſæ explicationes horum fluviorum, *Piſhon, Giſhon, Chidekel, Huperath*; imò multo plures: nam ii qui conveniunt de loco Paradiſi quoad *Meſopotamiam*, in explicandis hiſce

hiſce fluviis ſæpe non conveniunt. Et quàm ſit inextricabilis hæc controverſia, facile videre eſt apud *Pererium*, *Malvendam*, alióſque rerum iſtarum ſcriptores. Ego quidem cùm inſanas quas comminiſcuntur trajectiones, demerſiones, itinera cæca & invia fluviorum animadverto, & quàm malè reſpondeant rerum naturæ & hiſtoriæ Paradiſiacæ, nullam ſpem ſupereſſe video reperiundi in hoc orbe Paradiſi fluvios.

Eſt in confeſſo, Neotericorum doctrinam, quæ Paradiſum in *Meſopotamiâ* alióve *Aſiæ* tractu conſtituit, ab antiquitate longiſſimè recedere, imò eidem multis modis planè adverſari. *Steuchus Eugubinus* auſus eſt primùm, apertè & operoſo ſtudio, Antiquitatis jura violare; Patrum ſententias radicitùs evellere; & venerandum Paradiſi myſterium in levem hiſtoriam, de horto quodam aut amœnâ regiunculâ in *Meſopotamiâ*, convertere. Ideóne ab orbe noſtro remotiſſimum, ideóne inacceſſum Paradiſum dixêre Patres, & mortalibus impenetrabilem? neque pedibus tantùm, ſed menti etiam aut ingenio. Itáne cenſuit S. *Auguſtinus* cùm Paradiſum terreſtrem eſſe certum putat, *locum tamen ejus ab hominum cognitione remotiſſimum eſſe?* In *Meſopotamiâ* poſuêre *Enochum* & *Eliam* Antiqui, *Juſtinus Martyr*, *Irenæus*, aliique multi? aut hanc terram præ cæteris omnibus Sole undique colluſtratam, ſine nube, ſine hyeme, prædicârunt S. *Baſilius*, *Damaſcenus*, & alii? hùc Piorum animas vitâ defunctorum tranſtulerunt *Tertullianus*, & cum ipſo plurimi? Quæ & qualia Antiquorum placita; ſive vera ſint, ſive non, de Paradiſo *Meſopotamico*, aut conſimili, nunquam cogitâſſe hoſce patres, præter alios plurimos infrà recenſendos, luce clariùs oſtendunt. Quinetiam *Judæi* haud ignoraſſent locum Paradiſi ſiti in confiniis ſuæ Patriæ, eum tamen ſtatuunt plerique Doctores *Hebræi* ſub Æquinoctiali.

Li. 8. de Gen. ad Lit. c. 7.

Prætereà, ut videamus ultrà, quàm diſcolor ſit antiquis documentis hæc Neotericorum ſententia, operæ pretium erit notare, Antiquos Patres multa tradidiſſe de Paradiſo & ipſius ſitu, à communi fide & cogitatione aliena: Quidam in cœlo tertio ſtatuerunt, quidam in Lunâ, in aëre quidam, alii in altiſſimis montibus, in alterâ terrâ alii, in altero orbe plurimi: ſi verò in *Meſopotamiâ*, aut *Paleſtinâ* ipſâ, aut aliâ regione vicinâ conſtitiſſet, ante pedes poſitum quid irent

quæsitum inter nubes, in cœlo, in aëre, in aliâ terrâ? Et longè quidem alia erat quæstio illa aut disquisitio de loco Paradisi apud antiquos, ab eâ quæ sub eodem titulo ventilari solet à recentioribus; quæ occurrit apud antiquos opinionum diversitas & differentia de Paradiso, in eo versatur potissimùm, quòd alii intellectualem & ἀλληγορικῶς exponendum duxerint, alii sensibilem & corporeum; atque hoc ferè apud omnes Patres Græcos & Latinos controversum est. Dein ex iis qui sensibilem & corporeum voluerunt, alii eum in hâc terrâ, alii extra hanc terram, sive in cœlo, sive in aëre, sive in alia terrâ dispositerunt: Atque in has partes itum est à veteribus, neque alia ferè occurrunt apud eos sententiarum discrimina de Paradiso. Recentiores autem qui hanc materiam tractant, abolitis ferè Antiquorum dogmatis, aut temerè præsumptis iis quæ ab his maximè disceptabantur, id unicè agunt ut in *Mesopotamiâ*, aut tractu aliquo *Asiatico* Paradisum nobis ostendant: Commentum quod nè per somnium quidem in mentem venit Patribus: quorum ab hâc fabulâ adeò dispar erat & dissita cogitatio, ut si unum atque alterum excipias, qui amore loci ducti *Hierosolymis* Paradisi sedes figere voluerunt, inter tot religionis Christianæ antistites vix unicum reperiri posse existimo, qui in nostro hemisphærio sive cis *Torridam* Paradisum terrestrem collocârit. Sed quid Antiquos memoro, aut eorum authoritatem, cùm *Eugubinus* ipse, si benè memini, alicubi glorietur, se invenisse novam sententiam de Paradiso, neque Græcis neque Latinis, neque Hebræis cognitam, nempe quòd in *Mesopotamiâ* posuisset. Egregiam vero Laudem! in re historicâ, aut cœlitùs olim revelatâ, ab omni antiquitate recedere.

Atque hæc de Neotericorum doctrinâ circa Paradisum: sequitur sententia Patrum de situ ipsius in orbe Australi. Hoc autem colligitur variis modis ex eorum scriptis; vel quod *Adamum* dicant ex Paradiso in alium orbem expulsum, vel quòd *Flammantem Gladium* de Zonâ torridâ interpretentur, vel quòd explicitè in altero orbe, vel, ut alii, ultra Oceanum, Paradisum constituant. Quas locutiones si penitiùs excutias, earum singulis eundem subesse sensum reperies: Eumque nos perducere ex orbe nostro in aliud hemisphærium. Atque ut rem totam ordine aperiamus, ipsius fundamentum, ex inspectâ primævæ naturæ facie, & nonnul-

nullis veterum dogmatis quæ indè fluxerunt, in apertum proferemus.

Notandum igitur Tellurem primigeniam, utì ex deſcriptione noſtrâ in majori *Theſ. c.* 5. liquet, diviſam fuiſſe in duos orbes; non tantùm limite imaginario, qualis eſt Æquator; ſed reverà & ab ipſâ naturâ diſtinctos: inſociabiles nempe & nullo prorsùs commercio junctos, Quos ideò duos Mundos meritò appellare liceret. Hi duo orbes nihil aliud erant quàm Terræ illius duo Hemiſphæria, Auſtrale & Boreale, aut eorum partes temperatæ & habitabiles, interpoſitu Zonæ torridæ penitùs disjunctæ, & mutuò imperviæ. Cùm enim ſitus illius Terræ ad Solem rectus eſſet, aut parallelus cum ipſius axe, nullíque fluvii pertingerent ad medias ipſius partes, partes illæ mediæ utì omninò inhabitabiles eſſent, ità nec tranſiri aut permeari ullo modo potuiſſent ob inſuperabiles æſtus & ariditates; unde etiam in terras vaſtas, arenas, & deſerta ceſſerunt. Hæc autem quæ reverà obtinuerunt in primævâ terrâ, ad hodiernam temerè tranſlata, originem dediſſe exiſtimo antiquæ famæ & opinioni de *inhabitabilitate Zonæ torridæ*; utì alteri etiam non minùs antiquæ de *diſtinctione mundorum* in hâc terrâ, nempe Orbis noſtri & alterius, Ἀντίχθονος dictæ. Hæc utique erat forma vera, & hæ conditiones Antiquæ Terræ; Eâ autem diſſolutâ, & exinde mutato ipſius ſitu faciéque, unà deſiêre Zonæ torridæ intolerabiles æſtus & ſiccitates; fama tamen & memoria rei manſerunt apud poſteros, cauſarum ignaros, immutatæ & incorrectæ: Et eadem etiam manſit mundorum diſtinctio, non tam Zonæ torridæ quàm magni Oceani interventu jam diductorum. Atque hanc eſſe clavim quodammodò antiquæ Geographiæ, veterúmque doctrinæ tam circa Zonam torridam, quàm mundorum diſtinctionem in hâc terrâ, non exiguam lucem afferre exiſtimo. In utraque re Antiquorum ſententias in quatuor aut quinque claſſes diſtributas, ſatis fusè explicuimus in *Majori Theoriâ*, quam cuivis licet conſulere pro ſuo otio.

Intereà in hoc compendio ſatis erit adjicere breve monitum de imperfectâ harum rerum cognitione. Quæ ab aliis hactenus dicta ſunt ſive de Paradiſi ſitu, ſive de cæteris quæ ad ipſius hiſtoriam ſpectant, ut de arboribus, arborúmque fructibus, de ſerpente, de fluviorum origine & curſu, aliiſque, nemini credo placuiſſe penitùs, aut ſatisfeciſſe. Sub

Dan. 12. 4. extremis mundi temporibus *percurrent mare* & *augebitur ſcientia*; & inſtante rerum fine, *quicquid occultum eſt revelabitur*. Intereà Oraculis Sacris acquieſco & divinæ providentiæ, quæ ſuo quodque tempore in lucem profert; non immaturè & præpropere ut ingenii noſtri pruritus poſtularet, ſed eo ordine qui mundi regimini univerſali optimè congruit. Neque moror Omniſciolos iſtos, qui nos nihil ſcire exiſtimant, niſi omnia ſciamus; produnt ſuam imperitiam; neque mentis noſtræ limites, neque veritatis & ſapientiæ ſemitam vident; aut quibus præcognitis in omni materiâ opus ſit, ut in rerum ſcientiam perveniamus. Sequenda eſt Lux naturæ quouſque ducat; & ubi deficit, ſiquid ulteriùs Author naturæ revelaverit, diſpiciendum; ſive id ſit literis ſcriptum, ſive (extra fidei rationes) ore traditum. Et qui his rectè utuntur conſiliis, atque hiſce ducibus, quouſque progredi licet humano ingenio, diſcernunt, & ubi aditus eſt interclu-ſus; in quibus ſuam fateri ignorantiam, non inſcitiæ eſt, ſed ſanæ mentis. Neque minùs iniquum eſſet, alicujus dogmatis novitatem aut inſolentiam hoc modo Philoſophantibus exprobrare, niſi eâ in re à ducibus ſuis illos receſſiſſe conſtiterit: quod utì ſemper alibi, ità maximè nobis præcautum eſt in hâc, quæ præ manibus verſatur, diſquiſitione; in quâ, fine omni partium qualicunque ſtudio, veterum doctrinam patrúmque ſententias illuſtravimus & expoſuimus.

Notandum etiam, in hac diſſertatione de loco Paradiſi, nos non tam noſtram, quàm Antiquorum Patrum, cauſam agere voluiſſe. Faſſi ſumus antea, vi noſtræ Theoriæ, de *Paradiſo Topico* nihil definiri poſſe; cùm totus ille Orbis primigenius, quà habitabilis, eſſet aliquo modo Paradiſiacus. Sed Paradiſum utcunque *Meſopotamicum*, quem introduxit *Steuchus Eugub.* procul amandamus & rejicimus, quùm ſit purum putum figmentum, cujus nec vola nec veſtigium in antiquitate, Sacrâ vel Prophanâ; neque Phyſiologiæ aut ſanæ rationi ullatenus conſentiat. Quod ſi, his omnibus expenſis, à Patribus non tam ediſcendum eſſe ſentias, ubinam fuerit Paradiſus, quàm ubi non fuit: nec aliud ipſos voluiſſe per illas loquendi formulas, *ultra Oceanum*, *extra Torridam*, *extra orbem noſtrum*, ſimileſque, quàm rem ignotam procul à ſe amoliri, & in regionem pariter ignotam amandare; Eſto, per me licet, nihil refragor. Sed hujus rei originem, primamque

mamque cauſam, altiùs repetendam eſſe exiſtimo; inde nempe quòd Orbis Paradiſiacus alius eſſet reverâ ab hodierno, ſive ab hodiernâ Terrâ. Cujus Doctrinæ antiquiſſimæ umbram aliquam & reliquias retinuerunt hi authores, ſub his vagis dubiiſque locutionibus.

CAP VII.

Quæ nova & ſingularia ſunt in hoc opere cum antiquorum Philoſophiâ & traditionibus comparanda breviter proponuntur: atque primùm Coſmogoniæ antiquæ gentium explicantur, & cum Theoriâ noſtrâ de primâ Telluris origine conferuntur.

HACTENUS Ideam Telluris primigeniæ atque primi Orbis habitabilis, qualem animo conceperamus, ſuis lineamentis deſcripſimus; eandémque oſtendimus & primi mundi Phænomenis reſpondere, & hodierni cauſas reddere: ad ipſum etiam Paradiſum, quantum Naturæ Myſtis conceſſum eſt, viam patefacere. Coronidis loco non abs re fuerit monumenta Veterum breviter perluſtrare, ut tantarum rerum, quæ ab hodiernâ Naturæ facie, & à communi fide alienæ ſunt, ſiqua ſint apud Antiquos veſtigia, videamus. Neque tamen id nobis proponimus, Theoriam noſtram Telluris aliorum placitis aut teſtimoniis probare, vi ſuâ atque ſuo pondere ſtet cadátve. Sunt verò quædam ingenia aſpera & propoſitorum tenacia, quæ abſtractis rationibus difficulter tractari poſſunt aut domari; hæc demulcenda ſunt argumentis humanioribus, à conſenſu Gentium, teſtimoniis Veterum, exemplis & ſimilitudinibus petitis. Quorum uſus & vera ratio non in eo poſitus eſt ut convincant & veritatem demonſtrent, ſed ut præjudicia emolliant, animóſque in alteram partem nimis propenſos ad æquilibrium reducant.

Atque

Atque ut hoc aggrediamur, notemus primò quæ nova & ſingularia haberi poſſunt in hoc opere, eáque majoris momenti capita, unde cætera pendent; Atq; hæc ſunt potiſſimùm quatuor aut quinque. *Primò*, *Geogonia* noſtra, ſive modus quo explicuimus generationem Telluris. *Secundò*, Tellurem primigeniam atque primum Orbem habitabilem in quo erat Paradiſus, alium fuiſſe ab hodierno, atque ſitu altiorem. *Tertiò*, Illius Telluris primigeniæ formam fuiſſe æquabilem, ſine montibus, ſine mari, ſine inſulis. *Quartò*, Ipſius figuram fuiſſe Oblongam ſive Ovalem, ſecundum Veteres. *Quintò*, Ipſius ſitum ad Solem alium fuiſſe ab hodierno, nempe rectum & æqualem.

Hæc ſunt præcipua totius operis fundamenta, in quantum aliquid de novo inventum, aut poſt multa ſecula renovatum continet; & in hiſce comparandis cum antiquorum ſcriptis quatuor capita ſequentia impendemus. Et cùm jam agendum ſit de Philoſophiâ veterum eorúmque ſententiis, monitum illud præmittere oportet; nempe cùm Veteres nihil cognoverint ratiocinando (ſaltem ut mihi videtur) in rebus Phyſicis, ſed, vel traditione vel ſenſu, non quærendas eſſe apud eos accuratas & diſtinctas rerum notitias: neque enim cauſas, aut inviſibilis Naturæ ſtatum, aut nôrunt aut notârunt: ſed concluſiones aliquas retinuiſſe videntur, ſuo more prolatas, quæ ſummariè complectuntur Origines Telluris, & quæ ei advenerunt mutationes maximè inſignes.

Atque primùm, quod ſpectat ad ortum & generationem hujus telluris, *Coſmogonias* Antiquorum conſulamus; ubi id primo loco notandum, Antiquorum *Theogoniam* idem eſſe ac *Coſmogoniam*; & eorum *Coſmogoniam* idem eſſe ac *Geogoniam*: Neque enim intelligendæ ſunt Antiquorum *Coſmogoniæ* de origine immenſi Univerſi, omnium cœlorum atque omnium Fixarum; ſed de Telluris noſtræ formatione, ubi centrum hujus molitionis ſtatuunt, & exordium operis: nec ulteriùs extendi debent eorum Philoſophemata quàm ad ea quæ ab eodem Centro dependent. Neque id obſtare putandum eſt, quòd aliarum partium Univerſi quandoque mentionem faciant: utì enim illud per errorem factum eſſe potuit in nonnullis, ità dici poſſunt ab aliis tum naſci & oriri eæ partes cœleſtes Univerſi, cùm primùm conſpicuæ erant, atque diſſipatâ caligine Chaos & nigri aëris, eminùs ſe oſtentabant terris,

terris, paulatim emicantes è tenebris, quaſi ab iiſdem & ab eodem Chao enatæ fuiſſent. Alterum quod ſpectat, Antiquorum Theogoniam & Coſmogoniam idem eſſe, ut ex *Heſiodo* aliiſque patet, id minimè mirum eſt. Cùm enim illuſtriores mundi partes & portiones pro Diis habuerint, horum & illarum originem deſcribere idem eſſet. Sed Græci primùm, ut mihi videtur, Coſmogoniam antiquo-barbaricam in Theogoniam converterunt, & poëticè adornârunt.

Secundò, Notum eſt, Antiquos omnes qui originem terræ deſcribunt, ex Chao eam deducere; ut anteà notatum eſt libro primo, capite quarto, neque de hâc re ulteriùs diſceptabimus.

Denique tertiò, Notandum eſt, Antiquorum Coſmogonias de quibus loquimur, non ſtrictè & Philoſophicè explicare aut Terræ aut alterius cujuſcunque rei formationem; ſed generatim & hiſtoricè memorare mutationes quæ advenerunt Chao: nempe in quæ corpora aut Regiones hoc Chaos ſucceſſivè diviſum fuit, & quo ordine; donec in compagem Orbis habitabilis, ſive aëris, aquæ, & terræ diſpoſitum eſſet. Et cùm per modum *Theogoniæ* proponant hanc progeniem vel fœturam Chaos, *Deorum Genealogiam* appellant: Neque aliâ clavi opus eſſe mihi videtur ad explicandas Coſmogonias Antiquorum. Ità, ex. gr. dicunt primò ex Chao genitam eſſe Noctem & Tartara: Ex Nocte genitam eſſe Terram, Oceanum, Cœlum aut Æthera, & Amorem. Hæc nihil aliud ſunt (Amorem excipio, qui ad alium ordinem rerum ſpectat) quàm diverſa illa corpora, regiones aut Orbes in quos ſenſim diviſum & diſcretum erat Chaos; aptiſſiméque reſpondent iis regionibus quas in formatione Telluris libro primo diſtinximus, aut in quas materiam Chaos ſe paulatim diſtinxiſſe notavimus; ut in hâc tabellâ:

Chaos { Nox { Cælum & Æther. / Terra. / Dij, Homineſq;. } / Tartarus, Oceanus, Abyſſus. }

Nimium

Nimium esset in hoc Compendio Cosmogonias ipsas Antiquorum repetere: quas habes in majori Theoriâ plenè descriptas & expositas; nempe illam *Orphei*, *Hesiodi*, *Aristophanis*, *Empedoclis*: Dein *Ægyptiacam* Diodori, & *Phœniciam* Sanchuniathonis. Res eò redit, In principio rerum tres erant status notabiles & insigniter diversi Materiæ Mundanæ, qui alii aliis successerunt. Primò status confusionis, sive Chaos. Dein status separationis, segregationis, divisionis, dissidii, & quasi inimicitiæ. Denique status commixtionis & unionis, conjunctionis & complexûs, & quasi amicitiæ. Atque ultimò Ordo & forma mundana quæ indè emersit. Veteres autem Philosophi, qui aut Poetæ erant aut Poetarum simii, res naturales figuratè exprimere & adumbrare consueti sunt; unde in motu primo Chaos, vel in statu materiæ mundanæ proximè post Chaos, litem, dissidium, contentionem, inimicitiam regnare dixerunt. Atque in altero qui sequebatur, Amorem, Amicitiam, Venerem, Cupidinem: quibus unà mentem conjunxerunt sociam & coadjutricem, ad fabricandum & ornandum Mundum. Quibus omnibus sua inest veritas si ad castiorem philosophiam reducantur.

CAP. VIII.

Cosmogoniæ Sacræ explicantur, præsertim Mosaicæ: & cum eâdem Theoriâ nostrâ conferuntur.

ATQUE hæc de Cosmogoniis exoticis, & consensu gentium cum Theoriâ nostrâ de origine Telluris; Cosmogonias Sacras jam perlustremus. Illam intelligo *Mosis*, capite primo *Geneseos*; atque alteram *Salomonis*, capite octavo *Proverbiorum*: Utramq; autem paucis in hoc loco.

In explicandâ Cosmogoniâ *Mosaicâ*, illud primò notandum est, non id agere *Mosen*, ut primam materiæ productionem, atque universi mundi ortum describeret, sed mundi nostri, *scil.* telluris nostræ & cœli nostri è suo Chao formationem. Neque enim à Chao & confusâ materiæ massâ ortum est totum

tum Univerſum, ut olim Philoſophatus eſt *Epicurus*. Neque omnes ipſius partes referuntur ad Terram tanquam centrum, ut jam nôrunt omnes Aſtronomi. Subjectum autem Geneſeos *Moſaicæ* eſt Chaos, & confuſiſſimum & terreſtre; & quæ ex hoc Chao educta ſunt, & ad illud tanquam centrum referuntur, ea propriè ſpectant ad *Mundum Moſaicum*. Dico Chaos terreſtre ſumpſiſſe *Moſen* ut molitionis ſuæ mundanæ fundamentum, *Terra*, inquit, *erat informis & vacua, tenebræque ſeu caligo in facie abyſſi*. Ecquis autem fingere poteſt hanc maſſam terreſtrem, hanc Abyſſum, aut hanc caliginem per omnes Planetarum cœlos ad *Saturnum* uſque, & ad primi cœli extima pertigiſſe, imò ad ſecundi tertiique, & cœlos ſupremos comprehendiſſe? Hoc ut credamus, & ſtellarum naturas neſcire, & mundi ſyſtema, oportet. Præterea, mundúmne Angelicum, & rerum intellectualium ordines *Moſes* eduxit ex ſuo Chao? Eorum ne meminit quidem, neque cœlorum ſuperiorum: Inſipientis enim eſſet id moliri ut è maſſa terreſtri hæc extunderet. Rectè igitur docuerunt ex antiquis Patribus multi, neque mundum Angelicum, neque hujus mundi partes & regiones ſuperiores, in *Mundo Moſaico* comprehendi, ſed eidem præextitiſſe per ignota nobis ſecula; quod quidem, ſi opus eſſet, & dictorum Patrum teſtimoniis, & rationibus naturalibus invictis hic confirmarem: impræſentiarum autem ſufficiat notare, eundem mundum cujus ortum *Moſes* deſcripſit, periturum eſſe in ultimî conflagratione; totum verò Univerſum non conflagrabit, ſed Terra noſtra & cœlum noſtrum, quæ mundum noſtrum & *Moſaicum* conſtituunt. Quinetiam tempore diluvii periit idem ille mundus, quem S. *Petrus* appellat ἀρχαῖον κόσμον, 2 *Ep.* 2. 5. & tam cœlos, quàm terram periiſſe ait; iterúmque in conflagratione utroſque perituros; 2 *Epiſt.* 3. 5, 6, 7. Neque ideò totum Univerſum diſſolutum erat tempore diluvii, aut in conflagratione diſſolvetur, ſed mundus noſter, ſive *Moſaicus*.

Succrevit in Theologiâ opinio, ſive à Judæis derivata (qui magnificè ſemper de ſeipſis ſentiebant, atque ſingula, ſive naturæ, ſive providentiæ opera, ad ſe referre ſolebant) ſive ab amore proprio, *Omnia facta eſſe propter hominem*; quod inter ambitum mundi noſtri verum quidem eſt. Totum verò Univerſum quantum quantum, noſtrûm gratiâ, mortalium

Tully lib. 2 natura Deorū lib. 2 Academ. cor.

um homunculorum, factum esse, si ad scientiæ regulas exigatur, est insulsissima cogitatio ; quippe quæ rerum ordinem pervertit, atque ima summis confundit: præstantissimas rerum immortalium species infimis subjicit, atque maximum Universum exiguæ ejusdem particulæ. Nonne pudet asserere supremos cœlos, quos nè aspeximus quidem ; & absentissimas stellas, quas nè cogitatione attingimus, constitutos & ordinatos esse nostrî causâ ? Mundi præterea intellectualis innumeros ordines, Mentium scilicet, & Angelorum, ut nobis inservirent productos fingere, idem est ac siquis dixerit Leones & Aquilas natos esse propter muscas & ranunculas ; neque tantum est discrimen inter hæc animalia, quantum à nobis distant illæ rerum creatarum summitates & fastigia. Nefas mihi videtur quodammodò, & sacrilegium, rerum naturas ità violare, & cùm infimi simus, quantum nobis innotescit, in rerum intelligentium classe, supremas sedes & Deo proximas affectare. Ne putemus itaque nobis nascentibus & mundo nostro, necesse esse ut tota natura eodem tempore nasceretur: Neq; voluisse *Mosen* Universi compagem immensam, totúmque ipsius apparatum & supellectilem, è suâ Abysso aut caliginosâ nocte extrahere: sed ea tantùm, quibus constituendis apta esset materia, hæc massa prima. Quare pro certo & explorato habeatur in ratione scientiæ (quæ enim ἀθικῶς, ad captum usúmque populi dici possunt, non hîc respicimus) *Mundum Mosaicum, non omnes Universi regiones, neque omnes rerum ordines complecti, sed illas naturæ partes quæ a Chao terrestri educi potuerunt.*

Atque hoc animadverso, ad Cosmopœiam *Mosaicam* progrediamur ; ubi eadem principia occurrunt, quæ in cæteris Cosmogoniis notavimus, *Chaos, Tenebræ, Abyssus, Amor* sive Spiritus Dei, *&c.* Constat autem hæc Cosmopœia duabus partibus, quarum prima, massas generales atque rerum condendarum statum exhibet, sequitúrque eadem principia & eundem ordinem quem Antiqui usque retinuerunt. Atque in hoc nobiscum conveniunt omnes ferè Interpretes Christiani, nempe *Tohu Bohu Mosaicum* idem esse ac *Chaos Antiquorum: Tenebras Mosaicas* idem esse ac *Noctem antiquorum: Abyssum Mosaicam* idem esse ac *Tartarum* vel *Oceanum* antiquorum : *Spiritum* super aquas idem esse ac *Mentem* vel *Amorem* Antiquorum. Huc usque convenit *Mosi* cum Antiquis

quis Philoſophis ; hujus autem Divini Spiritûs aût *Amoris* motum non proſequitur *Moſes*, neque memorat effecta ipſius incubationis in Abyſſum, cui meritò ordinationem & cæterarum rerum productionem, totiúſque mundi apparatum Sapientia Veterum atque vera Philoſophia adſcribit. *Moſes* autem methodum illam Philoſophicam hîc abrumpit, aliámque orditur humanam, aut ſi mavis, Theologicam ; quâ, motibus Chaos ſecundùm leges Naturæ & Divini Amoris actionem planè neglectis, & ſucceſſivis ipſius mutationibus in varias regiones & elementa ; his inquam poſthabitis, popularem narrationem de ortu rerum hoc modo inſtituit : Res omnes viſibiles in ſex claſſes diſtribuit, & à ſimpliciori-bus & inanimatis exordiens, progreditur ad animalia, & deſinit tandem in hominem, cujus gratiâ totum orbem ſuum inſtruxerat. Ità à Luce, re ſimpliciſſimâ & maximè neceſſariâ orditur, inde diſtinctis aquis & inferioribus unà collectis, globum Terraqueum conſtituit, quem ſubinde herbis & plantis ornat : Luminaria dein in Cœlo, Solem, Lunam & Sydera collocat : Et exinde animalium ortum aggreditur, & quodlibet Elementum ſuis incolis replet, piſcibus mare, aërem volucribus, atque terram omne genûs beſtiis inſtruit : quibus ità paratis & inſtructo Theatro prodit Homo, rerum Dominus.

Facilè notare licet hanc Coſmopœïam non eſſe Philoſophicam, neque hîc tranſiri ab unâ claſſe rerum ad aliam ordine & nexu Phyſico, ſecundùm motus & transformationes Chaos : ſed omnipotenti Dei verbo evocat in ſcenam *Moſes* unum poſt aliud, eo ordine quo maximè viſum eſt neceſſarium quodque, ad inſtruendum & ornandum orbem habitabilem. Quâ in re ſatìs obſervâſſe mihi videtur τὸ πρέπον populare : Incipit à Luce, ad illuſtranda ſpacia mundana, nè Deus videretur in tenebris operari, quod à populo incongruum haberi potuiſſet : lædit etiam imaginationem quodammodò mundum tenebricoſum aut opera Dei in tenebris immerſa contemplari ; Ἀρχὴ τῆ ποιήσεως φῶς ὄζειν, ἐπειδὴ τὰ κοσμήματα τὸ φῶς φανερῶι. Unde autem venit hæc Lux, aut quo fugit nocturno tempore, id non curat populus. Dein ut haberet quo pedem figeret, terram aquis denudat & Aridam prodire facit , ubi cætera omnia diſponit ordinatè, pabulum pro animalibus, dein animalia, atque ultimò Hominem. *Theophyl. ad Autol. l. 2.*

Hiſtoriæ ſuæ de telluris Origine interſeruit etiam Solem & Sydera: quæ tamen non propterea credenda ſunt à Chao terreſtri originem traxiſſe, ut in principio hujus capitis notavimus: ſed cùm à populo ſpectentur ut terris vicina, neque majora eſſe pilâ ſeſquipedali, facilè creduntur è terrâ & mundo inferiori educta eſſe, ut meteora ignea. Quòd verò Lunam cæteris ſtellis majorem exhibeat, id in Philoſophiâ vulgi veriſſimum eſt.

Prætereà, quòd *Moſes* in ſuâ Coſmopœïa Deum memoret per intervalla, & interpoſita otia operatum eſſe, atque ſex dierum ſpatio penſum abſolviſſe, id more humano dictum eſt: neque enim natura rerum à motu, neque Deus ab actione, unquam ceſſant, aut ab opere deſiſtunt ad reficiendas vires. Sed quoniam rem multifariò compoſitam, qualis eſt mundus, faciliùs concipimus per partes quàm totam ſimul, ſatius duxit ſupponere ſucceſſivè & particulatim formatum eſſe mundum, licèt immediato Dei verbo; id enim in rebus naturalibus *Moſi* in uſu eſt, potiùs impingere in Philoſophiam quàm in opiniones & captum vulgi. Verum tamen eſt ſenſim & ſucceſſivè formatum eſſe mundum, ſi progreſſum naturæ ſecundùm motus Chaos reſpiciamus. Denique quòd mundum ſex dierum ſpatio abſolutum ſupponat & exinde Deum requieviſſe ab omni ſuo labore, id rationem *Sabbathi* indicat, Sacrumque illud inſtitutum, quaſi Dei ipſius exemplo, & abſoluti mundi memoriâ, ratum facit. Prætereà, viſum eſt pluribus antiquorum Patrum hæc eſſe Typica; Moſemque per ſuos *ſex dies* innuere voluiſſe, poſt totidem Millennia, habito quoque die pro mille annis, magnum *Sabbathum Mundanum* celebrandum eſſe.

Denique notandum, in hâc ſecundâ parte Coſmopœïæ Moſaicæ omnia referri ad hodiernam telluris formam, non ad primævam. Pars prima utramque telluris formam antediluvianam & poſt-diluvianam reſpicere poteſt, cùm generalis ſit. Secunda autem illam telluris formam reſpicit, quæ tunc temporis obtinuit, cùm hæc ſcriberet *Moſes* & etiamnum obtinet, nempe poſt-diluvianam: Et nimis quidem alienum fuiſſet à propoſito *Moſis*, & ab uſu populi, accuratam Theoriam de ortu rerum, & formatione primi orbis habitabilis, inſtituiſſe, ſecundùm cauſas Phyſicas & motus Chaos: Et dein primùm orbem habitabilem ab hodierno

erno diſtinxiſſe, & quo modo primus periit altérque ſucceſſit ex cauſarum ſerie expoſuiſſe; quæ eſt legitima de ortu Telluris Theoria. Hæc autem diſquiſitio, aut hujuſmodi, cùm Legiſlatori vel Theologo parùm idonea fuiſſet, quædam generalia præfatus, ad Telluris faciem, ut hodiè cernitur, hiſtoriam ſuam de mundi ortu accommodat; Idque eo, quo dictum eſt, modo.

Hæc de Coſmogoniâ Moſaicâ. Sequitur illa *Salomonis*, *Prov.* 8. ubi id maximè notandum, Deum dici conſtituiſſe *Orbem* ſive *Sphæram* in facie Abyſſi. Opera enim mundi primæva & molitionem Terræ enarrans *Sapientia*, *Logos*, *Mens* aut Amor, (Hæc enim eadem eſſe exiſtimo) dicit de Deo, in initio rerum *cùm Gyro vallabat Abyſſum*: חָקַק חוּג עַל־פְּנֵי תְהוֹם *ſuper faciem Abyſſi cùm orbem ipſe faceret.* Manifeſtum eſt Abyſſum Primigeniam hîc denotari, eique Orbem ſive Sphæram circumductum eſſe, idque in prima Terræ formatione. Quæ ſingula in hypotheſin noſtram quadrant. Hiſque reſpondent breviuſculæ illæ Coſmopœiæ in *Pſalmis*, *De fundatione Terræ ſuper maria*: Pſal. 24. 1, 2. & de *Extenſione Terræ ſuper Aquas*, *Pſal.* 136. 5, 6. Nec abludit illa proprietas vel conditio Telluris primæ, & ab hodiernâ diſcrimen; quod affertur à S. *Petro*, loco antea citato, quòd *ex aquâ & per aquam conſtitit*, *ſermone Dei.* Idem eſt, ſcilicet Orbis habitabilis, Abyſſo ſuperſtructus, qui poſteà in Diluvio periit: ut ibidem notat Apoſtolus. Sed redeamus ad *Salomonem.*

Prov. 8. 27

Fatebitur, opinor, quiſque, in illâ deſcriptione ortûs Telluris, *Sapientiæ* nomine exhibitâ, quædam eſſe abſtruſiora, ſtyloque inſolito prolata. Præcipuè verſiculi vigeſimus ſextus & ſeptimus, his verbis. *Adhuc non fecerat Terram, aut campos; imò principium, pulveres orbis habitabilis. Cùm aptaret cœlos, ibi eram; cùm ſtatueret ambitum in ſuperficie Abyſſi:* Hæc adeò ſunt difficilis interpretationis & intelligentiæ, ut è multis vix duæ occurrant verſiones, in quibus hæc verba eodem modo traducuntur. Quod ideò contingere exiſtimo, quoniam materia, de quâ tractatur, parùm intelligitur. Cùm verò hodiernæ Telluris forma ſatis innoteſcat omnibus, ſi de eâ tantùm hæc dicta eſſent, non eſſent adeò impedita & explicatu ardua; quare ad aliam Telluris formam quædam hîc referenda arbitror, atque inde lucem afferri poſſe obſcuritati

textus.

textus. Exempli gratiâ, illæ duæ ſententiolæ, *Principium*,
26. *pulveres orbis habitabilis.* וְרֹאשׁ עַפְרוֹת תֵּבֵל. καὶ ἄκρα οἰκούμενα τῆς ὑπ' οὐρανῶν. Dein altera illa, כִּחֲקוֹ הוּג עַל־פְּנֵי תְּהוֹם. καὶ ὅτε ἀφώριζε τὴν ἑαυτοῦ θρόνον ἐπ' ἀνέμων: Longiſſimè ab Hebræo recedunt. Verbatim, *in deſcribendo orbem vel ſphæram ſuper facies Abyſſi.* Inquam hæ duæ partes hujus deſcriptionis omnium ſunt difficillimæ: Prima autem, ut mihi videtur, notat elementa vel particulas elementares, pulviſculos & minutias quæ componebant primum orbem habitabilem. Altera, ipſum illum Orbem, conſtructum ſuper faciem Abyſſi. Ego quidem non pertinaciter hærendum eſſe exiſtimo verborum interpretamentis, præſertim ſiquid obſcuri habeant; ſed primum ſemper locum dandum eſſe rationibus ſolidis: Illud tamen dico, admiſſâ Theoriâ noſtrâ de primâ molitione Telluris, faciliùs explicari aptiúſque, quæ in hiſce duobus locis innuere voluit Sapientia, circa fundationem formamque Terræ primæ, quàm ex ullâ aliâ ſuppoſitione. Atque hæc hactenùs, de Coſmopœiis ſacris.

Ad claudendum hoc caput, breve monitum adjiciemus circa cauſas hujus Orbis Superabyſſini. Quanquam enim hujus Orbis conſtructionem legitimè, quantum conſtat, deduxerimus ex cauſarum naturalium ſerie: nihilominùs cùm dicatur à *Moſe, Spiritus Dei incubavit* vel *ferebatur ſuper Abyſſum,* ad aliquid proculdubio operandum & moliendum: & in omnibus Coſmopœiis ſacris notetur, *ſermone* & *ordinatione Dei* conſtitiſſe Orbem illum, in facie aquarum ſtabilitum; libenter in illam ſententiam adducor, Divini Spiritûs præſidentiâ & regimine Orbem illum primigenium, cum ſeminibus mundi viventis in eo conceptis, fictum & formatum eſſe. Neque enim in primâ rerum origine & formatione, ſolis materiæ motibus & conſuetis Naturæ legibus adeò tenaciter adhærendum eſt, ac in mundo formato & completo. Parvus quidem motus, aut diſpoſitio motuum, in principiis, egregias ſequelas & rerum ordines ſecum trahit; quæ forſan aliunde ex puris Mechanicæ legibus nunquam emerſiſſent: aut non eodem tempore, aut non eâdem ſerie. Neque tantùm Authores ſacri, ſed etiam exotici, *Mentis* aut *Amoris* actioni eundem Orbem attribuunt, ut ſuprà vidimus; ſed de Coſmogoniis antiquis hæc ſatis.

CAP.

CAP. IX.

Articulus ſecundus proponitur, probaturque antiquam doctrinam inter Chriſtianos de ſitu ſublimi Paradiſi, Theoriæ noſtræ de mundo Originario & de Paradiſo conformem eſſe.

SEQUITUR jam Articulus ſecundus hypotheſeos noſtræ; qui quidem *Geogoniæ*, quam præmiſimus, corollarium eſt; aſſerítque *Tellurem primigeniam, atque primum orbem habitabilem in quo erat Paradiſus, alium fuiſſe ab hodierno, atque ſitu altiorem.* Hanc propoſitionem tam à priori, quàm à poſteriori, probavimus in libro primo; neque ideò res ipſa poſtulat, ſed curioſitas noſtra, ut ſciamus, ſiqua fuerit apud Antiquos hujuſce rei notitia aut memoria.

Facilè credo ſiqua erat apud Gentes Paradiſi notitia, eam adeò involutam eſſe fabulis, ut parùm indè lucis haurire liceat. Memorat *Homerus* penſiles *Alcioni* hortos, *Heſperidum Heſiodus*, ultra Oceanum; *Plato* inſuper in *Phædone* terræ cujuſdam *æthereæ* meminit, ſive loci amœniſſimi, quem ſupra imbres omnes, flatus & fulmina ponit, ad modum Paradiſi noſtri. Hæ ſunt tenues reliquiæ telluris Paradiſiacæ apud Gentes, quarum monumenta (ſi Coſmogonias excipias) rarò pertingunt ultra diluvium, neque quidem clarè ultra Olympiadas. Apud Chriſtianos autem, quibus certiori famâ innotuit Paradiſus, ſuperſtitit clarior memoria alterius orbis & telluris in qua erat. Illud enim receptiſſimum eſt apud Patres & Doctores Chriſtianos, *Paradiſum fuiſſe in altiori & ſublimiori ſitu quàm eſt hodiernæ telluris ſuperficies*; ut ab omnibus ferè notatum eſt, qui argumentum illud tractârunt; ipſorúmque Patrum placita & teſtimonia ſtatim ſubjiciam.

Intereà

Intereà recordemur ejus quod ſuprà notavimus, *Cap.* 6. cùm de plagâ Paradiſi ſive de ipſius ſede in parte terræ hâc aut illâ ageretur ; Nimirum Antiquos Patres multa tradidiſſe de Paradiſo & ipſius ſitu à communi fide & opinione aliena. Et eorum quidem placita vaga & paradoxa de loco ipſius, id ſaltem arguere videntur, aliquid fuiſſe ſingulare in ipſius ſitu & ab hodiernæ naturæ facie & conſtitutione diverſum. Olim non tam ſolebant quærere in quâ regione terræ, quàm in quâ regione mundi, ſitus erat Paradiſus ; erat terreſtris nécne, & in quâ terrâ extitit, hâc an ali ? Quomodò autem hæ conjecturæ deviæ, ſi nulla erat aberrandi occaſio ? nihil quod à communi via & à communi terrâ abduceret ? Sed miſſis generalibus teſtimonia ipſa & ſingulorum placita jam ſubjicienda ſunt. Cùm verò eo tantùm ſine authoritate Patrum hîc utamur, ut oſtendamus Paradiſum, vel terram in quâ erat Paradiſus (hæc enim eódem recidere infrà monſtrabimus) diverſam fuiſſe ab hodiernâ, atque ſitu altiorem, non opus erit eorum opiniones recenſere qui purè intellectualem eſſe voluerunt ; aut qui in ſupremo Cœlo locíſve extra-mundanis collocârunt. Satis erit ad propoſitum noſtrum hæc duo probare ; primùm, teſtari Patres Chriſtianos, *Paradiſum in alto ſitum fuiſſe, altiúſque terrâ hodiernâ.* Secundò, *eoſdem teſtari, in aliâ terrâ, aut alterius formæ,* aliter nempe locatâ, conſtructâ & diſpoſitâ, *ſitum fuiſſe Paradiſum.*

Auſpiciamur à priori, atque ordine laxo prout res ſe obtulerint, Patrum & antiquorum Doctorum teſtimonia de ſitu ſublimi Paradiſi apponemus. Ità Sanctus *Baſilius* homilii de Paradiſo. Τόπον ὑπερφέροντα ὅλης κτίσεως, θαυμαστὸν τῷ κάλλει, ἐν περιόπτῳ κείμενον, ἀνεπισκότητον διὰ τὸ ὕψος. *Locum totâ terrâ aut ſublimiorem aut præſtantiorem, pulchritudine mirandum, undique conſpicuum, neque tenebris aut umbræ obnoxium, propter altitudinem.* Idem ferè repetit S. *Joh. Damaſcenus* de Orthod. *fide lib.* 2. *cap. de Parad.* Πάσης τῆς γῆς ὑψηλότερος κείμενος, εὐκρασὴς ὢν καὶ ἀεὶ λεπτοτάτῳ καὶ καθαρωτάτῳ περιλαμπόμενος. *Omni terrâ excelſior : temperato Cælo, & aëre tenuiſſimo & puriſſimo undique illuſtratus.* Quæ verba ex *Suidâ*, in voce παράδεισος, tranſcripſiſſe videatur ; aut potiùs uterque ab antiquiore aliquo ea recepiſſe. Denique notum eſt, ex antiquis plures aſſeruiſſe, Paradiſum in communi rerum clade intactum manſiſſe ; non pertingentibus eouſque aquis Diluvii, propter ipſius ſitûs altitudinem.

Mediæ

Mediæ altitudinis & ſitûs Cœlum inter & terram noſtram ſtatuiſſe Paradiſum Antiquos, ex multis conſtat. *Steph. Gobarus* (in Biblioth. *Photii*) hoc problema tractaverat, ὡς ὁ παραδεισος ὅτε ἐν τῷ ἀέρι, οὐδὲ ὅτι τῆς γῆς, ἀλλὰ τῶν μεταξύ. *Neque in Cœlo Paradiſum neque in terrâ, ſed inter utrumque.* Eadem eſt *Philoxeni Mabugenſis* ſententia, *Ità*, inquit, *conſitus à Deo Paradiſus ut medium locum occupet:* Nempe inter Cœlum & terram noſtram. Et eódem planè reſpicere videtur *Theophilus Antiochenus*, ad *Autolycum*, *lib.* 2. de *Adamo* verba faciens, μετέθηκε δὲ αὐτὸν ὁ θεὸς ἐκ τῆς γῆς ἐξ ἧς ἐγεγόνει, εἰς τὸν παράδεισον· ὅπως εἰς τὸν ἀέρα ἀναβῇ· μέσος γὰρ ὁ ἄνθρωπος ἐγεγόνει, ὅτε θνητὸς ὁλοχερῶς, ὅτε ἀθάνατος τὸ καθόλου, δεκτικὸς ἑκατέρων· ὅπως καὶ τὸ χωρίον ὁ παράδεισος, ὡς πρὸς κάλλονὴν, μέσος τοῦ κόσμου καὶ τοῦ ἀέρος γεγένηται. Ubi Antiquorum ſententia de ſitu Paradiſi ad ipſius pulchritudinem exprimendam detorqueri videtur. *Moſes Bar-Cepha* in Commentario de Paradiſo, præter multa alia egregiè dicta, de quibus infrà, hoc etiam explicitè aſſerit, ídque ſæpiùs: *cap.* 9. *Illud inſuper aſſerimus eam Terram in quâ eſt Paradiſus, altiorem multò ſublimioremque exiſtere hâc quam nos colimus*; & præcedente capitè ità diſſeruerat, *ut Cœlum firmamento eſt ſuperius & firmamentum Paradiſo, ità Paradiſus terrâ quam nos colimus.*

Sequuntur jam expendenda loca illa notiſſima Authorum qui *in Lunari circulo* Paradiſum conſtituunt: quæ cùm elucidaverimus paululùm, nihil ab iis exprimi à communi ſententiâ Veterum de loco Paradiſi alienum clarè videbimus. *Strabus* in *Gen.* 2. *Ubicunque ſitus eſt Paradiſus*, inquit, *ſcimus eum terrenum eſſe, & interjecto Oceano & montibus oppoſitis remotiſſimum à noſtro orbe, in alto ſitum, pertingentem uſque ad LUNAREM CIRCULUM.* Idem frequenti repetitione confirmatur à ſequioris ævi Doctoribus. *Hiſtoria Scholaſtica* in *Gen.* 13. *Eſt autem Paradiſus locus amæniſſimus, longo terræ & maris tractu à noſtrâ habitabili Zonâ ſecretus, adeò elevatus ut ad Lunarem Globum attingat.* Idem docet *Petrus Lombardus* qui Theologorum ſententias & dogmata collegit, *lib.* 2. *diſt.* 17. *Unde volunt in Orientali parte eſſe Paradiſum & in alto ſitum, uſque ad Lunarem Circulum pertingentem.* Idem dixiſſet anteà *Bridefertus Rameſienſis* gloſſâ in *Bedam* de ratione temporum, *cap.* 41. Etiam *Beda* ſæpiùs & *Rabanus Maurus* adduci ſolent ut ejuſdem doctrinæ vindices. Sed his multò antiquiorem, S. *Auguſtinum* citat *Ambroſius Catharinus* in eandem ſententi-

Com. in Gen. 2.

am, ſuccenſetque aliis qui non altiùs *Bedâ* ipſius originem repetunt. Quin ait non id finxiſſe *Auguſtinum*, nec ſomniaſſe, de ſitu Paradiſi, ſed ab antiquis deductam traditionem bonâ fide retuliſſe. Denique, ſiquis adhuc de hujus dogmatis antiquitate aut ſumma authoritate dubitet, *Albertum Magnum* audiat, qui *(par. 2. Sum. Theol. tract. 13. q. 79.)* ſe reperiſſe ait in libris vetuſtiſſimis, hujus ſententiæ Authorem fuiſſe S. *Thomam* Apoſtolum. Verba ipſius hæc ſunt, cùm rationes aliquas adversùs hanc ſententiam prætexiſſet, reverentiæ cauſâ ſubjungit ; *Hoc tamen dico ſine præjudicio melioris ſententiæ : quia in quibuſdam libris antiquiſſimis inveni, quòd illius ſententiæ quæ attribuitur* Bedæ *&* Strabo, *primus author fuit* Thomas *Apoſtolus : Quòd ſcilicet Paradiſus tantæ altitudinis ſit ut uſque ad Lunarem Globum aſcendat.* Neque hujus Authoris teſtimonio quicquam fraudis ſubeſſe poteſt, cùm propriæ ſuæ ſententiæ adverſetur.

Neque id mirum videatur cuiquam aut inſolentiùs dictum, Paradiſum *Lunarem Circulum* pertingere : Eo enim modo loquendi nihil aliud ſignificatur quàm altitudinem Paradiſi ſuperâſſe mediam regionem aëris, vel terræ noſtræ Atmoſphæram. Indè enim ſtatim incipere Orbem Lunarem crediderunt Veteres, aut eâ ſaltem loquendi formâ uſi ſunt. Ità *Solinus* in *Polyhiſtore, cap. 27. Atlas mons è mediâ arenarum conſurgens vaſtitate, & eductus in viciniam Lunaris Circuli, ultra nubila caput condit.* Ità montes qui *Lunæ* dicuntur, ad ejus confinia pertingere voluerunt ; ut *Olympum* ad Cœlum. Et propterea Veteres intra circulum Lunarem ſedem Paradiſi fecerunt, quòd extra vapores terræ & caliginoſum aërem locandum eſſe duxerint, ut notavit *Dion Carthuſianus (in Gen. art. 19.)* & alii. *Quoniam vapores non pertingunt ad Paradiſum, dicitur is pertingere uſque ad Orbem Lunæ.* Idem enim eſt dicere, juxta eos, intra Lunarem Circulum, ac extra vapores terræ & cœlum nubiloſum : ſive pertingere ad Lunarem Circulum, ac tranſcendere mediam regionem aëris. Neque aliud de Paradiſo aſſeruerunt Antiqui cùm Lunarem Orbem pertingere dixerunt, quàm quod de Olympo aſſeruit *Lucanus*, cùm dixit, *Nubes excedit Olympus, Pacem ſumma tenent.*

His ita notatis & expoſitis, conſtat, ab Antiquis traditum eſſe, Paradiſum in ſublimi ſitum, mediæ regionis altitudinem tranſcendiſſe : Eamque fuiſſe doctrinam veterem Chriſtianam

ſtianam de Paradiſo Terreſtri. Quo ſuppoſito, videor mihi probare poſſe evidenti ratione, Paradiſum fuiſſe in Terrâ ſublimioris ſitûs quàm eſt hodierna. Nemo enim Paradiſum finxerit in aëre penſilem: oportet ut conjunctus fuerit, & continuus, cum aliquâ terrâ & terrarum orbe: Hodierni autem orbis ſuperficies non aſſurgit ad Lunarem circulum; niſi in ſummitate alicujus montis altiſſimi Paradiſum tuum conſtituas. Montis, inquam, altiſſimi maximique: in cujus cacumine locus eſſet ingentibus illis fluviis qui hortum irrigabant, & Arboribus, Campiſque, & omne genus animalibus. Neque enim fingere decet ſedem Protoplaſti fuiſſe in monte prærupto & præcipiti, tanquam nidum Aquilæ: Aut veluti in præſidio & propugnaculo inacceſſo; cui nullus pateret exitus neque aditus animalibus. Erat itaque omni modo & dimenſione ingens *Mons Paradiſiacus*; &, tranſcendens nubila, ſupremâ ſuperficie Lunarem Orbem tetigit: Sed ubinam terrarum ſitus eſt hic mons mirabilis & ſuſpiciendus? Quis mortalium vidit? Qui memorant Hiſtorici aut Geographi? Non facile eſt tantam molem deliteſcere, quæ vel ſolâ umbrâ proderetur. Num in *Meſopotamiâ* occurrit? num in totâ *Aſiâ*? Penetrârunt omnes ipſius partes vel avaritia, vel ambitio, vel curioſitas: atque chartis depictas monſtramus omnes ipſius regiones.

Africæ etiam montes omnes inſigniores cogniti ſunt, cùm illius Peninſulæ oras & extremitates omnes inviſerint Nautæ. In *Americâ* nemo, quod ſciam, Paradiſum poſuit aut quærendum duxit; neque domi poſſidemus inter *Alpes* aut *Pyrenæos*: cæteroſve *Europæ* montes. Denique cùm Terrarum Orbem toties circumnavigârint homines, & nulla ferè ſit regio vel inſignis terræ tractus, ſive maritimus, ſive mediterraneus, quò non impulerit Gentem humanam aut ſpes lucri, aut imperii proferendi cupiditas, aut Religio, aut denique ipſius novitatis amor: ab omni fide alienum eſt ingentiſſimum terræ montem inconſpectum latuiſſe, & extra omnem notitiam gentis humanæ, per quatuor aut quinque annorum millia.

Quare, cùm ex ante dictis conſtet, Paradiſum, juxta antiquam doctrinam, in alto ſitum eſſe & in vicini Orbis Lunaris; neque id interpretari liceat, ut jam vidimus, de Monte aliquo aut ſitu montano; multò minùs quòd Para-

disus fuerit pensilis, instar Nubis aut Meteori: Sequitur necessariò totum illum orbem terrarum in quo erat Paradisus, situ altiorem fuisse hodiernâ superficie telluris; adeóque *tellurem Paradisiacam*, quæ erat primigenia atque primus orbis habitabilis, *aliam fuisse ab hodiernâ & situ altiorem*; quod erat ostendendum.

Atque ità per manifestas sequelas ex doctrinâ Antiquorum de Paradiso, Propositionem generalem præmissam probavimus, nempe Tellurem primigeniam in quâ erat Paradisus, aliam fuisse ab hodiernâ & situ altiorem. Si idem probari possit disertioribus verbis (quod secundo loco propositum erat) & quæ Terram primævam propriùs & apertiùs designant, paucis jam videndum. In quâ disquisitione illud imprimis observandum est, Antiquos in doctrinâ de Paradiso & ipsius situ, eum terræ nostræ quodammodò opponere, & *alius Terræ*, aut *alterius Terræ* sæpe mentionem facere; ut cuilibet, vel mediocriter versato in illo argumento, notum est. Illud verò sæpe ambiguum videtur & subobscurum, quibus in locis Authores illi per *aliam terram*, alium orbem sive ἀντίχθονα intelligunt, & in quibus *Terram Originariam* indicant, quæ alterius erat ab hodiernâ formæ. Utroque enim sensu Paradisus erat (secundum veteres) in *alterâ terrâ:* atque harum terrarum alterutram necesse est ubique intelligant per suam terram *aliam*, *alteram*, aut *nostræ oppositam*. Ubi per *alteram terram* denotant alterum orbem sive ἀντίχθονα, ea loca ad *Cap.* 6. referenda sunt, cùm plagam Australem Paradisi tantùm respiciant. Siquæ verò per *aliam terram* Terram Originariam denotant, hujus capitis sunt & jam sequuntur expendenda.

Locus *Tatiani* præcitatus *Cap.* 6. inter ambiguos memorari possit, ubi Paradisum γῆν κρείττονα τῆς ἐνταυθοῖ διακοσμήσεως appellat, *præstantioris fabricæ terram*, aut *melioris hâc nostrâ molitionis terram*. Apud *Mosem Bar Cepham* etiam plures sunt loci ambigui & ancipites. Mundi Originarii formam respicere videtur ille *Cap.* 13. ubi citat S. *Ephremum* in hæc verba; *Quia procul extra conspectum dissitus est Paradisus, si de ipso periculum facere velis, facilè conferis cum circulo Lunam ambiente, atque ità intellectu comprehendes; nam ità ille & Mare & terram intra se complectitur.* Cùm itaque in Tellure Paradisiacâ Oceanus ambi-

ambiebat corpus terræ undique, & Tellus Paradiſiaca totum Oceanum undique ambiebat, ut orbis Lunæ Lunam ambit, manifeſtum eſt ipſam illam formam Telluris indicari, quam ſuprà in *primigeniâ* exhibuimus. Nempe ubi *Abyſſus* undique ambiebat corpus terræ, & Tellus Paradiſiaca Abyſſum ſive Oceanum. Ut videre eſt *Fig. 5. l. 1.*

Non ſine damno Philoſophiæ & ſacratioris literaturæ periit ille Commentarius *Ephremi de ortu rerum.* Utì etiam tractatus *de Paradiſo* à *Tertulliano* conſcriptus; in quibus, ſi ſupereſſent, doctrinam primævæ Terræ & Paradiſi, quæ ob temporis diuturnitatem multum exeſa eſt, Veterúmque imperitiâ ſæpe diſtorta, pulchriorem & integriorem habuiſſemus. Superſunt tantùm, velut ex Naufragio tabulæ, hinc illinc diſperſæ, quæ licèt ubique ferè occurrant apud Antiquos, ſæpiùs tamen ut mihi videtur, & majori copiâ apud Patres *Syros* & *Chaldæos* quàm apud *Græcos* & *Latinos.* Fragmentum quod nobis conſervavit *Moſes Bar Cepha* ex *Ephremi* opere maximè depromptum, antiquæ Doctrinæ imaginem retinet, & hypotheſi noſtræ de diverſitate Telluris Paradiſiacæ ab hodiernâ, tam quoad ſitum ſublimiorem, quàm quoad formam & qualitates reſpondet. Cùm tamen Geographiæ & σφαιροποιΐας nimìs eſſet ignarus *Bar Cepha*, ut plerique veterum, antiquo errori *de Tellure planâ* inhæſiſſe videatur.

Tertullianus, *Hieronymus*, *Origenes*, alijq; Patres diſtinguunt Paradiſum ab hodiernâ Terrâ: ut oſtenſum eſt in Majori *Theoria.* Id ſolùm prætereà de pluribus ſimul adjungam, Tantùm non pro Hæreticis haberi à *Philaſtrio*, Epiſcopo *Brixienſi*, ſæculo quarto, quotquot aliam olim fuiſſe Terram ab hodiernâ non agnoſcunt, eamque Terram primam appellat *Matricem* & *Terram Beatitudinis*, nos *Originariam* & *Paradiſiacam* nuncupamus. Neque tamen idcirco hæreſin eſſe ducerem, quod ita eam appellaret *Philaſtrius*, in conſtituendis hæreſibus nimis facilis aut temerarius; ſed hinc licet arguere, ſententiam noſtram de duplici Terrâ, ſive de diverſitate Telluris Paradiſiacæ ab hodiernâ, non exoleviſſe tempore *Philaſtrii*: licet mutilatè & confusè, ut ſolent Philoſophica apud Veteres memorari, utramque Terram memoraverit.

Non

Non ideò has Patrum ſententias eo animo refero, ut eorum Veſtigia preſsè ſequamur; Errârunt enim à vero tramite, ſed ipſe ille error monſtrat, aliam olim ab hodiernâ ad Paradiſum fuiſſe viam; quæ malè intellecta errandi dedit cauſam, & multiplicis confuſionis inter Patres. Sed pergamus ad reliqua.

Notandum eſt denique Paradiſum, mundumque Paradiſiacum fuiſſe ἄνομβρον, *inpluvium*: ideóque aliu n ab hodierno. Mundum Paradiſiacum appello ante-diluvianum: nam ad Diluvium uſque permanſit ea Cœli & aëris forma. Hoc teſtantur multi Interpretes, ad *Gen. c.* 2. 5, 6. & ad alterum locum de *Iride, c.* 9. ubi *Gloſſa ordinaria* hæc habet. *Quia verò arcus non eſt niſi ex radiis ſolis & humidâ nube, videtur quòd ante diluvium non fuiſſent pluviæ: poterat autem ex rore & fontium inundatione terra fœcundari. Hiſtoria Scholaſtica cap.* 35. de diſtinctione anni & tempeſtatum poſt diluvium verba faciens, inquit, *Fortè nondum ità planè diſtincta erant quatuor tempora, quòd nec uſque ad diluvium aquæ fuerant collectæ in nubes:* ſive non erant nubes aqueæ; ideóque nec pluvia, ſed tantùm vapores laxi & ros matutinus.

Gloſſa interlinearis ad illa verba, *Gen.* 2. *Non pluerat, ſed exiit fons aut vapor, &c.* ſubjicit, *Nota autem quod uſque ad diluvium non legitur pluiſſe.* Idem ſenſit *Alcuinus quæſt. in Gen.* Interrog. 135. *An pluviæ ante diluvium eſſent,* Reſpondet, *Videtur non fuiſſe, quia arcus non erat niſi ex radiis ſolis & humidâ nube. Poteſt autem fieri ut ex roris & fontium (ſicut in Ægypto) irrigatione terra fœcundaretur. Lyranus* etiam *Gen.* 9. de Iride, quærens quomodo Iris ſit ſignum fœderis cùm procedat ex cauſâ naturali, reſpondet, *Dicunt aliqui quod uſque ad diluvium non fuerat pluvia, nec Iris apparuerat.* Et quidem, qui Iridem ante diluvium non extitiſſe, aut non apparuiſſe aiunt, ut aiunt multi, iidem neque pluviam, neque nubes pluvioſas, ante diluvium admittunt. Sed de hoc Capite ſatis.

CAP.

CAP. X.

Articulus tertius de novitate Montium, Maris, & Inſularum proponitur & probatur. Dein articulus quartus de Figurâ Telluris Primæ, atq; Ovo Mundano Veterum; Quintuſq de ſitu recto ejuſdem. Quæ fuſiùs explicantur in Theoriâ majori.

HIS ità expoſitis, ſequuntur jam reliquæ concluſiones quæ proprietates Telluris primigeniæ reſpiciunt, nempe ipſius formam, figuram, & ſitum ad ſolem, quas omnes hoc capite complectemur. Ad tertiam itaque concluſionem ordine jam progredimur, ſcilicet, *Telluris Originariæ & Paradiſiacæ formam fuiſſe æqualem & integram, ſine montibus, ſine mari, ſine Inſulis.* Hæc forma Orbis primævi ab illâ telluris origine quam libro primo integrè explicuimus, manifeſtò ſequitur; & cùm itidem ſit præmiſſarum concluſionum, primæ & ſecundæ, non niſi corollarium quoddam, rem toties probatam paucioribus jam expediemus. Cap. 5.

Planitiem & æqualitatem terræ ante-diluvianæ duplici modo teſtatur Antiquitas, explicitè & conſequentiarum nexu. Quoad primum, qui placita & ſententias Antiquorum collegerunt ſuiſque interſeruerunt commentariis, ex eorum authoritate Montes aut prorſus non extitiſſe ante diluvium, aut ſub exiguâ mole, explicitè referunt. *Hiſtoria Scholaſtica* cap. 34. *Sunt*, inquit, *qui putánt altitudinem montium tunc*, nempe ante diluvium, *non fuiſſe tantam quanta nunc eſt.* Et *Gloſſa Ordinaria in Gen.* 7. hæc habet, *Licet ſint qui putent nec terræ qualitatem talem nec altitudinem montium tantam fuiſſe ante diluvium qualis & quanta eſt hodiè.* Idem occurrit in *Alcuino, Quæſt. in Gen.* Interr. 118. Sed mutato *qualitatem* in *inæqualitatem*; *Sunt quidam*, inquit, *qui putant nec terræ inæqualitatem talem, nec montium altitudinem tantam ante diluvium fuiſſe ſicut nunc eſt.* Quòd verò non tam montes tollere è terrâ ante-diluvianâ,

luvianâ, quàm eorum altitudinem diminuere videantur hi authores, illorum aut modeſtiæ aut ignorantiæ illud tribuendum eſt: montes enim cùm non creſcant, in primâ ſuâ origine maximi erant & eminentiſſimi, utpotè integri & imminuti, & quò longiùs durant, eò magìs ſubſidunt, & rerum externarum impetu aut franguntur aut atteruntur: ſed ut rem Paradoxam modeſtiùs efferrent & aliquo modo temperarent, non penitùs è medio tollere ingentes illas moles auſi ſunt, ſed deprimere tantùm & extenuare. Neque aliter ſenſit *Rabanus Maurus*, citante *Lippomano*, in *Gen.* 2. de fonte illo loquens qui totam terram irrigabat, inquit, *Tum in novitate terrarum, ſi non omnia, plura tamen plana fuiſſe credibile eſt.* De eodem fonte eadem habet *Beda de ſex dierum creatione.* Quærit quomodò potuit montes irrigare ille Fons? *Sciendum eſt*, inquit, *tunc in novitate rerum, ſi non omnia, plura tamen plana fuiſſe credibile.* Et quidem ſi tota terra ab unico fonte irrigata fuit, terra illa, utì erat ſine montibus, ità non erat diviſa in continentes & inſulas, ut eſt hodierna.

Hos ſcriptores, licet inferioris ævi, ideò memoro, quòd ex libris *Manuſcriptis* hæc ſua deſumpſerint, eóq; Manuſcriptorum inſtar haberi poſſint. Neq; enim harum opinionum aut traditionum primi Authores erant, ſed librorum qui jam periere, dederunt nobis velut exemplaria, ſpecimina aut fragmenta. Non ut Inventores iſtorum dogmatum, ſed eorum teſtes quæ ab antiquioribus acceperant.

Secundò notandum, teſtari plures authores, quorum non nullos capite præcedenti recenſuimus, mundum ante diluvianum fuiſſe *inpluvium*; quòd, ſi advertamus, certâ rerum connexione probat eundem fuiſſe ſine montibus; *ubicunque enim montes ibi pluviæ*; cùm frigiditate ſuâ vapores attrahant quodammodò cogántque, & impingentes nubes in pluviam condenſent. Ita qui perpetuam cœli ſerenitatem in primâ & aureâ mundi ætate celebrant, non minùs arguunt terram tunc temporis non fuiſſe montoſam; cùm prærupta terræ facies & montium cacumina vaporum motus regulares impediant, & cœlum inconſtans ac pluvioſum conſtituant. Quare utroque modo, tam apertis verbis, quàm rerum conſequentiis, in hâc parte concluſionis Antiquitatem habemus teſtem & vindicem, *Terram*, ſcilicet, *ante-diluvianam non fuiſſe montoſam.*

Quoad

Quoad mare & inſulas, cohærent origine cum montibus, & unius ejuſdémque ruinæ monumenta ſunt; & ſi olim, juxta placita antiquorum, non extiterint montes in terrâ, ex quibuſcunque tandem cauſis poſtea orti ſunt, ex iiſdem ortum eſt mare cum ſuis inſulis; neque enim ſeorſim aut à cauſis ſeparatis oriri unquam potuerint. Et quidem quoad Inſulas, in quo orbe nulli erant montes, in eodem neque ullæ eſſent Inſulæ; in omnibus enim inſulis, quæ non novæ ſunt & factitiæ, ſunt montes magni aut juga montium. Et ſi Continentes, quæ nihil aliud ſunt quàm majores Inſulæ, ſine montibus fingamus, nullus eſſet fluviorum curſus aut ad mare deſcenſus, ſecundum ordinem hodiernæ Terræ: adeò inſeparabiles ſunt mare & montes in rerum naturâ; atque horum alterutrum ſi ponas aut tollas, alterum ſequitur. Neque ſupponere licet orbis habitabilis ſuperficiem ſine montibus planam & æquatam, niſi eandem totam continentem ſupponamus.

Huic ſententiæ de continuitate primæ terræ favet maximè illa Gentium omnium conſanguinitas & originatio ab uno capite, quam *Moſes* primùm nos docuit, & Theologia Chriſtiana confirmat; In terrâ firmâ, unâ & continuâ, facilè ſe diffunderent quaquaverſùm primi mortales, & per totum terrarum orbem emanarent; potiſſimùm cùm nulli eſſent montes juxta ſententiam noſtram, aut montium juga aditúſve inacceſſi qui regiones diſterminarent; In terrâ ità æquatâ & ſine mari, liberum eſſet expatiari & diffluere in omnes partes. Quòd ſi verò ab ipſo mundi initio forma terrarum orbis erat inſularis & terraquea, ut eſt hodiè, niſi tot capita humani generis & diverſas origines fingamus, quot ſunt diverſæ Continentes & inſigniores inſulæ, explicari vix poſſit prima habitatio orbis terrarum, hominúmque in ſingulas ipſius partes diſtributio.

Receptum eſt apud omnes antiquos mare intentatum fuiſſe, atque artem Nauticam prorſus ignotam, priſcis hominibus: ſi verò apertum fuiſſet mare & navigationi expoſitum ab ipſo mundi exordio, vix fingi poteſt tantus animi ſtupor aut ignavia in gentibus ante-diluvianis, ut neque rerum inventarum gloria, nec amor ſcientiæ, neque telluris formam indagandi, aut populos terraſve novas inviſendi cupido, ex iis quenquam, per tot ſecula, ad tentandum mare excitare

valuiſſet. Neque tamen tentatum fuiſſe & ab hiſtoriâ edocti & à re ipsâ neceſſe eſt credamus, cùm omnia quæ ad navigationem ſpectant, aut certè maxima, quaſi nova & recens inventa, ſi cum ætate mundi comparentur, reperiamus; atque illam inſuper terræ maríſque apud priſcos ignorantiam, quam vel levis navigatio correxiſſet. In terrâ æquabili, ſine mari & montibus, & ubique ſibi ſimili, facile eſſet prolabi in errorem illum de figurâ telluris planâ, in quo diu haſerunt Veteres; navigantibus autem, vel parùm provectis à litore, terræ convexitas apparet, vel manifeſtò arguitur. Hanc ideò opinionem ab ante-diluvianis deductam eſſe ſuſpicor, non minùs quàm alteram illam de Torridâ inhabitabili. Neque quidem figura terræ, partéſque ipſius maximæ tam diù delituiſſent; neque adeò rudis & manca fuiſſet antiqua Geographia; ſi ipſius, ſive parens, ſive nutrix Navigatio, in primo mundo locum habuiſſet. Motus etiam maris, atque vulgarem illum fluxûs & refluxûs quamdiù ignorârunt Veteres? Doctrina Ventorum iis vaga aut nulla; Magnetis atque Pyxidis nauticæ uſus paucis retrò ſeculis detectus eſt. Hæc ſi reſciviſſent ante-diluviani, aut *Noachici*, poſteris ſuis tantarum rerum cognitionem haud invidiſſent: Et cùm hæ ſcientiæ vitæ humanæ commodiſſimæ ſint & quotidiani uſûs, ſemel vulgatæ haud facilè periiſſent. Denique niſi clauſum & inacceſſum fuiſſet mare ante diluvium, quare, conſcenſis navigiis, ab inſtanti clade non ſe conſervabant ante-diluviani; ex iis ſaltem qui maritimi erant? Si terris hodiè qualitercunque inductum eſſet diluvium, modò tutò fluctuare liceret in navigiis, multa hominum millia è periculo evaderent. Sed longè alia erat tunc temporis rerum facies ab hodiernâ & propterea celebrari mihi videtur *Noachi* fides, cùm Deo diluvium prænuncianti credidit, quamvis in terrâ ſuâ, præter rorem, aut ſi velis flumina, ne gutta aquæ extiterit. Neque ideò timuit populus incredulus in mundo inpluvio, & ſine Oceano, aquarum Diluvium, neque monitis *Noachi* auſcultavit; imò ſuum fabricanti navigium illuſit, quòd novum Machinamentum ſeculis illis ignotum moliri videretur. Tandem, neque illud forſan notatu indignum eſt, ad hujus navigii conſtructionem, ſimplicem licèt præ noſtris, opus fuiſſe præceptis divinis, tam quoad materiam, quàm quoad formam.

His

His omnibus expenſis æquum eſt cum *Moſe* concludamus, Abyſſum diſruptam eſſe tempore diluvii, neque quidem anteà; eodémque tempore & eâdem operâ factos eſſe montes, mare, & inſulas; quos omnes æquævos & origine conjunctos eſſe ſuperiùs monui: Atque harum rerum cauſas adeò faciles & lucidas ex diſruptione ejuſdem Abyſſi & diſſolutione terræ libro primo exhibuimus, ut tacente Hiſtoriâ, rei ipſius evidentia vel reluctantibus aſſenſum extorqueret. In Hiſtoriâ autem, præter alia, illud magni facio, quod tam *Moſes*, quàm ipſius Commentatores & Sacrarum Traditionum cuſtodes teſtentur, *Non pluiſſe in mundo ante-diluviano*; quod unicum hujus tertiæ concluſionis demonſtrationem includit; *ubi* enim *nulla pluvia*, *ibi nulli montes*; *ubi nulli montes*, *ibi nullum mare*; *ubi nullum mare*, *ibi nullæ inſulæ*; igitur ubi nulla pluvia, ibi nec montes, mare, aut inſulæ. Nec quidem in Hiſtoriâ ſacrâ ulla Montium fit mentio ante Diluvium. c. 8, & 9.

Succedit jam quarta concluſio, de *Figurâ Telluris primæ oblongâ & ovatâ*. Dico *Primæ* & Primigeniæ; Qualem enim figuram induerit Tellus *fracta* & diſrupta, impræſentiarum non diſputo: Sed olim fuiſſe aliquatenus oblongam aut Ovatam opinati ſunt veterum plures, ut in Theoriâ Majori oſtendimus, De *Ovo Mundano* differentes. Hæc autem, ut & alia multa Philologica, pro ratione Compendii hîc miſſa facimus.

Supereſt denique quinta & ultima concluſio de Telluris primigeniæ *ad ſolem ſitu*; quem rectum fuiſſe aſſerimus, non, ut eſt hodiè, inclinatum aut obliquum; adeóque in primis mundi ſeculis diverſa anni tempora, Veris, Æſtatis, Autumni, & Hyemis, quibus jam variatur annus, non omninò obtinuiſſe, ſed Æquinoctium perpetuum & æquabilem totius anni revolutionem. Atq; horum utriuſque, utut ab hodiernâ naturâ & ab hodiernâ fide alienorum, reperta ſunt apud Antiquos non obſcura veſtigia.

Ad hoc probandum plura teſtimonia adduximus antiquorum Philoſophorum, *Leucippi*, *Anaxagoræ*, *Democriti*, *Empedoclis*, *Platonis*, *Diogenis*. Dein Judæorum & Chriſtianorum, quatenus æquinoctium conſtans in Paradiſo aut Terrâ Paradiſiacâ conſtituerunt; Quod quidem aliter fieri non potuit, quàm à poſitione rectâ Telluris ad Solem: unde eadem eſſet ſemper anni facies abſq; ullâ tempeſtatum varietate. Teſtes

bes & loca parata tam in Theoriâ quàm in *Archæol. Philoſ. l. 2. c. 6.* Et Poëtarum loca notavimus ſupra in hujuſce libri ſecundi capite primo.

Supereſt tantùm expendendus non incelebris Sacræ Scripturæ locus, qui diverſa anni tempora reſpicit, atque variè à variis exponitur. Finito diluvio Deus dixiſſe fertur, *Gen.* 8. 22. *Quamdiù terra manſerit non ceſſabunt ſementis & meſſis, frigus & calor, hyems & æſtas, dies & nox:* Quid hoc ſibi velit à multis ambigitur; ego quidem hiſce verbis indicari cenſeo aliquam mutationem aut inæqualitatem in anni formam poſt diluvium inductam; aliquam partium ipſius & temporum diverſitatem, ſementis & meſſis, æſtatis & hyemis, caloris & frigoris, quibus anteà non conſtabat; totus utpote uniformis olim & ſibi ſimilis, æquè calidus & frigidus per omnes ſui partes, ſementi & meſſi æquè aptus. Ità etiam interpretari videtur hunc locum ad mentem Antiquorum, ut ſolet, *Hiſtoria Scholaſt. Fortè*, inquit, *nondum ità plenè diſtincta erant quatuor tempora, quòd nec uſque ad diluvium aquæ fuerint collectæ in nubes.* Idem etiam ſentire nobiſcum neceſſe eſt & eandem interpretationem amplecti eos omnes qui *nunquam pluiſſe ante-diluvium perhibent*, adeóque has temporum viciſſitudines eouſque ignotas fuiſſe, & primùm apparuiſſe poſt-diluvianis.

In hunc ſenſum interpretatus eſt hæc verba Moſis, inter Judæos celeberrimus R. *Obadias Sephorno*, in ſuis in hunc locum commentariis: ubi triplicem Solis curſum diſtinguit, Ante-diluvianum, ſub æquatore: Poſt-diluvianum ſive hodiernum ſub Eclipticâ: Et tertium deniq; eundem cum primo in *Novâ Terrâ* futurum, ſive poſt mundi renovationem. Cum verba Moſis appoſuiſſet, Gen. 8. 22. *Deinceps cunctis diebus Terræ, ſementis & meſſis, calor & frigus*, &c. *ſi requieſcent*; ita textum exponit. *Non requieſcent quin continuent eodem modo quem, ultra naturam, ipſis determinavi poſt Diluvium. Et hic eſt quod Sol vadit per circulum qui declinat ab æquatore, & per ſuam declinationem omnium mutationum horum temporum ſit cauſa. Quippe ante Diluvium Sol ſemper progrediebatur in æquatore, ac propterea ſemper fuit tempus Spicarum, & in hoc erat regula generalis elementorum, ſtirpium & animalium, & longitudinis illorum vitæ. Dixit autem quod id futurum ſit cunctis diebus Terræ, donec Deus reſtauret omnem corruptionem quæ in ipsâ facta eſt per Dilu-*

Patetham. Noah.

Diluvium; ſecundum quod ille dixit Terram Novam *quam ego facio; quià tum iterum movebitur Sol per æquatorem ſicut antea: Et erit regula generalis Elementis, & ſtirpibus, & animalibus, & longitudinis eorum Vitæ, ut ante Diluvium; ſicut dixit, Quià puer unius anni morietur, & peccator annos centum natus maledictus erit.* Iſa. 65. 17, 20.

Vides, ſecundum hujuſce Rabbini expoſitionem, mutatum fuiſſe ſtatum temporum ſive tempeſtatum anni in Diluvio, & exinde in hodierno mundo: rediturum autem denuò primævum ſtatum in *Terrâ renovatâ*. Neque facilè credo hanc interpretationem Textûs ſacri ab hoc Rabbino primùm inventam eſſe, ſed ab Antiquiorum traditione receptam. Eadem Traditio manâſſe videtur ad Gentiles, qui ſub *Jani* nomine *Noachum* noſtrum repræſentârunt. Eique Jano, *Vertumno* etiam dicto, Temporum vertendorum dedêre potentiam, & mutandi mundi Cardines. Eâque ratione, nunc *Bifrontem*, nunc *Quadrifrontem* depinxêre: putà prout Annum in duas, quatuorve tempeſtates diſtinxerint.

Hâc de re nota ſunt loca Authorum exoticorum, quæ in *Majori Theor.* explicuimus. Eò res redit, ſub nomine *Jani* ſi *Noachum* intelligamus, ut apud plurimos jam conventum eſt. Magnam aliquam Mundi & Temporum converſionem ipſius ætate contigiſſe, eandemque reſpicere præmemoratum Moſis ſermonem faciliùs credemus. *Magnam*, inquam, *Mundi & Temporum converſionem*; cum poſt ſexdecim aut ſeptemdecim ſæculorum æquinoctium & uniformem naturæ ſtatum, verſo cœli cardine, vel Telluris ſitu, duplex quadruplexve anni facies emicuit: Cœlique & Terræ variabilis & multiformis vultus, qui etiamnum durat. Hæc autem de memorato S. Scripturæ loco, & ſimul de Quintâ noſtrâ concluſione dixiſſe ſufficiat.

Plura non congeram in hoc Compendio: In ſingulis enim capitibus, qui in antiquâ literaturâ verſantur, cognata quædam facilè adjicient; neque id forſan ingratum erit; libentiùs enim auſcultamus rationibus aut argumentis à nobis ipſis invent's, quàm ab aliis propoſitis; ut cum ſententiam mutamus aut propoſitam opinionem amplectimur, non tam ab aliis victi, quàm à nobiſmetipſis edocti id feciſſe videamur. Denique non tanti facio Authores Antiquos ut eos tanquam Judices appellem, ſed tanquam teſtes honorarios adduco; ideóque

ideóque omnes ſollicitè indagare aut accerſire haud operæ pretium eſſet. Neque cauſas rerum aut mutationum ab iis accipimus, quas ſæpiùs ignorârunt, ſed de *re factâ* eorum teſtimonia miminè aſpernanda ducimus.

CAP. Ultimum.

Divinæ Providentiæ varia ſyſtemata, majora & minora: Illius quod ad mundum noſtrum ſpectat brevis ſeries: Hujus ſeriei quanta pars jam abſoluta eſt, & quid tractandum ſuperſit in poſteriori parte hujus operis paucis dicitur. Concluſio.

CUM vis humanæ mentis finita ſit, & materia contemplandi ferè infinita, ſapientis eſſe videtur, ex illâ rerum congerie præſtantiora quædam capita ſeligere, quibus meditandis operam ſtudiúmque maximè impendat; nè aut vagâ cogitatione vis animi diſſipetur, aut in materiâ inutili verſati poſt aliquot annorum lucubrationes vitámque exhauſtam, nos multùm in nugis profeciſſe comperiamus.

Si materiæ dignitatem æſtimemus, quantùm humanis divina præſtant, tantùm divinæ ſapientiæ opera cæteris omnibus digniora ſunt quæ contemplemur; per opera verò divinæ ſapientiæ intelligo non tantùm univerſam rerum naturam, tam corpoream quàm incorpoream, quam è nihilo eductam conſtruxit infinita ſapientia; ſed etiam leges, ordinem, & viciſſitudines ſecundum quas regitur, diſponitur, & variatur rerum natura, ab eâdem æternâ mente ſancitas: Hæc unà complexus omnia *Providentiæ Divinæ ſyſtema univerſale* appello; & quæ ad portiones univerſi ſeorſim ſpectant, *Syſtemata ſingularia*: In hac autem ſerie Syſtematum Naturæ & Providentiæ licèt innumeri gradus & ordines ſint, ſatis erit inpræſentiarum tria univerſim genera diſtinguere.

Quic-

Quicquid eſt intra ambitum immenſi univerſi, ità Divinæ Providentiæ ſubeſt, ut nihil uſpiam eveniat, neque ullo tempore ; ſive in naturâ corporeâ, ſive intelligenti, quod ab eâdem non præviſum ſit : cùm non tantùm res omnes produxerit & uniuſcujuſque vires, ſed eaſdem conſervet, etiam regat animétque. Quare, tam rationi quàm pietati conſentaneum eſt credere, formam & ſeriem quandam univerſalem à ſupremo Numine conſtitui, quæ omnes omnium ſeculorum ordines comprehendat ; ut nullus ſit rerum ſtatus qualiſcunque, novus ordo, aut nova facies, quæ ab eodem non proſpecta, præcauta & præpermiſſa fuerit.

Hanc univerſam rerum ſeriem & formam à Divinâ mente conceptam, IDEAM MUNDANAM appello : Omnium rerum, præteritarum, præſentium, & futurarum, ſive ſpeculum, ſive exemplar & imaginem ; æternæ ſapientiæ Abyſſum, cujus altitudinem nullus unquam mortalium aut immortalium exploravit, nihil finitum capit aut comprehendit ; hîc omnis ſcientiæ Theſauri, omnium myſteriorum complexio, & in hâc contemplandâ æternùm hærebimus beati.

Quemadmodum verò univerſalis illa Idea quæ totius Naturæ amplitudinem quantam quantam, omnes orbes & regiones magni mundi, & rerum omnium creatarum ordines complectitur, *Idea Mundana maxima* dici poſſit ; cœlum primum, ſecundum, tertiúmque, & innumeros undique involvens ; ità quæ cœlum ſecundum tantùm reſpicit, *Solem* cum ſuis Planetis, *Idea Mundana minor*, aut Syſtema Providentiæ minus nuncupanda erit. Qualia eſſe innumera, præter aſpectabile noſtrum, in univerſi expanſo, facile eſt credere ; in quibus ſtella fixa cum ſuis ſatellitibus ſyſtema quoddam ſeorſim conſtituit ; ità tamen ut connexionem & ſympathiam, tanquam magni corporis membrum, cum tota mole, & cum ipſius œconomiâ conſenſum ſemper habeat.

Denique mundus noſter, cœlum primum, ſive Tellus cum ſuo cœlo, tertiam claſſem ſyſtematum conſtituit ; exiguorum quidem ſi cum maximis conferantur, ſed quæ divi-

næ

næ ſapientiæ veluti quædam compendia, non minùs cæteris Deum authorem arguunt. Et licet Syſtema Providentiæ circa orbem noſtrum majora Syſtemata ingrediatur, tàm ſecundum, quàm primum, tanquam pars aut particula; ſuam tamen in ſe habet formam & integritatem, perfectam expletámque omnibus numeris; ſuos nempe ſtatus & tempora & viciſſitudines ordinatas, ſuíque regiminis & œconomiæ ideam, à principio ad finem pertingentem: Et intra hunc orbem & in his arcanis eruendis ſe exercuit omnis antiquitas, omnis Theologia Veterum, omnis Philoſophia, omnium gentium Myſtæ; in his, ſiqua habuere, fabularum fundamenta; Symbolorum ſenſus; mens Hieroglyphicorum; literatura Sacra in his tota verſata eſt: Denique in hâc palæſtrâ certârunt omnis ævi ſapientes, & humani generis præſtantiſſimi Animi. Atque illud quidem cautum eſſe videtur univerſim & in omni Syſtemate, ut Orbis quiſque naturæ & Providentiæ, incolarum dignitati & ingenii viribus proportione quâdam reſpondeat; ità Syſtemata tertia, Planetarum incolis reſpondent; Cœli ſecundi Syſtema, Angelis; Ordinibus ſuperioribus, ſuperiora; atque maximum & immenſum ſoli Deo. Sed ad Terram redeamus.

Divinæ Providentiæ Syſtema circa Terram & res noſtras, duabus partibus conſtat, Naturali & Theologicâ; quatenus nempe reſpicit, vel rerum naturalium ordinem, Naturæ motus, mutationes, & alternantes facies; vel quatenùs res hominum propiùs tangit, mundum animorum, religionem, mores, & ſtatum humani generis. In quibus licèt maximè exerceri Providentiam, & quaſi unicè, ſupponere ſoleamus, reverà tamen motus Naturæ, non minùs quàm res humanæ, Numinis curæ & imperio ſubjiciuntur. Cúmque in utroque mundo, humano & naturali, ſint quædam periodi & viciſſitudines majores, temporum completiones & plenitudines, Cataſtrophe & inſtaurationes rerum, divinæ artis eſt hæc ità moderari & præfinire ut alia aliis aptè reſpondeant, atque alter mundus alterius ità premat Veſtigia, ut Natura ubique Dei ſequax, iræ divinæ aut beneficentiæ ſemper ſit miniſtra. Miſſâ autem parte Theologicâ, quæ non eſt hujus loci; in Naturali quid hactenùs præſtitum ſit in duo-

bus

bus hiſce libris, & quid ſuperſit tractandum in tertio, quartoque, ad claudendum hoc ſcriptum paucis dicamus.

In Telluris origine indagandâ non aſcendimus ultra Chaos; ubi operis noſtri poſito principio, poſt aliquot motus & metamorphoſes orientis naturæ, in quam tandem formam orbis habitabilis ceſſerit, explicuimus; qualíſque fuerit ea tellus Protoplaſta, quæ ad diluvium uſque permanſit: Dein abolitâ hâc formî telluris & hoc mundo primo diſſoluto, qualis ſubinde Terra ſecundaria orbíſque terrarum forma ab hâc diſſolutione oborta ſit, & quibus diſtincta Phænomenis, perſpicuè traditum eſt: Atque ex hiſce duobus, deductis & expoſitis eo ordine quem evidentior probandi modus ſuadebat, rationes *Diluvii Univerſalis* primùm explicuimus, dein *Paradiſi Terreſtris*, quouſque potuit penetrare Theoria: & utramque Terram, tam antediluvianam, quàm poſtdiluvianam, ſuis & lineamentis & coloribus depinximus.

Hactenùs naturæ præteritæ & præſentis hiſtoriam contexuimus: ſequitur rerum futurarum ſeries in poſteriori parte hujus operis tractanda: nempe hodiernæ terræ & compagis mundanæ Conflagratio, & Naturæ forma Tertia, ἡ παλιγγενεσία καὶ ἀποκατάστασις: Denique quarta & ultima mundi facies, in Conſummatione ſeculorum, ἐν τῇ ἀποκαταστάσει μεγίστῃ.

" *Cùm mortua ſtella reſurget,*
" *Sordibus excuſſis rediviva: Et carcere rupto*
" *Inferni, valvíſque nigris, undabit in auras*
" *Victrix flamma ſuas, ſibi raptum Orbémq; repoſcet.*
" *Tum diſcincta caput, circum ſua tempora læta*
" *Æthereas vibrare comas & ſpargere cœlum*
" *Perſequitur latè, & Lucem ſine Nocte perennem.*
" *Inque Deos iterum Fatorum lege reductus,*
" *Aureus æternùm noſter regnabit Apollo.*

De his & hujuſmodi aliis in ſequenti parte hujuſce Theoriæ acturi ſumus.

FINIS.





TELLURIS Theoria Sacra

TELLURIS
Theoria Sacra:

ORBIS NOSTRI

ORIGINEM & MUTATIONES

Generales, quas

Aut jam ſubiit, aut olim ſubiturus eſt;

COMPLECTENS.

LIBRI DUO POSTERIORES

DE

Conflagratione Mundi,

ET DE

Futuro Rerum Statu.

LONDINI,

Impenſis *Benj. Took*, MDCCII.

Tabulæ
Theoria Syderum
Ex Observationibus
Inclytæ Societatis
Regiæ Londinensis
Et Observatorii
Regii Parisiensis
Deductæ.

Auctore
Carolo Augustino Tilliet,
Astronomo
Eiusdemque Societatis Regiæ Socio.

Londini,
Impensis Soc. Reg. Londin.
MDCCXL.

NOBILISSIMO PRINCIPI.

JACOBO,

ORMONDIÆ DUCI,

SALUTEM.

QUùm orientis Solis radii placidiores esse soleant, nondùm à Te Salutando, Illustrissime Princeps, nos arcet nimius fulgor. Ubi verò Cœli tui medium culmenque gloriæ attigeris, vix erimus ferendæ tantæ Luci. Sed cùm mihi spectata sit à multo tempore singularis Tua Humanitas, &, quæ eadem est in omni honoris gradu, generosa indoles; quantolibet intervallo altiùs assurgas, accedere, & patrocinium tuum ambire, non metuam. Illud præterea loco meriti habeo, quod Tibi essem aliquando, sive à Studiis, sive à Consiliis; & jure quodam hunc Libellum

lum Tibi in manus trado, vel legendum vel protegendum.

Juvat decetque VIROS MAGNOS, cum de Mundis condendis aut diruendis agitur, ipſum pondus & moles Argumenti. Animi puſilli & vulgares ſuccumbunt oneri: aut pro fictis habent quæcunque ſuum modulum exuperant. Sed omnium omninò ſcire intereſt, Orbi, quem incolimus, quale fatum impendeat: Ne rebus perituris & caducis, quæ, intra unum aut alterum ſeculum, in fumos & cineres abituræ ſunt, nimiùm fidamus: & quod mortale genuit Natura, hoc tanquam æternum amplectamur. Quùm Cœli & Terræ ſolvenda ſit compages, præter Virtutem, nulla eſt immortalis poſſeſſio.

Hanc igitur, præ cæteris omnibus, certam ſtabilemque Hæreditatem, Inclyte Princeps, Ego Tibi maximè commendatam habeo. Alter enumeret Titulos tuos, prolixâ ſerie: Alter Stemmata, perantiquæ & perilluſtris Domûs: Alter denique principatus & latifundia: Oſtendatque, intra Imperii noſtri fines, nec priorem in his omnibus, paremve reperiri poſſe.

Eſto:

Esto: Hæc Tibi gratulor, sed tanquam gemmas, aut lapillos lucidos, qui apud homines magni æstimantur. Alia sunt Virtutis ornamenta, longè alia, & verè nostra. Illibata Probitas, sine omni maculâ: Pectoris Robur & Constantia, sine omni æstu: Morum candor, & affabilitas cum magnitudine animi conjuncta. Hæ Tibi erunt Laudes, *siquid rectè auguror: Hæc Tua Elogia: cum negotiis publicis, rerum usu, præstitisque patriæ officiis, quo sis natus genio, quo animatus, palam innotuerit.*

Quod si à majoribus & rerum præteritarum memoriâ excitanda essent virtutis semina, in promptu Tibi sunt, Heroum, qui nuper è vivorum numero exiêre, Patris & Avi, præclara exempla. Hic, vixdum tricenarius, Regii exercitûs Imperator erat: & per annos ampliùs triginta, aut cum Rege exul, aut Hiberniæ Prorex. Nec unquam fidem læsit erga Principem, nec erga Deum Religionem. OSSORIUM *Patrem quid memorem? Quem hominem, Deus bone, præmaturè nobis eripuit Cœlum, quò Tibi locum faceret. Fac, quæsumus, ut sui non pœniteat propositi: ut in Te*

reluceant, quaſi collectis radiis, & Patris & Avi Virtutes: nec tam in pictis Tabulis, ſculptiſve Marmoribus, quàm in Tuâ Vitâ, Moribus, Indole, Majorum tuorum imagines intueamur. Denique, tranſeat (favente Numine) ad ſeros poſteros, eadem gloriæ & virtutis hæreditas: Nec, niſi ipsâ cum naturâ & extremis hiſce de quibus jam ſumus acturi, Flammis, Magnum ORMONDIORUM *Nomen extinguatur. Hæc vovet ex animo,*

Tui, Gentiſque tuæ prænobilis

OBSERVANTISSIMUS,

T. Burnetius.

PRÆFATIO

AD

LECTOREM.

ITA ferè naturâ comparatum eſt hominibus, ut ex iis multò plures ad res agendas, quàm ad Literarum Studia, apti nati ſint. Idque optimo conſilio factum eſſe videtur: nam multorum manibus egent res humanæ, paucorum capita ſufficiunt. Prætereà, ex illo Literatorum numero, plures ingenium ſuum exercent circa Scientias utiles, quàm contemplativas: Quod etiam convenit vitæ indigæ & negotioſæ, qualis eſt hodierna. Denique in ipsâ Theologiâ Chriſtianâ, quæ nos abſtrahit maximè à ſtudiis ſecularibus, ipſius myſteriorum inveſtigationi pauci incumbunt; Nam præter Diſputatores, reliqui ferè omnes in inſtruendo populo, moribuſque formandis (quod apprimè neceſſarium eſt) operam únicè collocant. In his omnibus Dei Providentiam, hominumque curas laudo. Sed ab hoc levi cenſu generis humani, facilè patet, è tantâ turbâ perpaucos eſſe, quibus placet vita contemplativa: Neque aliorum ſpeculationibus delectari ſolent ii, qui ſibi operæ pretium eſſe haud ducunt iiſdem ſtudiis vacare.

Hæc cùm ita ſint, ſciant, oportet, qui Theorias condunt, ad paucos hucuſque ſe ſcripturos eſſe ; & neglectui fore impræſentiarum multò maximæ hominum parti, ſua ſcripta vel opuſcula. Neque id ægrè ferant, aut deſpondeant animum. Creſcet enim indies, ſi vaticinari liceat, Philoſophorum Chriſtianorum numerus: & quò propiùs acceditur ad mundi finem, quaſi conſpectâ æternitate, eò magis, quæ alterius ſunt mundi, quiſque contemplabitur. Rerum hominumque fata & tempora, quæ *ſunt in manu Patris*, extorquere non poſſumus: Sed quid ferant Prophetiæ noſtræ, & Libri Sacri fatidici: quid rerum humanarum, & ipſius naturæ facies, noſtrâ culpâ fit, ſi ignoramus. Peccant igitur, qui nimiæ diligentiæ aut curioſitatis eſſe ducunt, in ſigna prophetica rerum & temporum inquirere: tacitéque accuſant divinam Providentiam, quæ nobis de Futuris Oracula tradidit.

Ex alterâ parte peccant itidem, qui in rebus arduis & obſcuris, non minorem fidem à Lectoribus exigunt, quàm quæ debetur Demonſtrationibus. Oportet diſtinguere certitudinis gradus, & pro ratione luminis, ſive à naturâ, ſive è Cœlo dati, noſtrum metiri aſſenſum. Hujus Tractatûs ſumma capita, MUNDI INCENDIUM & RENOVATIO, clarè & apertè fundantur in Sacro Codice: Neque ideò in his locus eſt dubio. Sed modi, explicationes, & circumſtantiæ adjunctæ, ſæpe ex pluribus rationibus collatis, ſacris & naturalibus, conficiuntur: Neque habent forſan eandem ubique vim & firmitatem. Hæc emendari poterunt, ſalvo fundamento: quod unicè Sacrum & immobile eſſe duco.

Memini dixiſſe olim Philoſophum, cùm *de immortalitate Animæ* verba faceret, *Hunc errorem, modò error ſit, nunquam mihi vivo eripi patiar.* Dulce eſt errare in meliorem partem: Et multò pulchrior mihi videtur

videtur mundi Idea, digniorque Deo, Optimo, Maximo, Sapientiſſimo, ſi, ſecundum certos temporum ordines, & rerum humanarum vices, Natura varietur, quàm ſi eâdem ſemper ſit facie, eâque deformi & ruinosâ.

His non obſtantibus, Quodcunque à me ſcriptum eſt de Tellure, ipſius Origine & Cataſtrophis, non tam Telluris Theoriam, quàm Theoriæ Specimen, haberi vellem. Scio me non explêſſe partes & numeros juſtæ Theoriæ: & in nonnullis, nè à Scopo aberraverim, ſubmetuo. In his autem, cùm æqua aliorum judicia fuerim expertus, non me pudebit deprecari gratiam, ſiquid deliquerim. Hominem mortalem, imbecillis naturæ conſcium, nihil magis decet, quàm erroribus ſuis veniam petere, & viciſſim dare petentibus. Rectè dictum eſt ab antiquis, Τὸ μηδὲν ἁμαρτάνειν ἔξω τῆς φύσεως κεῖται ἀνθρωπίνης. *Nihil & nullibi peccare non conceſſum eſt mortalibus.*

ELENCHUS CAPITUM.

LIBRI III. CAP. I.

INtroductio & propositum operis.

CAP. II. *Status quæstionis proponitur. Mundum tandem periturum esse, ex consensu Veterum: Huic accedit Scriptura Sacra, nec refragatur ratio naturalis.*

CAP. III. *Igne periturum esse Mundum, secundum Veteres; maximè Stoicos: Quibus tamen multo antiquius illud dogma, origine Barbaricum; atque ad fidem Christianam jam accensendum.*

CAP. IV. *De Mundi hodierni duratione, & futuri Incendii tempore. Calculi varii Astronomici ad examen reducuntur. Anni Magni quæ sit vera notio, exponitur.*

CAP. V. *De calculis Propheticis cujuscunque ordinis: Exoticis aut Sacris: iisque Hebræis, aut Christianis. Ex his nihil præcisè definiri posse; quoad mundi exitum.*

CAP. VI. *Ingressus ad explicandas causas Conflagrationis. Nodus argumenti proponitur, & expeditur primùm modo generali. Causæ supposititicæ Incendii removentur: Quales sunt appropinquatio Solis ad Terram, & Ignis Centralis eruptio.*

CAP.

Elenchus Capitum

CAP. VII. *De cauſis Conflagrationis genuinis. Incendii limites. Apparatus primus ad incendium generale, externus & viſibilis: apparatus ſecundus occultior: apparatus tertius.*

CAP. VIII. *Quæ, ſub finem mundi, rerum naturæ ſupervenerint ad incendium diſpoſitiones; quoad materiam, formam, & ſitum Telluris. Providentiam divinam præeſſe omnibus.*

CAP. IX. *De Conſumptione Oceani. De Montium & Scopulorum ruinâ & fuſione. De regionibus circumpolaribus; & de adæquandâ Telluris facie.*

CAP. X. *De Principio, Progreſſu, & Conſummatione Incendii: converſo Mari in Lacum Sulphuris & Salis, totoque Globo materiâ ardenti cooperto.*

CAP. XI. *Phænoménωn, aut Oſtentorum, quæ, per Oracula Sacra, Telluris Conflagrationem præcedere, aut comitari dicuntur, ex jactis fundamentis explicatio.*

CAP. XII. *Adventûs Chriſti, & Incendii Mundani, qualiſcunque Deſcriptio.*

Concluſio.

LIBRI IV. CAP. I.

INtroductionis loco, Mundum non abolitum iri in Conflagratione, ſed renovatum, oſtenditur.

CAP. II. *Ortus Novi Mundi ex reliquiis Antiqui. Hujus novi Cœli & novæ Terræ dotes & conditiones exponuntur; & Sacrarum Literarum dictis & teſtimoniis confirmantur.*

CAP. III. *De Incolis novæ Terræ. Secundum Oracula Sacra & Scripturæ canonem, fore* Beatum Seculum, *vel Beatum Millennium in Terris: ante vel poſt Conflagrationem.*

CAP.

Elenchus Capitum.

CAP. IV. *Secundum Veterem Ecclesiæ fidem, & Patrum Christianorum suffragia, futurum esse Beatum Millennium in Terris; ante vel post Conflagrationem.*

CAP. V. *Secundum Judæorum & Gentium Theologiam, fore itidem Beatum Seculum in Terris; cum Renovatione Mundi.*

CAP. VI. *Proponitur Idea & conspectus Millennii, sive Vitæ Beatæ in novâ Terrâ futurâ: Tam quoad rerum humanarum, quàm naturæ ordinem.*

CAP. VII. *De Contemplatione, & perfectionis nostræ incrementis, in Millennio.*

CAP. VIII. *Beatum Millennium, quale describitur in Sacris Literis, obtinere non posse ante Conflagrationem: Sed in novo Cælo & novâ Terrâ, mundo renovato, tandem futurum esse.*

CAP. IX. *De iis quæ Millennium secutura sunt, usque ad rerum omnium Consummationem.*

CAP. Ult. *Totius Theoriæ brevis conspectus, Operisq; Epilogus.*

TELLU-

TELLURIS THEORIA SACRA.

LIBER III.

De Conflagratione Mundi.

CAPUT I.

INTRODUCTIO, ET Propositum Operis.

QUùm omnibus innata sit res futuras cognoscendi cupido, & quæ majoris sunt momenti, & ad nos spectant propiùs, ea maximè præscire desideremus, utroque nomine non ingratum esse debet hoc opus qualecunque, quod meditamur: Cùm in eo propositum sit futuros mundi casus maximos, & suprema fata complecti & explicare: quibus nos unà involvi, atque res nostras, cùm tota natura patitur, necessum erit.

Solent homines solicitare Cœlum & Astra, ipsósque manes, ut unius Principis, aut Regni, aut Imperii, fines & fata perscrutentur; Nobis constitutum est, non hujus aut illius hominis, sed humani generis: neque singularis Imperii, sed Terrarum Orbis: atque ipsius Naturæ extremum diem quære-

re. Quærimus hujus mundi fatalem interitum, & cauſas, & modum, & pompam, & totum rei apparatum; Quibus, ſcilicet, ignibus flagratura ſit olim Tellus, Cœlumque liquaturum: & quis erit utriuſque ardentium vultus; dein, ſi ex illo cinere prodierit nova ſoboles, tener Orbis redivivus: & ſi parentem fœtus retulerit. Hæc quæſituri ſumus, hæc ſunt præſentis operis & inſtituti. Et ſi fortè non diſplicuerint, quæ circa rerum Origines, circa præteritam & hodiernam Naturæ faciem expoſita fuerunt in primâ parte hujus operis, non minus gratum erit, opinor, in ſecundâ hâc parte, tanquam in ſpeculo, futurorum temporum imaginem intueri. Faxit intereà Deus Optimus Maximus, ut quæ jam explenda eſt Theoria, in ſui nominis gloriam cedat: & veritatem quærentibus, lucem & opem aliqualem afferat.

Neque enim ſolâ Naturâ duce, aut rationis lumine, tantarum rerum explicationem aggredimur. In hoc argumento circa mundi excidium, temporum periodos, rerúmque conſummationem, divinis Oraculis debemus multa, quæ ab humano intellectu vix attingi poterant, nedum penitùs explicari. Libri Sacri Chriſtianorum multifariæ ſapientiæ theſauros continent; præſertim in iis, quæ ad providentiam ſpectant, mundíque tàm naturalis, quàm rerum humanarum regimen; & quemadmodùm utriuſque Telluris, primævæ & hodiernæ, tradiderunt nobis fata & exitus; ità nec celârunt Mundum poſthumum; ſed illius novi, vel renovati rerum ordinis in futuro ſeculo, aperuerunt januam. Prætereà, in magnis hiſce mundi revolutionibus & cataſtrophis, de quibus jam ſermo eſt, minimè putandum, Naturam ſolam agere: ideóque ex nudâ contemplatione cauſarum naturalium certam plenámque harum rerum notitiam adipiſci non poſſumus, niſi inſuper affulgeat ex ſacris literis lux aliqua divina. Fœlices nos interìm quibus datum eſt utriuſque generis ſuppetiis uti: ut, quantum Deo viſum eſt, licétque hominibus, hujus ſacratioris doctrinæ participes ſimus.

Conſtat hoc opus duobus Libris, quorum prior mundi Conflagrationem: poſterior, ejuſdem Inſtaurationem continet. In priori monſtrabimus, primò, ex antiquis plurimos ſtatuiſſe Mundum eſſe periturum, neque æternam fore hanc rerum compagem; atque idem teſtari ſacros codices. Secundò, quo ſit genere fati aut ruinæ periturus, ſecundùm

eoſdem

eoſdem authores: vi ignis, an aliâ. Tertiò, de tempore hujus interitûs quid definierunt aut conjectârunt alii: & ſi quid definiri poſſit, ex calculis ſacris, aut naturalibus. Quartò, quibus ſignis & indiciis, aut in Naturæ ſinu aut in rebus humanis, ingruens incendium denunciabitur. Denique, in quo cardo rei vertitur, & in quâ tamen parte maximè ſiluerunt omnes, *Quæ Cauſæ, Quæ Semina*, quis apparatus hujus conflagrationis; Ac quo tandem ordine & modo, quibúſque gradibus, Mundi machina diſſolvetur.

Hujus partis materiam hæc mihi ſatis exhaurire videntur: quæ in ſingulorum Capitum argumentis videre licet explicitiús. In ſecundo Libro, Mundum exuſtum inſtauramus: Novos Cœlos condimus, atque novam Terram: in quâ habitatura ſit, ab hodiernâ exul, *Juſtitia*; Pulchriorem illum rerum ordinem ingredimur, quem toties celebrant Sacræ Literæ: Regionem pacis, Regnum Juſtorum & Primogenitorum à morte: ubi omnia *nova*, omnia hodiernis perfectiora. Quantula ſunt, quæ hîc miramur, quæ hîc deperimus? atque à nugis noſtris, etiam à malis noſtris, quibus aſſuevimus, ægrè divellimur; quaſi, intra hujus vitæ ambitum tota ſpes noſtra conſiſteret. Ità tamen, neſcio quo pacto, me comparatum eſſe ſentio, ut, poſthabitis præſentibus, quæ parvi eſſe videntur, præterita & futura magis aſpiciam; Futura maximè: quò tendimus omnes, quà patet æternitas, & immenſa rerum temporúmque ſpatia. Exiguum illud *Hodiè*, quo conſtringitur hæc vita, non explet animum humanum: cupit laxari, & diffundi, & majora videre. Cui non, inſtar immortalitatis eſſet, è longinquo proſpicere venturum mundum, & diſpoſitos rerum ordines longâ ſerie? Soluto hoc theatro, ubinam nobis agendum ſit, & quas partes: Qui Homines, Qui Heroes, Qui Divi in ſcenam prodibunt; Si quos tantâ luce, ut hæc ſciant, ut hæc videant, dignabitur cœleſte Numen, iis ſordes erunt voluptates corporis præ hoc animi gaudio, & hodierni ſeculi inanem pompam ſub pedibus calcabunt. Sed ad præſens inſtitutum.

CAP. II.

Status Quæstionis exponitur.

Mundum tandem periturum esse, ex consensu Veterum : Huic accedit Scriptura Sacra, nec refragatur Ratio naturalis.

CUM de Mundi interitu verba facimus, non *magnum Universum* intelligi, cœlos superiores, altos orbes, & astra remotissima : sed mundum hunc Sublunarem, ipsiúsque supellectilem, unicuique notum esse debet. Huic ortum tribuit *Moses* sexto retrò Millennio, atque jam semel periisse testatur in Diluvio : cum fractus & inundatus, formam primigeniam, teretem & æquabilem exuit, aut mutavit in hodiernam. Hunc mundum dicimus post aliquot secula secundò periturum esse : sed regiones cœlestes, Astrorum, Angelorum, Sanctorum sedes, suas licet habeant vicissitudines & mutationes nobis ignotas, huic fato non subjacent, neque in censum veniunt cùm de mundi nostri interitu agitur. Quod ex modo & causis, quibus periturum esse supponimus, ulteriùs infrà patebit.

Præterea, quemadmodum in Diluvio, materia Telluris sive mundi sublunaris non abolita fuit, sed ipsius forma tantùm & compages disperdita : unà cum mundi animati parte longè maximâ ; Ità in futuro interitu, non quæritur de mole & materiâ, ac si illa in nihilum redigenda esset : quod sibi fingunt Theologi quidam ἀφισολόφοι ; sed παράγει τὸ σχῆμα τȣ̃ κόσμȣ τȣ́τȣ, ut inquit *Apostolus, præterit hujus mundi forma*, figura, dispositio ; confundentur elementa, cœli & terræ compages, & utriusque apparatus, sive *opera*, juxta dictionem *Sancti Petri*. Sed ipsa corporum rudimenta & nuda stamina supererunt semper, nullo impetu consumenda ; Quod abundè probabitur in principio Libri subsequentis. Intereà, non exiguum detrimentum afferunt doctrinæ Christianæ atque Sacris literis, qui, crassâ & importunâ ignorantiâ, ea loca, quæ

1. Cor. 7. 31.

quæ mundum naturalem ſpectant, in ſenſum à ratione alienum & rerum naturis contrarium detorquent.

Expoſito, hoc modo, quæſtionis Statu, quid ſenſerint ſtatuerintque Antiqui, Græci, aliique, de tali mundi interitu, jam paucis videamus. Ait *Ariſtoteles* voluiſſe omnes antiquos, ante ipſum, Mundum genitum eſſe: alii autem corruptibilem, alii incorruptibilem: Γενόμενον μὲν ἔν ἅπαντες εἶναί φασιν, ἀλλὰ γενόμενον οἱ μὲν ἀΐδιον, οἱ δὲ φθαρτόν. *Genitum* verò & *incorruptibilem* neminem ſtatuiſſe memini, præter Platonem; Neque id aſſeruit abſolutè Plato, aut mundum ſuâ naturâ indiſſolubilem eſſe voluit, ſed propter conditoris beneficentiam; Qui, cùm omnis invidiæ & malevolentiæ expers eſſet, opus tam pulchrum & conſummatum noluerit unquam diſſolutum iri: ait enim Ἀλλ' ὁ γὰρ τἀγαθῷ ἐσιν ὁρμᾶν ὅτι φθορὰν γενναίματ☉ καλλίσω· διαμένει ἄρα, τοῖος δὲ ὢν, ἄφθαρτ☉ ϗ ἀνώλεθρος ϗ μακάρι☉. *At non eſt boni Genitoris, ad ſui fœtus & pulcherrimi quidem, perniciem impelli. Permanet igitur, cum talis ſit, ab omni corruptione & interitu liber, beatúſque.* Rectè differis, *Divine Senex*, ſi penitùs delendus eſſet mundus ſine ullâ inſtauratione; Cadet autem, ut reſurgat pulchrior: veterémque demolietur Deus Opifex, ut novum excitet. Præterea, Dei gloria & perfectio non ex bonitate tantùm elucent; divina Sanctitas, Juſtitia, Sapientia, ſuas debent habere partes; Hæc autem, non tam ex unico & immutabili rerum Statu, quàm ex multiplici naturâ, inæquales vices, ex conſilio divino, ſubeunte, illuſtrantur.

De Cœlo, l. 1. c. 10.

In Timæo Locr.

Hæc de *Platone*: cujus verba libentiùs interpretor de magno mundo, quàm de hoc ſublunari: cùm in eo Periodos & viciſſitudines in *Timæo*, & alibi, ſæpiùs admittat. Quoad Peripateticos, nota eſt in hâc re Ariſtotelis doctrina, quæ mundum ex utrâque parte æternum ſtatuit. Idem ſtatuêre Pythagorici nonnulli, vel Pſeudo-Pythagorici, ut *Ocellus Lucanus*, aliique apud *Cenſorinum*. *Pythagoras* autem ipſe, ſi *Plutarcho* fides, ſententiam illam tuebatur quam poſteà amplexus eſt Plato. Quoad Stoicos, periturum ſentiunt mundum, idque ἐκπυρώσει, de quâ in ſequenti capite. Epicurei etiam mundos ſuos caducos & corruptibiles eſſe volunt. Denique *Ionici*, à *Thalete* magiſtro, omnium apertiſſimè de ortu mundi ſublunaris diſſeruerunt: ſed quid de ipſius fine ſenſerint, à Laërtio relatum non reperio. Apud *Stobæum*, corruptibilem

De plac. Phil. l. 2. c. 4.

Ecl. Phyſ. l. 1. c. 24.

bilem ſtatuiſſe dicuntur, unà cum *Diogene* & *Leucippo*: Ἀναξίμανδρος, Ἀναξιμένης, Ἀναξαγόρας, Ἀρχέλαος, Διογένης, Λεύκιππος, φθαρτὸν τὸν κόσμον λέγουσι. Præterea, *Anaximenem* cum *Heraclito*, Stoicorum ſcholâ, aliiſque, qui mundum unicum per vices corrumpi & inſtaurari voluerunt, apud *Simplicium* conjunctum reperio. Γενετὸν ὃ καὶ φθαρτὸν τὸν ἕνα κόσμον ποιοῦσιν ὅσοι ἀιδὲ μὴ φασιν εἶναι κόσμον, ἐκ τοῦ αὐτὸν ἀιεὶ, ἀλλὰ ἄλλοτε ἄλλον γινόμενον κατά τινας χρόνων περιόδους· ὡς Ἀναξιμένης τε, καὶ Ἡράκλειτος, καὶ Διογένης, καὶ ὕστερον οἱ ἀπὸ τῆς στοᾶς. Denique qui Telluris ortum ex *Chao* tradentes, eam ex *Amore* coaluiſſe ferunt, ut *Empedocles*, aliiq; ejuſdem ſententiæ; Ex *Inimicitiâ* iterum, & diſſidentibus elementis, paritèr diſſolvendam ſtatuêre.

Illud præterea notandum eſt, ex Græcis quotquot Rerum periodos & ἀνακυκλώσεις docuerunt, Annos Magnos & temporum ἀποκαταστάσεις: Ii omnes ſupponebant hodiernum mundum interiturum eſſe; Neque enim aliter explicari poteſt doctrina illa ἀποκαταστάσεων, quàm per has mundi cataſtrophas & viciſſitudines: cùm ſolvitur Naturæ ordo, aliúſque incipit, aut regreſſus fit ad Primævum. Id quod adventurum eſt in proximè futurâ diſſolutione, cùm, rerum temporúmque formâ præcedente abolitâ, Priſtinus mundi Ordo inſtaurabitur. De his magnis Naturæ periodis frequens fit mentio apud Ve-
l. 5. teres. *Origines* contra *Celſum* hanc doctrinam attribuit non Stoicis tantùm, ſed etiam Platonicis & Pythagoricis: neque ſolum *Græcis*, verùm etiam *Ægyptiis*. Sed, quùm recurret
c. 5. occaſio tractandi fuſiùs hanc materiam in ſequenti Libro, id tantùm notemus ultrà impraſentiarum, Eos ipſos Philoſophos, qui mundum duratione ſempiternum eſſe dixerunt, non eundem numero, & ſub eâdem formâ, immortalem eſſe voluiſſe, ſed ſucceſſione; per has nempe viciſſitudines & re-
Ecl. Phy. novationes. Quod rectè obſervavit Stobæus, Καὶ οἱ φάμενοι ὃ
li. 1. c. 24. τὴν διακόσμησιν ἀιώνιον ὑπάρχειν, περιοδευτικὰς εἶναί φασι χρονὰς, καθ' ἃς καὶ ταῦτα καὶ ὡσαύτως γίγνεσθαι πάντα, καὶ τὴν αὐτῆ διασώζεσθαι τῆ κόσμῳ διάταξίν τε καὶ διακόσμησιν. *Quique ſempiternum faciunt mundum, temporum quaſdam conſtituunt Periodos, quibus renovantur omnia: atque eo modo conſervatur mundi ordo & ornatus.* Quibus conſonat, quod ſupra ex Simplicio citavimus, de mundorum ſucceſſione. Et hoc modo mundum ἄφθαρτον dixêre *Druidæ*, ut tamen locus eſſet hiſce viciſſitudinibus: Ita in-
l. 4. quit *Strabo*, Ἀφθάρτους ὃ λέγουσι τὰς ψυχὰς καὶ τὸν κόσμον· ἐπικρατήσειν

δέ

δέ ποτε καὶ πῦρ καὶ ὕδωρ. Ita mundum esse incorruptibilem, *ut aliquando invalescant & ignis & aqua.*

Hæc de Mundo perituro secundum Græcos. Atque idem facilè credo quoad Gentes antiquo-barbaras: Qui, cùm propiores essent rerum orginibus, atque primo mundi excidio, in cataclysmo: secundò pati posse naturam, & interire quod incœperat: dissolvi, quod concretum & coagmentatum fuerat, non difficultèr agnoscerent. Τὸν κόσμον γενητὸν καὶ φθαρτὸν asseruerunt *Ægyptii*, quemadmodum ex *Manetho* & *Hecateo* refert *Laertius*; atque idem de *Bragmanis*, sive Gymnosophistis Indis, *Strabo*. Illam verò ἀφθαρσίαν, quam rerum naturæ attribuerunt *Chaldæi*, referente Diodoro, non de formâ universi, sed materiâ intelligo: Quam quidem perpetuò fuisse, & futuram esse, à veteribus non pauci crediderunt. Sed de formâ hîc agitur: Et cum gentes barbaricæ mundo ortum dederint, idque ex Chao: ut in Cosmopœiis, quæ supersunt, *Phœniciis* & *Ægyptiacis*, videre est: &, quæ ab his derivatæ sunt, *Orphicis*, & priscorum apud Græcos Theologorum: Cùmque præterea, hæc Sapientia Barbarica mundanas Periodos & revolutiones docuerit, quinetiam introduxerit: His consequens est & connexum, ut hodiernus mundus transeat, suo tempore, ex eorum sententiâ: vultumque, formam, faciem, totumque σχῆμα permutans, sibiipso renovato, locum faciat: Hoc autem, cùm à causis violentis fiat, *interire* & *corrumpi* dicitur. Quarè, tàm quoad Barbaros, quàm Græcos Philosophos, totumque sapientûm cœtum, illud Æliani rectè effertur, οἱ ἐπὶ μᾶλλον δοκοῦντες τὴν τῶν ὅλων φύσιν κατεσκέφθαι, λέγουσι καὶ τὸν κόσμον διαφθείρεσθαι αὐτόν. *Qui totius naturam magis attentè considerârunt, præter res singulares, ipsum mundum interiturum esse dicunt.*

Proœm. l. 15. l. 2. *Var. Hist.* l. 8. c. 11.

Huic antiquorum dogmati de futuro mundi interitu, accedunt & consentiunt Sacræ literæ: ut ex multis locis, tàm quoad Cœlum, quàm quoad Terram, colligitur. Cùm primam suam Catastrophen mundus in Diluvio subiisset, fœdus cum *Noacho* Deus initurus, dixit, *Deinceps quamdiù erit Terra, sementis & messis, æstas & hyems, &c. non cessabunt.* Hinc definitos esse dies Terræ, & hodierni Naturæ ordinis, per illas temporum vices, nonnulli colligunt; Et satis aptè quidem id præ se ferunt verba, sed invitum non cogunt. Apertius est, quo dicitur de Cœlis, vel de Cœlo & Terrâ simul, Ps.

102. 27, 28. *Ista peritura sunt, Tu autem permanes; Ista, inquam, omnia ut vestimentum veteraſcent: ut indumentum mutabis ea, & mutabuntur. Tu verò idem es, ac anni tui non finiuntur.* His respondet illud *Isaiæ* Prophetæ, Cap. 51. 6. *Attollite in Cælum oculos vestros, & intuemini in Terram deorsum, Cœlos velut fumum evanituros esse, & terram, ut pannum, veteraturam; habitatoresque ejus similitèr morituros. Salus verò mea in seculum erit, & justitia mea non atteretur.* Et cum apud hunc prophetam, alioſve, mentio fit de *concussionibus cœli & terræ*, motibusque & mutationibus tremendis, licèt istæ locutiones suo loco & tempore figuratæ sint, & populorum & imperiorum mutationes indicent, fundantur tamen in illâ subversione & παλιγγενεσίᾳ, quam olim subiturus est mundus naturalis, atque illam ultimò respiciunt & præmonstrant.

c. 13. 10, 13. c. 24. 19, 20 c. 34. 4. Hagg. 2. 6. Heb. 12. 26, 27.

In novo fœdere Christus dixit præteritura cœlum & terram: nunquam verò sermones ejus, *Matt.* 24. 35. Atque hujus mundi formam, cultum, Schematismum ex verbis *Pauli* novimus abiturum esse: 1 *Cor.* 7. 31. Idque, ut præstantiorem natura accipiat, ad *Rom.* 8. Præterea, cùm memoratur παλιγγενεσία aut ἀποκατάστασις, quæ tam ab ipso Christo, quàm à Sancto *Petro* memorantur, (*Matt.* 19. 28. *Act.* 3. 21.) de hâc ipsâ materiâ agitur; atque, unico verbo, hunc mundum interiturum, aliumq; nasciturum esse, significatur. Denique, quæcunque loca *novos cœlos* atque *novam terram* prædicant & pollicentur, Veterum sive hodiernorum transitum arguunt & includunt; Hujusmodi autem loca occurrunt in utroque fœdere, in vaticiniis *Isaiæ*, & Sancti *Johannis*; præter illum Sermonem irrefragabilem Sancti *Petri*, & datâ operâ institutum, de *mundo Triformi*, sive de triplici ordine cœli & terræ, ex instituto Dei, succedentium. Sed de his satis.

C. 65. 17. c. 66. 22. Rev. 21. 1. 2 Epist. 3. à vers. 5. ad 14.

Postremò, Quoad Rationem naturalem; satis est, his Testibus, sacris & humanis, eam non refragari. Vidimus originem hujus mundi sublunaris, è suo Chao prodeuntis: & quem orientem vidimus, si eundem viderimus occidentem, non mirabimur; nec id resolvi posse negabimus, quod, non ità pridem, vidimus coalescere. Præterea, nihil esset magni in rerum naturâ sine his mundanis Catastrophìs; Quotidianæ corruptiones & generationes parvi sunt, & communis ordinis: Sed cùm de mundis struendis aut demoliendis agitur, Divinum opus est, & admiratione dignum. Hîc etiam illustres

illuſtres fiunt Sapientia & Juſtitia Dei; cum, quæ naturam regit, atque unà res humanas, Providentia, utriuſque momenta ità temperat, ut conſilium iramque Dei in genus humanum ipſa Natura exequatur. Hæc ſunt rationi naturali conſentanea circa Mundi interitum; Quòd ſi prætereà a Ratione poſtules, ut hujus excidii neceſſitatem demonſtret, cauſaſque immobiles & definitum tempus: Iniqua poſtulas; Neque enim ea pendent à ſolâ naturâ; At diſpoſitiones aliquas ſi quæras, & mali ſemina, & fomites, & inchoamenta, & vires: ut, mundum perire poſſe, & quibus viis & modis, diſcernamus: In his explicandis quid valeat Ratio, in progreſſu operis experiemur.

CAP. III.

Igne periturum eſſe Mundum, ſecundùm Veteres: maximè Stoicos; Quibus tamen multò antiquius eſt illud dogma, origine Barbaricum: atque ad fidem Chriſtianam jam accenſendum.

CUM jam mundum periturum eſſe viderimus, quâ vi, & quo genere fati periturus ſit, proximè diſpiciendum. Magnas mundi clades per *Aquam* & *Ignem* adventuras eſſe, ſemper crediderunt veteres; atque his mundum purgari; ideòque hæc corpora, præ cæteris omnibus, aut hæc elementa, in uſu fuerunt, tam apud Græcos quàm Barbaros, in purgationum ritibus. Neque ab his abludit doctrina Sacra: nam qui purgandis animabus noſtris præficitur *Spiritus Sanctus*, his duobus in operatione ſuâ comparatur; & Diluvium ipſum dicitur aliquo modo Mundi *Baptiſmus* & *renovatio*, à Sancto *Petro*. Et, à Sancto *Paulo*, Opera non uſquequaque pura, in extremo Igne, ſaltem ex multorum Patrum interpretatione, *purgatum iri dicuntur*. 1 *Ep.* 3. 21 1 *Cor.* 3. 13.

Subiit jam Mundus purgationem priorem in *Cataclyſmo*: & ſubiturum eſſe alteram in futurâ *Conflagratione*, creditur:

juxta Sacras Literas, & antiquam Gentium traditionem. Fatendum eſt *Stoicos* potiſſimùm hanc nobis conſervâſſe doctrinam: Sparſim tamen apud alios antiquiores memoratam legimus. *Heraclitus* vetuſtior erat *Zenone*, Stoicorum duce: Ille autem aſſeruit ex igne mundum genitum eſſe, ἡ̓ πάλιν ἐκπυρῶσθαι κατά τινας περιόδους. Atque *iterùm ſecundùm certas periodos accendi & conflagrare.* Et *Heraclito* antiquior *Empedocles*, τῆς δὴ πάντων ἀναλήψεως μέμνηται, ὡς ἐσομένης ποτὲ εἰς ἓν τῶ πυρὸς ὑσίαν μεταβολῆς. *Univerſorum meminit inſtaurationis, quod ſcilicet aliquando futura ſit mutatio in ignis naturam*, ut inquit *Clemens Alexandrinus.* Præterea, ex *Platone* diſcimus, Sacerdotes Ægyptios docuiſſe has mundi vices & excidia per *Cataclyſmos* & *Incendia.* Et cum lis eſſet inter Ægyptios & Scythas de *Vetuſtate generis*, argumentum, quo utuntur Scythæ, Mundanas clades per Aquam & Ignem fieri ſupponit; eoſdem pereundi modos mundo dederunt Druidæ: & in Oriente, ſub *Phœnicis* ſymbolo, doctrinam ἐκπυρώσεως conſervabant. Denique Sibylla & *Hydaſpes* Perſa, (referente Juſtino, Apol. 2.) Mundum per Ignem conſumptum iri ſtatuerunt. γενήσεσθαι τῶν φθαρτῶν ἀνάλωσιν διὰ πυρός.

Laert.

Storm. 5.

In Tim.

Manavit per terrarum orbem futuri per ignem Univerſalis excidii traditio: neque ullam regionem penetrabit flamma, quò non pervenerat ipſius prænuntia fama. Apud Græcos & Romanos percrebuiſſe, tam inter Poëtas quàm Philoſophos, notiſſimum eſt. *Sophoclis, Lucani, Lucretii, Ovidii,* & *Sibyllinos* verſus hoc loco recitare ſolent; ſed materiam aliorum veſtigiis tritiſſimam levitèr pertranſeo. De mundi conflagratione, Prophetis noſtris conſona dixiſſe ſapientes exoticos, vel invitos, ait *Theophilus* ad *Autolycum.* Περὶ ἐκπυρώσεως κόσμου θέλοντες ἡ̓ μὴ θέλοντες ὁμόλογα ἐξεῖπαν τοῖς προφήταις, καίπερ πολὺ μεταγενέστεροι γενόμενοι. *Quod pertinet ad conflagrationem mundi, nolentes volentes conſentiunt cum Prophetis, quamvis his tempore multò ſint poſteriores.* Et rationem conſenſûs innuit, quòd à ſcriptis Propheticis ea ſuffurati fuerint. Sed miſſâ hâc parte, non inutile erit obſervare, quantùm doctrinæ ſacræ in hoc argumento conſentiant exteri, & quid inſuper adjiciant.

l. 2.

Cùm verò dogma, de quo agitur, in Stoicorum Scholâ maximè obtinuerit, ſatis erit, ſi in doctrinâ Stoicâ circa mundi interitum, quid amplectendum, quid amputandum ſit,

ſit, exquiramus. Imprimis Mundum corruptibilem eſſe ſtatuerunt, Ἀρέσκει δὲ αὐτοῖς. inquit *Laertius*, φθαρτὸν εἶναι τὸν κόσμον. *In vitâ Zen.* Et quo ſenſu corruptibilem, rectè explicuit *Philo*, δύναται δὲ κατὰ Στωικοὺς ὁ μὲν τις κόσμος ἀΐδιος, ὁ δέ τις φθαρτὸς λέγεσθαι· περὶ ἀφθαρ. φθαρτὸς μὲν ὁ κατὰ διακόσμησιν, ἀΐδιος δέ, ὁ μετὰ τὴν ἐκπυρώσεως παλιγγενεσίαις καὶ περιόδοις ἀθανατιζόμενος οὐδέποτε λήγουσαις. *Secundum Stoicos poteſt mundus aliquo ſenſu æternus dici, atque aliquo ſenſu corruptibilis: Corruptibilis eſt quoad ornatum & compoſitionem, æternus autem in quantum poſt exuſtionem periodis & renovationibus nunquam deſituris, quaſi immortalis redditur.* Retinenda eſt ubique hæc diſtinctio, nè antiquorum ſententiæ confundantur.

Quomodo verò ſubindè perit, juxta Stoicos, hic Mundus corruptibilis, & quo genere cladis, proximè exponit *Laertius*, ἐξαυχμοῦται γὰρ καὶ ἐξυδατοῦται. *Exuſtionibus* & *Eluvionibus ſubjicitur.* *ibid.* Ad mentem Stoicorum aut Platonicorum, idem aſſeruit *Cicero*, ex ore *Scipionis* majoris, quò perituri mundi *Somn. Scip.* contemptum *Africani* ſui animo ingereret; *Propter Eluviones exuſtioneſque terrarum, quas accidere tempore certo neceſſe eſt, non modò non æternam, ſed nèdiuturnam quidem gloriam aſſequi poſſumus.* Proximas autem vices eſſe igni, in hoc fatorum ordine, atque in eâ nos eſſe jam temporum parte, ut per ignem interiturus ſit mundus noſter, omnium conſenſu efficitur: *Ex quo eventurum noſtri putant*, inquit *Balbus Stoicus apud Ciceronem*, *De Nat. Deor.* l. 2. *id de quo Panetium addubitare dicebant, ut ad extremum omnis mundus igneſceret; cùm, humore abſumpto, neque terra ali poſſet, neque remearet aër.* Denique aſſerebant Stoici, exuſto hoc mundo, renaſciturum alium; idque, eâdem formâ & facie. Id ſequitur apud *Ciceronem*, *Ita relinqui nihil præter Ignem, à quo rurſus animante, ac Deo, renovatio mundi fieret, atque idem ornatus oriretur.*

Vides in his paucis, quid rectè ſentiant, & quid peccent Stoici in hâc materiâ. Mundum hodiernum periturum eſſe, idque igni: & deinceps renovatum iri, Deo & Naturâ cooperantibus, rectè hæc ſtatuunt. Sed in duobus peccant, primò, quòd indefinitam & nunquam deſituram Incendiorum & Diluviorum ſeriem ſupponant. Ità à *Philone* dicitur, παλιγγενεσίαις καὶ περιόδοις οὐδέποτε λήγουσαις. Neque aliter *Numenius*, τῶν τοιούτων περιόδων ἐξ αἰδίου γινομένων ἀκαταπαύστως. *Apud* Euſeb. *præp. Evang.* l. 15. c. 19. Ipſi Origeni hunc errorem impingit *Hieronymus*, aitque eum aſſeruiſſe

Hieron. *Epist. 60.* isse *mundos innumerabiles, non juxta Epicurum, uno tempore plurimos & sui similes, sed post alterius mundi finem, alterius esse Principium.* Sed ii etiam qui innumeros simul mundos statuerunt, & unà coexistentes, eos interire & renovari infinitis vicibus existimarunt. Id testatur *Simplicius* his verbis, *οἱ μὲν γὰρ ἀπείρους τῷ πλήθει τοὺς κόσμους ὑποθέμενοι, ὡς οἱ περὶ Ἀναξίμανδρον, καὶ Λεύκιππον, καὶ Δημόκριτον, γινομένους αὐτοὺς καὶ φθειρομένους ὑπέθεντο ἐπ' ἄπειρον, ἄλλων μὲν ἀεὶ γινομένων, ἄλλων δὲ φθειρομένων.* *Qui mundos numero infinitos statuebant, utì Anaximandri, Leucippi & Democriti sequaces, eos nasci & denasci in infinitum voluerunt; aliis usque nascentibus, aliis denascentibus.* Sed hanc præcipitem & interminatam mundorum successionem sistit & sufflaminat doctrina Christiana, quæ rerum omnium terrestrium extremam metam & consummationem notat, cum *Regnum tradetur in manus Patris, & Tempus non erit ampliùs.*

In lib. 8. Phys. Arist.

Secundò errarunt Stoici, quòd hunc mundum post conflagrationem cum totâ suâ supellectile, renovandum esse voluerint in ipsissimam eandem formam, quam ultimò habuit. Atque eandem rerum temporumque seriem restitui & inchoari denuò, iterùm iterúmque repetendam. Hoc *Annus Platonicus* dici solet, atque iis pariter vitio vertitur. Rem ità exhibet & explodit Sanctus *Augustinus, Illi putant sic eadem temporum temporaliúmque rerum volumina repeti, ut* v. g. *Sicut in isto seculo* Plato *Philosophus in Urbe* Athenienśi, *in eâ Scholâ quæ Academia dicta est, discipulos docuit, ità per innumerabilia retrò secula, multùm prolixis quidem intervallis, sed tamen certis, & idem* Plato, *& eadem Civitas, eademque Schola, iidemque Discipuli repetiti, & per innumerabilia secula repetendi sunt. Absit ut nos ista credamus.* Cruda hæc quidem: modestiùs de Stoicis *Numenius*, *Καὶ πάλιν ἐκ τούτου αὐτὴν ἀποτελεῖσθαι τὴν διακόσμησιν, οἷα τὸ πρότερον ἦν.* *Iterúmque per Ignem eandem constitui & perfici compagem, qualis antea erat.* Ubi de mundo naturali tantùm, loqui videtur.

De Civ. D. l. 12. c. 13. Et Orig. Cont. Cels. li. 5.

Ap. Euseb. præp. Evang. l. 15. c. 18.

Vides hîc duplicem subesse errorem: Eorum primum, qui mundum naturalem in eandem formam restituendum esse censent; Dein, qui res etiam humanas, aut eandem rerum humanarum seriem repetunt, & in scenam reducunt; quo nihil absurdius, aut à ratione magìs alienum mihi videtur. Ad quid profuerit hic labor actus in orbem? ut hæc crambe bis cocta Diis & hominibus apponatur. Fabula quæ haud placuit pri-

mâ

mi vice, cum fastidio repetitur: nec feret Cœlum, ut renoventur ea hominum scelera, quæ incendio purgari aut puniri voluit. Neque mundum naturalem, formâ & supellectile eundem, sed pulchriorem & præstantiorem habituri sumus; *Novos Cœlos atque Novam Terram, in quâ regnabit Justitia.* De his autem, quæ non sunt hujus loci, abundè tractabitur in sequenti Libro. Intereà non miror genuinæ Veterum doctrinæ de mundi renovatione spuria quædam immiscerì, cùm id contingere soleat in omnibus priscis dogmatis: & in iis præsertim, quæ ab exteris ad Græcos derivata fuerunt.

Ultimò quærendum est de Stoicis, unde suam ἐκπύρωσιν desumpserint; sitne propriæ inventionis, an alienæ: & an *Græcæ* originis, vel *Barbaricæ*. *Heraclitus* & *Empedocles*, ante natales Stoicorum, mundi interitum per Ignem prodidêre. Ejusdem meminerunt *Plato* & *Aristoteles*: Et, referente *Cleombroto* apud *Plutarchum*, *Hesiodus*, & ipse *Orpheus*. *Orpheus* sua desumpsit ab *Ægyptiis*, aliisque priscorum sapientibus. Atque hoc ipsum dogma à Philosophiâ Barbaricâ desumptum tradit *Clem. Alexandrinus*, *Strom.* 5. Sed ipse dux & antesignanus sectæ Stoicæ, *Zeno Citiæus*, origine *Barbarus* erat, advena *Phœnicius*, ut ipsius vitæ Scriptores testantur. Ζήνων Κιτιεὺς, ἀπὸ Κύπρου, πλίσματος Ἑλληνικοῦ, Φοίνικας ἐποίκους ἐχοντος. *Zeno Citiæus, à Cypro, parvo quodam oppido Græcorum, natus, quod Phœnices coloni incoluerunt*; inquit *Laertius*. Id quod ei exprobratur apud *Ciceronem*, *Tuus enim Pænulus (scis enim Citteios clientes tuos, è Phœniciâ profectos) verba versare cœpit.* Sed quod ei vitio vertitur, lucro esse potuit in sapientiæ studio, ortum esse, scilicèt, ex *Syris* aut *Phœnicibus*: à quibus non tantùm literas, sed etiam Philosophiam mutuati sunt Græci. Gens antiqua Phœnices, & priscæ sapientiæ conscia, quantum ex *Sanconiathonis* reliquiis judicare licet, aut ex eo quòd sua haberent Βιβλία ἀπόκρυφα, *Libros reconditæ literaturæ*, è quibus Scientiam suam hausisse dicitur, sine Præceptore Græco, *Pherecydes Syrus*. Ab iisdem *Phœnicibus* quædam dogmata sumpsisse *Zenonem* ad constituendam suam Sectam, facilè credo. Fuit etiam apud Hebræos (referente *Josepho*, Antiq. *li.* 1. 3.) Traditio antiquissima de utroq; Mundi excidio, per *Aquam* & *Ignem*. Similisque Traditionis inter *Judæos* fit mentio in Libro qui dicitur *Cedrus Libani*, ut refert *Grotius*, in 2 *Pet. c.* 3. Denique, quæ, antè Græcorum tempora aut literas, inter gentes

De defec. Orac.

4. *de fin.*

Suid. in Φερεκυ.

gentes antiquo-barbaras reperimus dogmata, Ea *NOACHIDARUM DOGMATA* appellare Soleo: Quale illud fuiſſe, *de futurâ mundi conflagratione*, ex dictis jam ſatis patere videtur.

Quoad ſententias Veterum & authoritatem exoticam, hæc ſufficiant. Sed ab authoritate ſacrâ vis maxima certitudinis exoritur; & in hâc re, tam Prophetas, quàm Apoſtolos, teſtes habemus. Prophetæ quidem fumum aliquem & ſcintillas perituri mundi, quaſi è longinquo conſpexêre; Apoſtoli autem cominùs & de proximo viderunt flammas: & præ cæteris Sanctus *Petrus*, qui, quaſi aſtans incendio, & ſævientem ignem, & æſtuantem & labentem mundum audiens vi-

2 *Pet.* 3.9. denſque, ità loquitur, *Cœli cum ſtridore præteribunt, elementa verò æſtuantia ſolventur, Terrâque & quæ in eâ ſunt opera, exu-*

ver. 12. *rentur.* Et mox ſubjicit, *Expectantes & maturantes adventum Diei Dei, in quo cœli conflagrantes ſolventur & elementa æſtuantia liqueſcent.* Hæc ità deſcripta ſunt ac ſi rem ipſam, tremendum ſpectaculum, ante oculos habuiſſet. Eandem doctrinam ſuperiùs explicuerat Apoſtolus more magis Philoſophico, ad rerum naturam & mundanas revolutiones, per aquam & ig-

ver. 5,6,7. nem, accommodato. *Priſci*, inquit, *Cœli & Terra ex aquâ & per aquam conſiſtebant: Quamobrem qui tunc erat mundus aquâ inundatus periit; Qui verò nunc ſunt cœli & terra, eodem Dei verbo, repoſiti, aſſervantur igni, in diem judicii & exitii impiorum hominum.* Hæc diſſertatio Sancti *Petri* de futurâ mundi exuſtione, cùm adeò diſerta ſit, plena & explicita, lucem afferet aliis dictis ſacris quæ ad extremum illum ignem alludunt, aut parciùs eundem exprimunt. Sanctus *Paulus* ad *Corinthios* primâ, cap. 3. 12, 13. Ità de illo loquitur, & extremâ per illum probatione: *Cujuſque opus manifeſtum fiet, Dies enim id declarabit: Nam per ignem revelabitur; & cujuſque opus quale ſit, ignis probabit, &c.* Quò ſpectat etiam ejuſdem *Pauli* dictum ad *Hebræos*, de tribulis exurendis, *cap.* 6. 8. Atque illud Chriſti de *Zizaniis*, *Matt.* 13. 40, 41, 42. &, ni fallor, alterum illud Μυριώτερον, πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, *Mar.* 9. 47, 48, 49. Præterea, Dominum in igne venturum eſſe ad Judicium, multa loca in utroque fœdere teſtantur: 2 *Theſſ.* 1. 7, 8. *In revelatione Domini Jeſu de Cœlo, cum Angelis ſuis potentibus, Igne flammanti, infligens ultionem iis qui Deum neſciunt, neque auſcultant Evangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Ad *Hebræos* cap. 10. 27.

manet

manet horrenda quædam expectatio judicii, & ignis fervor, qui devoraturus est adversarios.

Eodem modo apud Prophetas, cum de inimicis Christi destruendis agitur, ad ignem & consumptionem per ignem sæpiùs respicitur. Apud regium Prophetam id multotiès occurrit, *Psal.* 11. 6. *Jehova depluet super improbos prunas, ignem, & sulphur : Ventúsque procellosissimus portio calicis eorum futurus est. Veniat Deus noster, & nè surdum agat : ignis antè ipsum consumit, ut circa ipsum procellosus valde. Psal.* 50. 3. His locis consona sunt alia multa in Psalmis, de adventu Domini, hostiúmque ipsius excidio. *Psal.* 68. 2, 3. *Psal.* 83. 15, 16. *Psal.* 97. 3. aliíque ejusdem argumenti. Neque minùs in cæteris Prophetis igneus ille Dei adventus, & excandescentia in improbos in fine mundi, prædicatur. Hoc apertum est apud *Isaiam*, cap. 66. 15. *Ecce Jehova cum igne venturus est, & curribus suis similibus turbini, ad reddendum cum excandescentiâ iram suam, & increpationem suam cum flammis ardentibus.* Eodem etiam respicit idem Propheta, *cap.* 34. *ver.* 8, 9, 10. Apud *Danielem*, *cap.* 7. 9, 10. ità describitur Antiquus Dierum in suâ sede judicii, totus flammis coopertus ; *Solium erat ut scintillans ignis, rotæ ut ignis ardens ; à cujus conspectu fluvius ignis manabat prodiens : cui millies mille ministrabant, & coram quo myrias myriadum stabant, & considente judicio libri sunt aperti.* Et apud *Malachiam* Prophetam similis rerum facies exhibetur in illo die advenientis Domini, *cap.* 4. 1. *Ecce dies ille adveniet, ardens tanquam fornax : quo erunt omnes superbi, & omnes facientes improbitatem, stipula, & inflammabit eos dies ille venturus.* Denique, quoad naturam ipsam & mundi molem, Terram absumptum iri æstu iræ Dei, & igne ipsius Zeli, inquit *Zephanias*, *cap.* 1. 18. & 3. 8. Atque olim *Moses* in divino suo *Cantico*, *Deuter.* 32. comsumptionem Terræ per ignem, ad imas usque radices, vividè depinxit, *ver.* 22. *Ignis accensus est irâ meâ, qui ardebit usque ad imum infernum, absumetque Terram & proventum ejus, & inflammabit fundamenta montium.* Inter *Mosem* & Sanctum *Petrum* quot interfluxère secula ? & non obstante hoc temporis intervallo, quàm benè conveniunt : quàm aptè respondent primis ultima in sacris literis ? Eodem nempe agitante spiritu, & Prophetæ & Apostoli scripserunt, & ex utriusque consensu hoc dogma de *futurâ mundi conflagratione*, in Christianam fidem adscribimus.

Patres

Patres Christianos qui in hæc & hujusmodi loca Sacrarum Literarum commentati sunt, aut aliàs hoc tractârunt argumentum, non memoro: quùm notissimum sit in eandem hanc omnes coaluisse sententiam. Solum mihi nondum occurrit eorum quisquam qui futuram Mundi conflagrationem explicatè negaverit. Causæ autem suæ diffidere videtur, aut æquitati Judicis, qui plures, quàm res postulet, accumulat testes. His itaque citandis non immoror.

CAP. IV.

De Mundi hodierni duratione & futuri incendii tempore. Calculi varii Astronomici ad examen reducuntur. Anni Magni quæ sit vera notio, exponitur.

MUndum interiturum esse, idque Igni, paucis jam vidimus. De tempore hujus conflagrationis proximè quærendum est. Fertur animus humanus cæco impetu ad investigandum futura, & quod assequi non potest suis viribus, à rebus aliis petit: fictísque quibusdam signis, quasi à numine aliquo institutis, aut incitatis, eorum motus & mutationes rerum futurarum indices constituit; Hæc sacra fames res præsciendi, tot divinationum generibus, in omni ævo & in omni gente, Græcâ, Romanâ, Barbarâ, originem dedit. Quòd si de temporibus rebúsque futuris quærendum sit, *de fine mundi* instituta quæstio, quæ aliarum omnium rationes & momenta complectitur, digna est imprimis, quam excutiamus.

Si ex intuitu & contemplatione causarum naturalium, Mundi exitum tempúsque incendii definiri posse putarem, ordo postularet, ut in finem operis rejiceretur hæc disquisitio; ut, causis priùs expositis, earumque viribus, an tandem invalescerent, & quo tempore, ad judicandum instructiores essemus. Mihi verò causas illas qualescunque animo versanti,

ſanti, cùm nullum tempus futuræ conflagrationis indè illuxerit, ſatius duxi, exonerare argumentum hâc ſui parte, quò ad cæteras tractandas paratior & expeditior accederem. Quò enim pauciora ſuperſunt in quâcunque materiâ examinanda, eò magis attentè quodlibet intueri poſſumus.

Viſum eſt nonnullis, haud licere viro Chriſtiano, de Mundi fine quæſtiones inſtituere, ac ſi nimiæ curioſitatis eſſet, & prohibitum ex illo Chriſti reſponſo ad diſcipulos ſuos, cùm hujuſmodi aliquid ſciſcitarentur. *Non eſt veſtrûm nôſſe tempora, quæ pater poſuit in ſuâ ipſius poteſtate.* Et ex illo dicto Chriſti de hac ipſâ re: *De die autem illâ*, nempe, conſummationis rerum, *vel horâ, nemo novit, neque Angeli cæleſtes, neque Filius, ſed Pater.* Nihil mihi metuo, nè nimiùm ſciam in hâc re, aut quiſquam alter, quantumlibet ſimus in exquirendo diligentes; Hæc enim occultantur adhuc maximâ ex parte, neque hanc quæſtionem aggredior eâ ſpe aut conſilio, ut eam dirimam & expediam; ſed potiùs quàm parùm profecerint alii, aut proficere poſſit mens humana in eâ dirimendâ, ut, adductis ſingulorum rationibus, oſtendam. Videamus itaque, ſi placet, varios modos, quibus mundi durationem metiri & prædicere ſolent harum rerum curioſi.

Act. 1. 7.

Mar. 13. 32.

Ex Cœlo & Aſtris, eorúmque periodis & revolutionibus, multi ſtatuunt finem mundi deprehendi poſſe. Alii ex Terrâ, ipſiúſque qualitatibus; nempè, eam pabulum fore igni, cœleſti & ſubterraneo, cùm, exhauſto humore, arida & exucca evaſerit. Alii denique ex Oraculis & Prophetiis, iiſque ſolis, Mundi obitum definiendum eſſe. His ego aſſentior, relictis cæteris. Et quoad ſecundam opinionem, quæ Stoicorum eſt, falsâ illa nititur hypotheſi; Credebant enim Stoici, Cœlum & Sydera, cùm flammeæ naturæ eſſent, vaporibus & halitibus paſci, quibus penitùs exhauſtis, fore, ut igneſceret ipſa Terra. Audiamus de hâc re *Ciceronem*; *Sunt Stellæ, ſecundum Stoicos, naturæ flammeæ, quocirca Terræ, Maris, aquarum vaporibus aluntur; his, qui à ſole, ex agris tepefactis & ex aquis excitantur: quibus altæ renovatæque Stellæ, atque omnis Æther, refundunt eodem, & rurſus trahunt indidem, nihil ut fere intereat, aut admodùm paulum, quod aſtrorum ignis, & ætheris flamma conſumat. Ex quo eventurum noſtri putant, id, de quo Panætium addubitare dicebant, ut ad extremum omnis mundus igneſceret; Cum, humore conſumpto, neque Terra ali poſſet, neque remearet aër: cujus*

De Natur. Deor. l. 2.

ortus, aquâ omni exhaustâ, esse non potest. Vides crassam Stoicorum Philosophiam, quæ dudum explosa est ; & si vera esset, rem adhuc in medio fluctuantem relinqueret; nam eadem redire deberet quæstio de hoc humore, Quando tandem, & quo tempore is consumptus foret ?

Missis igitur *Physiologis*, quos huic rei dirimendæ impares esse planè sentio, *Astronomos* & *Theologos* expendamus. Astronomorum calculi & sententiæ vel fundantur in Planetarum certis aspectibus, vel in cœlorum superiorum revolutionibus ; vel denique in *Anni Magni* periodo : quæcunque demùm illa sit ex verâ rei interpretatione. Quoad Planetarum aspectus & configurationes, uti Diluvium, quod fuit olim, universale, his causis tribuerint nonnulli : ità iisdem, diverso modo aut contrario dispositis, futurum Mundi incendium tribuendum esse sentiunt. Quoad Diluvium, ejus originem ex conjunctione Planetarum omnium, præcipuè verò *Jovis* & *Saturni*, in Capricorno, deduxit *Berosus*. Et ex eorundem futurâ conjunctione in Cancro, Mundum arsurum esse dicit. Præfinitâ igitur per calculos Astronomicos hâc conjunctione, finis Mundi unà præfinitur. Atque huic sententiæ adhærere videntur alii Astrorum & Astrologiæ cultores.

Sen. quæst. Nat. l. 3. c. 29.

Pet. Alliac. de conc. Theol. & Astrol. c. 1.

Cùm verò jam compertum sit, Planetas omnes esse corpora opaca, instar Lunæ, aut ipsius Terræ, ab eorum vi aut influxu, in quovis situ vel configuratione, nihil nobis metuendum est. Nullam actionem habent, præter illam reflectendi lumen, à Sole acceptum, & spargendi quaquaversùm per regiones aëris; Id quod facit quælibet gleba terræ, quodlibet saxum, quilibet mons. Tellus nostra est Planeta non minùs quàm Mars aut Jupiter, & in reliquorum choro circa solem fertur, agitque in alios, quantum vicissim ab ipsis patitur : neque tamen vicinis nostris, sub quolibet aspectu, diluvia aut incendia minamur. Tempus est, hos errores dicam, an superstitiones, de Planetarum virtutibus & dominiis extirpandi. Hoc olim dedit originem *Idololatriæ*, quòd *Astra* esse *Deos* finxerint, atque occultâ vi & ordine rebus humanis dominari. Dissipet has ignorantiæ nebulas clarior illa, quâ jam gaudemus, corporum cœlestium cognitio ; cúmque simus ipsi inter Stellas errantes & ex earum numero, atque similes massas non nisi similes habere virtutes, æquum sit credere : non alias in ipsis, quàm quas in Terrâ experimur esse vires, ratione duce, judicandum erit.

Præ-

Prætereà, nihil efficient ad comburendum Terram aliæ virtutes quæcunque præter ipſam vim ignis & caloris; Quam autem, miror, vim ignis extuderis ex his Planetis, quomodocunque poſitis: niſi alios in alios pellas & illidas, ut ſilices. Sunt moles torpidæ & ignavæ, neque lucis neque caloris fontes. Si propiùs ad Terram Solem admoveris, ut olim *Phaeton*, ex ipſius viciniâ periculum nobis eſſet adfuturi incendii; ſed modò hæreat fixus in ſuâ ſede ille princeps cœli noſtri, cæterorum vagam turbam non moramur. Quâ ſe facie aſpectent alii alios, aut quo nos vultu intueantur, non magis refert quoad fata noſtra, quàm quo ſitu ſint nubes cœli.

Secundò, Alii, ex Stellis fixis, earumque revolutionibus, mundi finem præſtituunt. Hoc, non minùs quàm alterum, ex ignoratione cœlorum, aut cœleſtium ſive corporum, ſive motuum, originem ducit. Rem ita explicant: Supponunt duos fixarum motus, ſive Firmamenti, cui inhærent; unum, quo, raptu primi mobilis, ut verbis eorum utar, ab Oriente in Occidentem, per integrum circulum feruntur, ſpatio viginti quatuor horarum, ſive diei naturalis; Alterum, quo feruntur in contrarias partes: ab Occidente, ſcilicet, in Orientem, motu retrogrado, ſed admodum lento; Et, cum, hoc motu retrogrado, cœlorum omnium converſiones abſolutæ fuerint, & Sydera omnia redierint ad eundem locum & poſitionem, quam in mundi exordio habuerunt, tum demum abſolvetur hic naturæ curſus, hodiernus rerum ordo finem ſuum habebit; Cœlúmque ipſum, vel quieſcet, ab omni motu vacans: vel, iiſdem motibus repetitis, renovabitur idem rerum temporúmque ordo, qui jam nuper effluxerat.

Quot hic congeruntur figmenta, & in eundem faſciculum colligantur? Primò, neuter horum motuum, neque primus, neque ſecundus, in Fixis aut Firmamento reperitur: Eaque cœlorum compages ſolida (quæ hîc ſupponitur) & fixarum omnium velut in eâdem ſuperficie hærentium, ſi ad Phyſiologiæ leges revocetur, eſt purum putum figmentum. Ætherea & fluida ſunt omnia in illis regionibus, atque Stellæ fixæ, aliæ aliis ſunt altiores, & à terris remotiores: prout in cœlo illo immenſo profundiùs immerguntur. Prætereà, ſi motum hunc retrogradum, ab occaſu in ortum, concederemus aut fingeremus: idque tam in Errantibus, quàm in Fixis, nunquam convenirent omnes in eâdem communi periodo; Mo-

tus enim illi, aut motuum periodi, adeò sunt inter se inæquales, &, ut dici solet, incommensurabiles, ut haud unquam concurrerent omnes simul, aut in eodem communi termino exirent. Denique, communis ille exitus, quem ipsi his motibus assignant, adeò longinquus est & remotus, ut in mundum nostrum, caducum & periturum, minimè quadrare possit; Huic revolutioni firmamenti dat *Ptolomæus* sex & triginta annorum millia: plura adhuc *Alphonsus:* Et, qui minimùm, *Tycho Braheus*, ultra quinque & viginti numerat. Quis autem sanæ mentis & Christianâ religione imbutus, mundum nostrum viginti aut triginti annorum millia permansurum esse credat? Ego, ne semimillennium quidem à nostro seculo. Venit jam Messiah per sesquimillennium & ultra, atque sua tempora pro noviſſimis habuerunt Apostoli: necesse est igitur, ut mundus noster jam vergat ad Vesperam.

Tertius calculus Astronomicus sumitur ab *ANNI MAGNI* periodo: quæcunque demum sit illius anni circumscriptio & vera explicatio. Scio hunc annum, à pluribus eundem censeri cum præfatis revolutionibus: sed, me judice, aliquid antiquius veriusque in se habet Annus magnus, ut seorsim tractari mereatur. Libet igitur primò referre varias mensuras & spatia hujus Anni secundum veteres: dein veram ipsius notionem, verumque fundamentum, si fortè poterimus, exponere. Notum est per Annum magnum hic non intelligi ullos Lunæ aut Solis cyclos, aliosve quoscunque qui ad Calendarium spectant: sed majorem rerum temporumque ἀποκατάστασιν, quam aliter atque aliter limitârunt Veteres. Audiamus, si placet, quos de hâc re adducit authores & sententias, *Censorinus.* *Hunc Annum Magnum Aristarchus putavit esse annorum vertentium duûm millium quadringentorum octoginta quatuor:* Aretes Dyrrachinus, *quinque millium quingentorum quinquaginta duorum:* Heraclitus & Linus, *decem millium octingentorum:* Dion, *decem millium octingentorum octoginta quatuor:* Orpheus, *centum millium viginti.* Cassandrus, *tricies sexies centum millium: Alii verò infinitum esse, nec unquam in se reverti existimârunt.* Qui plures in hâc re opiniones & sententias scire desiderat, adeat *Plutarchum, Stobæum, Ciceronem,* aliosque, quos, ne nimiùm laxetur orationis contextus, non superaddo.

cap. 18.

Ab

Ab his satis patet, parum conveniſſe inter antiquos de ſpatio aut menſurâ Anni Magni; conveniſſe tamen inter omnes de formâ & ratione generali hujus anni, nempe quod ſit quædam ἀποκατάσασις motuum cœleſtium, ſive reditus Fixarum & Errantium ad eundem ſitum & poſitionem, quam in mundi exordio habuerunt. Hoc autem malè interpretati ſunt Veteres, cum hunc ſitum renovatum aſtrorum ad fictos quoſdam cœlorum motus aut motunm evolutiones referebant. Res aliunde pendet, nec tam operoſo molimine opus eſt ad eam explicandam, ſi Theoriæ noſtræ ductum ſequamur; Eſto *Annus Magnus* reditus & reſtitutio cœlorum, ſive Fixarum & Errantium, ad eundem ſitum & poſitionem (ad nos quod ſpectant) quam habuerunt in Mundi exordio: Ex hoc ipſo non difficile erit ipſius veram notionem exponere. In ſecundo Libro hujus Theoriæ notavimus, motus cœlorum in exordio mundi fuiſſe uniformes; peractóſque ſuper unum & eundem Axem, nempe Eclipticæ: Et cùm in hunc ſitum & formam redierint iterum Cœli & Cœlorum motus, *Annus Magnus* erit, & magna ἀποκατάσασις. Dicimus autem hoc eventurum eſſe, inſtante fine mundi, vel ſub ipsâ conflagratione: Saltem ſi nos rectè Philoſophamur.

Hæc eſt noſtra *Anni Magni* explicatio; nova quidem, ſed conceptu facilis: Et fundatur in rerum naturâ, reſpondetque illi motuum cœleſtium redintegrationi, quæ per hunc Annum ſemper ſignificari ſolita eſt. Fruſtrà confugerunt alii ad neſcio quos motus retrogrados Firmamenti, & Planetarum: & ingentes calculos finxerunt ad hos metiendos; Fruſtrà inter aſtra quæritur, quod ſub pedibus jacet; Totum hoc negotium pendet à ſitu Telluris noſtræ, recto vel obliquo; Et cum Tellus reſtituetur, ad ſuum ſitum rectum, quem habuit ab initio, eo ipſo reſtituentur omnes Cœli ad motus ſuos uniformes, quales ab initio habuerunt. Dico autem Tellurem in hunc ſitum reſtitutum iri ſub incendio univerſali, atque eâ reſtitutione compleri Annum Magnum. Atq; id quidem notâſſe videtur *Beroſus* ex Beli doctrinâ (quo altiùs aſcendi vix poteſt) cum ait in Conflagratione Mundi, *Sydera, quæ nunc diverſos curſus agunt, ſic ſub eodem poſita eſſe veſtigio* aut ſemitâ, *ut recta linea exire per omnium Orbes poſſit.* Hoc eſt, ut Terra redeat ad ſuum paralleliſmum & ſitum uniformem cum Sole & Stellis fixis. *Sen. li. 3. Nat. Quæſt. c. 29.*

Plura

Plura autem indicio esse possunt, nos incidisse in veram explicationem hujus Anni; non tantum quòd cæteræ explicationes motibus fictitiis nitantur, aut motuum periodis: Sed etiam quòd enormes sint, & non adaptentur hujus Mundi curriculo. Antiqua doctrina Anni Magni, prout ex *Platone*, *Aristotele*, *Cicerone*, aliisque patet, ad notandas Mundi Cataströphas adhiberi solita est, ipsiusque renovationes sive ἀποκαταστάσεις: Et cum hoc intelligendum sit de mundo sublunari, (nam Magni Universi nemo novit fata, neque vasta, quibus coercentur, aut laxantur temporum spatia) cujus Cataströphæ sunt *Cataclysmus* & *Conflagratio*, horum intervallum metiri debet Annus Magnus: eoque finito, ἀποκατάστασις debet incipere. Cúmque harum notarum utrique respondeat explicatio nostra, diffidentibus omnibus aliis, ea pro verâ & genuinâ meritò haberi possit.

His ità expositis circa Annum Magnum, ultimò dispiciendum est, si quid periodus illa conferre poterit ad finem mundi dignoscendum. Ego quidem nihil hinc lucis oriturum esse video: & qui ex hoc anno mundi terminum investigant, ignotum per ignotius mihi quærere videntur. Licet enim aliquo modo cohæreant, cùm tamen hujus anni spatium in notis mensuris ignotum sit: quot scilicet annis communibus, quot seculis, aut quot millenniis constet, indicare non potest simplicem mundi durationem, licet eam adæquare supponatur. Quare, invitus fateor, nos hactenùs mulsisse silices, quod aiunt: nihil exprimere potuisse ex his rationibus Physicis aut Astronomicis ad indagandum tempus excidii mundani. Ad Oracula & rationes Propheticas jam accedendum esset: sed ne nimium excresceret hoc Caput, ea potiùs seorsim in sequenti tractabimus.

CAP.

CAP. V.

De calculis Propheticis, cujuſcunque ordinis : Exoticis aut Sacris : iiſq; Hebræis aut Chriſtianis. Ex his nihil præcisè definiri poſſe, quoad Mundi exitum.

ANguſti ſunt limites intellectûs humani, Latiſſima autem voluntas & deſiderium ſciendi; Neſcimus quid Veſper vexerit, quid dies craſtinus: cupimus tamen avidis oculis uſque ad finem mundi proſpicere. Cùm verò neque à Terrâ, neque ab Aſtris : neque à Phyſiologiâ, neque ab Aſtronomiâ, ut jam vidimus ex præcedente capite : neque ullis modis naturalibus, hanc ſcientiam aſſequi liceat, ultimo loco ad vaticinia & Oracula confugiendum eſt ; ut ea, quæ nobis Natura negavit, benigniori numinis afflatu addiſcamus.

Calculi Prophetici de fine Mundi, ſunt vel *Exotici*, vel *Sacri*. Exoticos appello, qui inter Gentes reperiuntur : quales ſunt Sibyllini ; Sacros, qui inter Judæos aut Chriſtianos; Oracula Sibyllina, ut inde exordiar, non multum apud me authoritatis habent aut ponderis : ea ſcilicet, quæ jam ſuperſunt, atque omnium manibus verſantur. Non quod ſenſu vacua aut futilia eſſe exiſtimem, ſed alia prorſus, tam ab antiquis Sibyllinis, quæ Romani Imperii mundique fata cecinerunt : quàm à ſecundis Sibyllinis : quæ, licet alterius eſſent & ſequioris originis, natales Meſſiæ præceſſiſſe videantur. Hæc autem, ex quo compoſita fuerunt, diverſis modis interpolata aut reficta, adeò faciem mutarunt, ut jam pro tertiis Sibyllinis haberi poſſint. Decurſum & durationem mundi diſtribuiſſe videntur in decem ætates, atque decimam illam ſive ultimam pro fœliciſſimâ habuiſſe, & quâdam *aureâ redivivâ*. Eſto : Cùm autem harum ætatum nullam certis notiſque menſuris incluſerint aut definierint, quî poteſt dignoſci, in quotâ earum jam verſemur : quando ſimus ultimam ingreſſuri : & fintne omnes inter ſe æquales necne ? His autem ignotis, iſtorum temporum exitum, totamque ſeriem, neceſſe eſt, ignoremus. Præ-

Prætereà, nonnulli ætatem decimam de temporibus Meſſiæ interpretantur; & cùm jam effluxerint ſupra mille pluſquam ſexcenti anni, ex quo venit Meſſiah, necdum finita ſit illa ætas, neque illius modum, neque præcedentium, definire licet; ut enim huic pares eſſent præcedentes ætates, non patitur mundi noſtri Chronologia: & ſi inæquales ſint, de ſummâ conſtare non poteſt. Ego quidem per ætatem decimam Sibyllarum, *Millennium Beatum* intelligo: Cum *magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo*, atque mundi primævi & priſtinorum temporum renovabitur facies; De quâ re in ſequenti Libro. Utcunque ex hâc aut illâ interpretatione, manet adhuc incertus & indefinitus mundi perituri computus.

Quoad prophetias Hebraicas, excidit illa *Henochi*, cujus
V. 14, 15. meminit *Judas Apoſtolus*, quæque, ex ibidem dictis, ad mundi excidium pertigiſſe videtur. Inter reliquas, celebris eſt, ſed minoris, quàm altera, authoritatis, illa *Eliæ*, de *ſex Millenniis*, quibus mundi curſum metitur. Idque eo ordine & diſtributione, ut ex his millenniis ſint Duo millia, *Inane*: Duo millia, *Lex*: Duo millia, *Dies Meſſiæ*: Ita enim efferri ſolet Traditio domûs *Eliæ*, ſive illud oraculum Judaicum, שני יתיהו אלפים שני אלפים תורה שני אלפים ימות המשיח per *Inane* autem intelligunt tempus ante Legem: cætera ſunt clara & ſatis nota.

Whiſton's sacred cosmol. p. 167.

Cum verò hæc dicitur Traditio Domûs *Eliæ*, non intelligo *Eliam Thesbitem*, ſed Doctorem Rabbinicum: ita tamen ut hoc nihil detrahat authoritati hujus Vaticinii; quod in hâc Scholâ *Eliæ* Rabbini, non prolatum primò aut excuſum, ſed conſervatum eſſe ſuppono. Et ſi tempore *Judæ Apoſtoli* ſuperfuerint traditiones inter Judæos ab *Enocho* uſque deductæ, quid mirum, ſi tempore hujus *Eliæ*, qui vixiſſe fertur ducentis annis ante natum Chriſtum, reſtarent ab Eliâ Thesbite derivata dicta vel Oracula; cum is vixerit poſterior Enocho per multa ſecula, ideoque ex utraque parte minus eſſet intervallum. Utcunque, conſtat, ab antiquiſſimis Eccleſiæ Chriſtianæ patribus celebratam fuiſſe & probatam hanc computationem de *Sex millenniis* temporis mundani; non tam, opinor, propter ipſius traditionis authoritatem, quàm quòd eam in *Hexamero*, in ratione *Sabbathi*, aliiſque præfigurationibus typicis fundari crediderint. Ex his teſtimoniis, ut fidem rei faciamus, operæ pretium erit unum atque alterum in medium proferre.

Sanctus

Sanctus *Barnabas* in Epistolâ suâ Catholicâ hunc computum sex-millennem asserit probatque, *cap.* 15. de *Sabbatho.* Ubi, cùm verba *Mosis* de Sex diebus quibus Deus consummavit cœlum & terram, & de Septimo die quo requievit, repetiisset, subdit, προσέχετε, τέκνα, τὶ λέγει, τὸ συνετέλησεν ἐν ἓξ ἡμέραις· τοῦτο λέγει, ὅτι συντελεῖ ὁ θεὸς κύριος ἐν ἑξακισχιλίοις ἔτεσι τὰ πάντα, ἡ γὰρ ἡμέρα παρ' αὐτῷ χίλια ἔτη· αὐτὸς δὲ μαρτυρεῖ, λέγων, ἰδοὺ σήμερον ἡμέρα ἔσται ὡς χίλια ἔτη· ὁκοῦν ἰστέον, τέκνα, ἐν ἓξ ἡμέραις, ἐν τοῖς ἑξακισχιλίοις ἔτεσι συντελεσθήσεται τὰ πάντα. *Attendite, Filii, quid dicit, consummavit in sex diebus; Hoc dicit, quia consummabit Dominus Deus omnia in sex millibus annorum. Dies enim, apud illum, mille anni sunt. Ipse hujus rei testis est, dicens, ecce hodiernus dies erit tanquam mille anni. Unde scire debetis, Filii, in sex diebus, id est,* Ps 89. *in sex millibus annorum consummabuntur omnia.*

Hunc Apostolum sequitur *Irenæus*, & quoad rem & rationem rei, his verbis: *Quotquot enim diebus hic factus est mundus,* Li.5. c.28 *tot & millenis annis consummatur. Et propter hoc ait Scriptura Geneseos, & consummata sunt cœlum & terra & omnis ornatus eorum. Et consummavit Deus in die sexto omnia opera sua, quæ fecit, & requievit in die septimo ab omnibus operibus suis, quæ fecit. Hoc est & antefactorum narratio, quemadmodum facta sunt: & futurorum prophetia. Si enim dies Domini quasi mille anni: in* Ps. 90. 4. *sex autem diebus consummata sunt quæ facta sunt: manifestum est, quoniam consummatio ipsorum sextus millesimus annus est.* Et in suæ Sententiæ complementum interpretatur *Sabbathum* de Beato millennio, *cap.* 30. ubi de adventu Domini loquens, ait, *Adducens justis Regni tempora: hoc est, requietionem, septimam diem sanctificatam.* Denique, *Diluvium ignis* mundo superventurum esse ait, propter *sex millium* annorum peccata. cap.29.ult.

Eodem modo arguit, & ejusdem rei testis est *Lactantius* in suis *Institutionibus*, cap. 14. l. 7. his verbis: *Sciant igitur Philosophi, qui ab exordio Mundi seculorum millia enumerant, nondum sextum millesimum annum esse conclusum: quo numero expleto, consummationem fieri necesse est, & humanarum rerum statum in melius reformari. Cujus rei argumentum priùs est enarrandum, quo ratio elucescat. Mundum Deus, & hoc rerum naturæ mirabile opus (sicut arcanis Sacræ Scripturæ continetur) sex dierum spatio consummavit, diemque Septimum, quo ab operibus suis requieverat, sanxit.—Ergo quoniam sex diebus cuncta Dei opera perfecta sunt, per secula sex, id est, annorum sex millia, manere in hoc Statu mun-*

dum necesse est. Dies enim magnus Dei mille annorum circulo terminatur; sicut indicat Propheta, qui dicit, Ante oculos tuos, Domine, mille anni, tanquam dies unus. Et rursus; *quoniam perfectis operibus requievit, die Septimo, eumque benedixit; necesse est ut in fine sexti millesimi anni malitia omnis aboleatur è terrâ, & regnet per annos mille justitia: sitque tranquillitas & requies à laboribus, quos Mundus jam diù perpessus est.*

Hunc computum mysticum sequitur etiam Sanctus *Cyprianus*, & primos septem dies in dispositione divinâ septem annorum millia inclusisse dicit. Verba ipsius hæc sunt: *Quid verò in Maccabæis septem fratres, & natalium pariter & virtutum sorte consimiles, septenarium numerum sacramento perfectæ consummationis implentes: sic septem fratres in martyrio cohærentes, ut primi in dispositione divinâ septem dies annorum septem millia continentes.* Et ad eundem calculum sexmillennem manifestò respicit in præfatione ad hunc tractatum, ubi Antichristi & consummationis rerum meminit.

Exhort. ad Mart. c. 11.

His addamus, si placet, *Hieronymum: Qui, in Epistolari expositione Psalmi* octogesimi noni, ad *Cyprianum*, eandem tuetur sententiam, his verbis: *Ergo arbitror ex hoc loco & ex Epistolâ, quæ nomine Petri inscribitur, mille annos pro uno die solitos appellari: ut scilicet, quia mundus in sex diebus fabricatus, sex millibus tantum annorum credatur subsistere, & posteà venire septenarium numerum, in quo verus exercetur Sabbatismus.* Ad eandem sententiam respicit in suo *Commentario* ad quartum Caput *Micheæ*: cum sexti millennii horam novissimam, tempus esse ait *fidei Gentium.* Denique Sanctus *Augustinus*, etsi opinionem millennii aliquo modo repudiet, tamen computum sexmillennem pro duratione mundi, amplectitur: unde *Mille Annos Apocalypticos* de sexto millennio intelligit, quod tunc effluere credebat, & in septimo Sabbathum ponit, his verbis: *Ista res agitur in sexto annorum milliario, tanquam sexto die, cujus nunc spatia posteriora volvuntur: secuturo deinde Sabbatho, quod non habet vesperam: Requie scilicet sanctorum, quæ non habet finem.* Plures authores non addam, ne nimius sim; sed inter Orthodoxos obtinuisse hanc sententiam constare videtur ex authore *Responsionum* ad *Orthodoxos* apud *Justinum*, cum *Quæstioni Septuagesimæ primæ*, de hâc re institutæ, ità respondet, Ἔνεστι διὰ πολλῶν γραφικῶν φωνῶν τεκμαίρεσθαι, ἀληθεύειν τοὺς λέγοντας ἑξακισχίλια ἔτη ἔτι τὸν χρόνον τῆς παρούσης τοῦ κόσμου συστάσεως. *Ex multis Scripturæ*

Epist. 139.

De C. Dei l. 20. c. 7.

turæ locis licet conjicere, eos non aberrare qui dicunt ſexies mille annorum præſentis mundanæ compagis ætatem fore. Juxta dictum *Gregorii Magni, ſex diebus mundus conditus eſt, ſex ætatibus conſummatur.* In cap. 9. l. 1. Reg. ver. 1. edit. 1540.

Hæc de Judæis & Chriſtianis; ſed ad Gentes etiam manâſſe videtur hæc Prophetia, aut traditio, aut doctrina myſtica: idque ex eâdem ratione *Hexameri* & *Sabbathi.* Citari ſolet verſus *Orphei* de fine mundi, in ſextâ, ut ait, generatione: Ἕκτῃ δ' ἐν γενεῇ καταπαύσεις κόσμον ἀοιδῆς. *Suidas* author eſt, (voce τυῤῥηνία,) ſapientem Tyrrhenum docuiſſe, Mundum permanſurum eſſe ſex millennia, & conditum fuiſſe in ſex millenniis. Ubi dies Moſaicos, qui typi erant futurorum millenniorum, in millennia etiam convertit. *Clemens Alexandrinus* notat Diem ſeptimam ſacram fuiſſe tàm Græcis quàm Judæis, ob mundanam revolutionem. Τὴν ἑβδόμην ἱερὰν ἀ μόνον οἱ Ἑβραῖοι, ἀλλὰ καὶ οἱ Ἕλληνες ἴσασι. καθ' ἣν ὁ πᾶς κόσμος κυκλεῖται ζωογονημάτων καὶ φυομένων ἁπάντων. *Septimum diem eſſe ſacrum non ſolum ſciunt Hebræi, ſed etiam Græci; ſecundum quem ſit totius mundi revolutio, rebus cunctis naſcentibus & ad vitam reductis.* Eodem modo *Septenarium* τιμᾶσθαι παρὰ τοῖς δοκιμωτάτοις ἑλλήνων καὶ βαρβάρων, ait *Philo Judæus.* Denique, nullam video rationem ſolidam cur numerum ſeptenarium tanti fecerint Antiqui, & pro *ſacro* habuerint, niſi ad mundanæ revolutionis Myſterium referatur: Sabbatum enim ſeptem dierum contempſerunt Ethnici. Sed de his ſatis. Strom. 5. De mund opif.

Vides hanc doctrinam de ſex-millenni mundi termino latè ſparſam fuiſſe: Et præter vim ipſius traditionis, antiquiſſimæ & ferè univerſalis, multùm ei authoritatis conciliâſſe Patres Chriſtianos; cum illi, paritèr ac Judæi, in *Hexamero* & *Sabbatho* fundari eam ſtatuerint. Rem hoc ferè modo deducunt; Conſtat, Sabbathum typicè denotare *Sabbatiſmum,* qui Dei populo reſervatur in fine mundi: cui conſequens & conforme eſt, ut *Hexameron,* ſive ſex dies præcedentes Sabbathum, mundi decurſum atq; integrum ſpatium denotent; Quare ſi deprehendi poſſit quantum temporis intervallum reſpondeat *Diei,* hîc myſticè ſumpto, facili additione conſtaret de ſummâ temporis mundani; Hunc autem Dei valorem myſticum eliciunt Patres ex dicto Prophetico, *Pſal.* 90. 4. Et ex *Apoſtolico,* 2 *Pet.* 3. 8. *Dies unus apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies unus.* Unde ſex diebus, juxta Heb. 4. Vid. ſeq. c. 5.

hanc interpretationem, respondent sex millennia, quæ mundi spatium comprehendere debent.

Fatendum est has rationes, aptas licet, & concinnas suo modo, non tamen esse irrefragabiles; sed pariter fatendum est, in Prophetiis nondum completis rarò tales reperiri. Quòd *Sabbathum* nobis indicet *Sabbatismum*, ut dubitare non possim, facit Commentarius *Pauli* ad *Hebræos*; sed *Dierum* interpretatio minùs mihi certa videtur; eò tamen allusisse dictos authores sacros, ex amborum consensu & conspiratione in eâdem *Diei* interpretatione, faciliùs creditur. Utcunque, si pro hypothesi sumatur hic calculus Sex millennis, nihil video, aut in naturâ externâ, aut in rebus humanis, aut denique in Sacris Literis, quod ei opponi aut refragari possit.

Succedunt ultimò Vaticinia Christiana: Quorum multa in Apocalypsi Sancti *Johannis* ad mundi finem pertingunt: sed historicè, ut ità dicam, non chronologicé. Nullus enim datur calculus prophetico-chronologicus in monumentis Christianis, qui, ex communi interpretatione, ad mundi conflagrationem extenditur. *Sigilla*, *Tubæ*, *Phialæ*, aliaque Apocalyptica, pertingunt quidem ad finem mundi, sed nullam habent adjunctam temporis notam aut mensuram, quâ id spatium metiri liceat. Alia quidem chronologiam suam secum gerunt, & temporis intervallum, quod occupant, aut apertè aut propheticè exprimunt, ut *Calcatio Sanctæ Civitatis*, per *quadraginta duos menses*, Apoc. 11. 2. *Testes* obluctantes Antichristo, *Diebus mille ducentis sexaginta*, Apoc. 11. 3. *Fuga mulieris in Desertum*, per totidem dies, sive per *Tempus & Tempora & dimidium Temporis*, Apoc. 12. 6. & 14. Denique *Bestiæ adversus Sanctos Bellum*, itidem per menses quadraginta duos, *Apoc.* 13. 5. Hæc, ut vides, tempus exprimunt, sive temporis intervallum, quod occupant; Idque, ni fallor, in his omnibus æquale est, si non prorsus idem. Hæc autem Vaticinia ad supremum mundi exitum haud pertingere creduntur: aut si eò pertingant, vel proximè accedant, tamen propter ignotum aut indefinitum cujusque principium, ignoratur etiam finis: licet de spatio temporis intermedii constet. Ità ignoto tempore ortûs *Bestiæ Apocalypticæ*, ignoratur etiam tempus ipsius interitûs: licet annorum imperii sui summam habeamus. Et sic de reliquis. Quare hæc vaticinia non nisi hypotheticè mundi terminum aut appetentem finem subindicant:

ſubindicant: atque illas hypotheſes, de *ortu Antichriſti* ſcilicet, de *prædicatione Teſtium*, cæteraſque, ſi hîc examinarem, plane nimius eſſem, & prolixî digreſſione importunus. His igitur ſuperſedeo. Et cum hujuſmodi ſint omnia Oracula Chriſtiana, quæ finem mundi reſpiciunt, ut ex iis nihil concludi poſſit ſine ratiociniis quibuſdam & argumentorum catenis, quibus hoc loco non eſt immorandum, de his, aliiſque id genûs prophetiis quibuſcunque, hæc dixiſſe ſufficiat.

Superſunt tantùm ſigna quædam examinanda, ſi fortè ab illis quæſitum mundi terminum deſignare liceat. Signa autem adventûs Chriſti & excidii mundani diſtingui ſolent in proxima & remota. Pro remotioribus habentur *Prædicatio Evangelii* per totum terrarum orbem, & *converſio Judæorum* ad fidem Chriſtianam. Quoad primum, aut dudùm facta eſt illa prædicatio, aut nondum facta eſt: Et utrovis horum ſuppoſito, nequit hodiè definiri, ex hoc ſigno, quando futurus ſit mundi exitus. Quoad converſionem autem Judæorum, cum ea nondùm facta ſit, ad hunc computum nihil conferre poteſt. Adventus *Antichriſti* & *Eliæ* ab aliis numerantur inter hæc ſigna; ſed cùm mihi perſuaſiſſimum ſit, aut dudùm veniſſe Antichriſtum, aut Apocalypſin Sancti *Johannis* eſſe Librum inexplicabilem, ab indiciis ingruentis occaſûs Antichriſti potiùs ſumenda ſunt indicia de fine mundi, quàm à futuro ipſius adventu. Et quoad *Eliam*, modò veniat, non erit utcunque adventus ipſius μετὰ παρατηρήσεως, cum obſervatione & pompâ: non geret nomen aut habitum *Eliæ*, nec ſe eundem eſſe dicet qui Ignem olim cœlo deduxit, vivuſque aſcendit in cœlum igneo curru; nec ſe tandem rediiſſe toti mundo ignem allaturum. Aderit forſan Chriſti aliquis præcurſor cœleſtis, qui doctrinam Chriſtianam novo jubare illuminans, diſſipabit minuta illa diſcrimina quæ Chriſtianos alios ab aliis diſtrahunt, & in partes ſecant: ut, unitis omnibus Chriſti fidelibus, cæteri Antichriſtiani gregis in pabulum ultricis flammæ cedant. Sed hæc nondum evenêre. Denique, Signa propiora vel proxima perituri mundi ſunt illi motus & tumultus naturæ, laborantis & quaſi in extremis agentis; ut *motus Terræ*, *fremitus maris*, *coruſcationes ætheris*, *Syderum obſcurationes*, & hujuſmodi, quæ futura memorant Sacræ Literæ ante mundi occaſum. Hæc ſeorſim ſunt explicanda alio loco, ubi agitur de cauſis Incendii, quod præce-

Mic. 4. 5, 6.

dent

dent proximè hæc prodigia tanquam præcones : atque mundum jam jam ruiturum altâ voce clamabunt.

Hæc de Vaticiniis aut Signis, quibus judicium ferri ſolet de futurâ mundi ætate. Sed quantulum eſt, quod ex his erui poteſt ? Progrediente tempore plura docebimur ; eò enim clariora ſunt, quo completioni propiora, Vaticinia ; utpote quorum lux exoritur inſtar Solis, ſemper præeunte crepuſculo. Nunquam verò mundi finem aut Chriſti adventum licebit prædicere inſtar Eclipſis, ad minuta & ſemiminuta : *Horam* illam, aut *diem*, aut *annum*, nemo novit ; atque eo, quo nos ſumus, tempore, Qui ultra ſeculum non erraverit, probè ſubduxit calculos. Quod ſi viderimus ruere, aut imbelle fieri, intra paucos annos, Imperium Ottomanicum, (Væ ſecundum Apocalypſeos) &, eodem tempore, aut citiùs reſurgere Teſtes : auferetur Velum Prophetiæ Apocalypticæ. Et in quâ, aut quotâ ipſius parte jam verſemur : Quid, quantumque peragendum ſuperſit, apertè & quaſi facie ad faciem intuebimur.

Apoc. 11. 24.

CAP. VI.

Ingreſſus ad explicandas Cauſas Conflagrationis. Nodus argumenti proponitur, & expeditur primùm modo generali. Cauſæ ſuppoſititiæ Incendii removentur : Quales ſunt Appropinquatio Solis ad Terram, & Ignis Centralis eruptio.

ÆQuis lentiſque paſſibus propè ad argumenti culmen jam delati ſumus : Hîc ſummam materiam capeſſimus, & ingredimur ad explicandum cauſas & modos futuræ Conflagrationis Cœli & Terræ, quantum viribus noſtris id aſſequi licuerit. In hâc parte argumenti, difficillimâ & maximè operoſâ, penitùs ſiluerunt antiqui ; Mundum exuſtum iri tandem, atque vi ignis periturum eſſe aſſeruerunt plurimi : ſed ex antiquâ famâ & traditione, non ex vivis rationibus.

tionibus. Sed quid dico Authores *antiqui*: neque recentiores aut hodierni hoc ſibi penſi dederunt, ut exquirerent diligentèr, ſitne *poſſibile* vel *impoſſibile* ut hæc rerum compages igne diſſolvatur: Et, ut fieri poſſit, vel non poſſit, ex quibus id pendeat. Hæc tamen, opus eſt, ut diſcutiantur; non ut monſtremus hujus incendii cauſas neceſſarias, quæ ſuâ ſponte & à ſeipſis determinatæ hoc efficerent: Neque enim ſuppetunt in naturâ tales cauſæ; ſed ut modum oſtendamus, quo vires, quæ in naturâ latent, cùm Deo placuerit, excitatæ, Terram, ipſiuſque opera, invaleſcente igne, obruere, diſſolvere, liquefacere poterunt.

Ut hoc examini ſubjiciatur, proponendus eſt nodus Quæſtionis: qui, ni fallor, in eo ſitus eſt, Quòd non tantùm deſint cauſæ tantæ conflagrationis, ſed etiam eidem obſtare videatur hodierna rerum natura & conſtitutio: cùm tantillum ſit materiæ igneæ, atque tantum aqueæ, in his Cœlis & in hâc Terrâ. Oceanus occupat dimidiam Terræ ſuperficiem: Latus & profundus aquarum theſaurus. Fluvii ubique ſparguntur per terrarum orbem: quorum nonnulli, inſtar fretorum ſunt, magnitudine: atque omnes ſimul collecti immanem vim aquarum continent. Denique, in locis ſubterraneis & cavitatibus terræ ſunt ingentia aquarum receptacula. Quæ omnia, ſi unà conferas, cum tam parum ſit ignis conſpicui in elementis noſtris, ſatis eſſe videantur ad tuendum hunc globum ab incendio.

Prætereà, in terrâ ipſâ, ſive parte aridâ hujus globi, multa ſunt corpora, multùm materiæ, quæ ad incendium nihil conferet: multùm, quæ flammis progredientibus reſiſtet. Non omne ſolum ignis pabulum eſt: Varia ſunt terrarum genera, lutoſa, cretacea, aliaque, quæ non ardent. Saxa prætereà, Scopuli, & montes lapidoſi, tanquam propugnacula mundi noſtri, ingruentem hoſtem ſiſtent & repellent. Denique, ſi regiones calidas & temperatas corripiet & vaſtabit ignis, opem ferente inimico Sole: utcunque regiones quæ jacent extra Solis vias, Zonæ frigidæ & terræ circumpolares incolumes erunt; ubi gelu perpetuum, & æternæ nives, & venti frigidiſſimi, nihil illis metuendum eſſe videtur, ne igneſcant. Hæc omnia expendentibus, difficile erit extorquere fidem, quoad futuram orbis terrarum conflagrationem.

Eſt

Est dignus vindice nodus, ut Deus intersit. Ut, quod ipse molitus est opus, non sine ipsius numine pereat : neque ruat ad interitum suâ sponte natura, sed ipso jubente : Cúmque Deo visum fuerit, ut accedant dispositiones illæ ad igneſcendum, quarum capax est Terra, non tam à fide aut ratione aliena videbitur ipsius conflagratio. Hodiè autem si admotus esset ignis ad corpus Telluris in mille simul locis, parum aut nihil efficeret ; oportet enim ut præparetur materia in futuri ignis fomitem, & causis præviis ad concipiendas flammas disponatur. Quare fieri vix potest, ut, hoc loco, expediatur hic nodus omni ex parte : donec adductis & expositis singulis causis, quæ ad hoc incendium generale concurrent, quam partem aget quæque, & quo ordine, viderimus. Intereà quoad illam aquarum copiam, quâ orbem nostrum contra vim ignis satis muniri creditur, supponunt omnes, tàm Philosophi quàm Theologi, Squalorem & siccitatem immodicam præcedere debere hanc conflagrationem ; sistentur imbres Cœli, arescent fontes & flumina, exiccabitur Terra, omni humore exhausto ; Hæc erunt *initia* malorum, atque hæc fieri posse nemo non concedet. Dein quoad aquas subterraneas, subsident in ima barathra, procul à superficie Telluris. Sed quoad Oceanum, quo modo, & quibus gradibus, absumetur : deficcatis primùm sinibus & fretis, aut in stagna conversis : dein magno ipsius corpore variè mutato & imminuto, nimis operosum esset hîc enarrare ; Hoc itaque seorsim in sequentibus explicabitur. Cap. 9.

Deinde quoad partem non-aqueam Telluris, quæ *Arida* dicitur, ipsiusque Supellectilem, Hæc parùm obstarent igni, sed eundem potiùs progredientem pascerent & propagarent. Sylvæ, Frutices, Segetes, Prata : dein ædes, pagi, oppida, urbes, longa præeunte siccitate, facilè ignem concipiunt & consumuntur. Et quoad ipsum corpus Terræ, notandum est, omnem materiam terrestrem, aliquâ ratione, ignis viribus subjici : incalescere, ardere suo modo, & contigua accendere ; Aliam autem esse proprium ignis fomentum, aliam non ; Quod admoto igne accenditur, ignemque conceptum retinet fovetque usque ad sui consumptionem, id propriè dicitur pabulum aut fomentum ignis ; sive in flammas erumpat, sive tacitè ardeat. Hujusmodi pabula sunt, pinguia omnia, sive fumi halituſque sint, sive liquores, sive corpora solida :

ut

ut multæ terrarum & rerum foſſilium Species. Dein Lignea omnia, Herbacea & Graminea, cùm exiccantur. Denique nitroſa, aliaque, cùm debitâ miſtione temperantur. Cætera autem, quæ non ſunt propriè ignis fomentum, quòd ſibi permiſſa refrigeſcant, neque accenſa ſe conſumant, ut lapides & ſaxa, metalla omnia, & quædam mineralium & terrarum genera: Hæc inquam, calorem nihilominus recipiunt retinentque: ac ubi penitùs ignita fuerint, omnium vehementiſſimè urunt. Ita fuſis metallis quid ardentius? quid fortiùs urit aut graviùs? Et mineralia paritèr, quæ funduntur, vehementer igneſcunt. Quoad ſaxa autem & lapides, vi ignis tranſmutantur in calcem & in materiam fuſilem & metallicam, unde fuſorum metallorum inſtar, ſæviunt. Denique quoad terrarum genera, quæ ignem non concipiunt, ut lutum, argilla, aliáque, igne tamen convertuntur, aut in lateres, aut in formam aliam lapideam: unde fiunt tandem fuſilia inſtar cæterorum lapidum, & parem vim habent urendi & conflagrandi.

Vides igitur nullam eſſe materiam noſtri Orbis, præter aquam, quæ non poſſit, ſuo modo, igneſcere; atque ipſa aqua marina, ut dicunt, ſi vincatur ab igne, eundem auget intenditque. Quoad verò regiones circumpolares, ſuo ſitu inacceſſas igni, gelidâque & diuturnâ hyeme contra omnes ipſius impetus armatas: Notandum eſt, cùm partes Terræ habitabiles vaſtatæ fuerint, & extinctum genus humanum, in cæteris lentior eſſe poſſit progreſſus flammarum: Quarum irruptio maximè ſubitanea & vis maximè indomita fuiſſet quoad orbem Chriſtianum; Quod verò, reditu hyemis diuturnæ verſus polos, incœptum æſtum extingui debere velint, id locum non habet ex noſtrâ hypotheſi: quoniam, flagrante mundo, mutabitur Situs Telluris: eoque mutato, nulla erit viciſſitudo hyemis & æſtatis. Denique ut verbo dicam, cum tantus fuerit totius Atmoſphæræ fervor, omnis regio erit *Zona torrida:* Ventique, tàm in ductibus ſubterraneis, quàm in aperto aëre, in omnes partes, ſubter & ſupra terram, flammas cum impetu cogent & impellent.

Ab his paucis conſtare videtur, hodiernam naturam ignis viribus ſuccumbere poſſe, modò præviis diſpoſitionibus apparetur. Atque hinc mihi rectà pergendum eſſet ad explicandum rationes & modos illius incendii, niſi à re noſtrâ eſſe ducerem,

cauſas ſuppoſititias primùm amoliri : ut iis remotis, in reliquis minus ſit errandi periculum. Futuri autem incendii duæ cauſæ graviſſimæ & potentiſſimæ à nonnullis exhibentur, ſcilicet, Solis ad Terram *Appropinquatio :* atque *Ignis*, qui eſt in centro Terræ, *Eruptio.* En cauſas maximarum virium & momentorum : quæ, ſi centies major eſſet Tellus, facilè efficerent, ut, intus & in cute, tota excandeſceret & igneſceret. Brevi conficiunt rem ſuam qui his ſubſidiis ac inſtrumentis utuntur. Viderer mihi nimiùm favere argumento, vel proprio parcere labori, ſi nullas alias futuræ conflagrationis cauſas exquirerem. Licet enim, & Solem & ignem Centralem, aliquas partes in hoc opere habituros eſſe cenſeam, non tamen propterea oportebit eos excutere ſuis ſedibus, aut ordinem Univerſi perturbare.

Hæc prima hypotheſis reſpondet fabulæ *Phaëtontis*, Qui, cùm ſolis equos ignivomos malè regeret, ex nimi ad terras declinatione incendium invexit. Facit etiam ut reminiſcar *Eudoxi*, nobilis Philoſophi & Aſtronomi, qui ex nimio in Solem amore & admiratione, optabat, ut in ipſius viciniâ contemplabundus moreretur. Verba *Plutarchi* opponam, cùm non indigna ſint memoriâ : Εὐδόξῳ ἢ ἤυχετο, παραστὰς τῷ Ἡλίῳ, καὶ καταμαθὼν τὸ σχῆμα τοῦ ἄστρου, καὶ τὸ μέγεθος, καὶ τὸ ἴδιον, ὡς ὁ Φαέθων, ἐκλαμπρυνῆναι. *Eudoxus, Phaëtontis modo, comburi vovit, eâ lege, ut ante liceret propiùs ad ſolem aſtanti, figuram & magnitudinem formamque Aſtri perdiſcere.* Ità morientur homines noviſſimi, ex hâc ſententi : Telluſque noſtra, inſtar Pyrauſtæ, ex amore lucis & ignis, Solem propiùs propiúſque circumvolitans, tandem correpta, exuretur. Sed miſſis Poëtarum fabulis, & Philoſophorum votis, quid Natura ipſa doceat, videamus.

An ſuaviter vivi poſſit ſec. Epic.

Solem, jure Stellæ fixæ, immobilem hærere in ſuâ ſede, nemo jam neſcit ; Et ſi propiùs accedunt Sol & Terra, progreſſus & loci mutatio fit ex parte Terræ, non Solis ; Sed cum tantundem ſit viæ ab utrovis termino ad utrumlibet, perinde eſt, ſive hunc, ſive alterum admoveris, modò diminuatur diſtantia ; Illud igitur unicè quærendum eſt, Quo calculo, aut qua ratione conſtat diminutum eſſe intervallum Solis & Terræ : aut diminuendum eſſe ante finem mundi. Diſpares ſunt ſententiæ *Ptolomæi, Albategnii, Copernici, Tychonis, Kepleri*, & aliorum, de Solis & Terræ diſtantiâ : Neque pro diſparibus, quibus vixerunt, ſeculis, Solem magis magíſque ad

ad Terram inclinâſſe, ex eorum calculis conſtat: Quùm recentiores Aſtronomi, atque hujus ipſius ſeculi, Solem à Terrâ remotiorem ſtatuant, quàm Ptolomæus; ideoque ſpem faciunt nos liberatum iri ab incendio, quod à Sole appropinquante metuendum eſſet. *Keplerus*, in *Commentariis Martis*, ait, *Non eſt Sol vicinior* 230 *Semidiametris Terræ, non tamen infinitis abeſt: at inter* 700 *&* 2000. *nondùm videtur certus aliquis numerus demonſtratus.* Ad quæ verba, ità *Riccioius*; *Quid ais, Keplere? inter* 700 *&* 2000. *Ego verò aio, ne inter* 700 *quidem &* 7000. *imò, nec fortè inter* 15000. Et reverà *Gottefridus Vendelinus* poſuit, pro diſtantiâ Solis mediâ à centro Terræ, Semidiametros Terræ 14656. Quin ipſe *Keplerus* alibi, ut teſtatur *P. Gaſſendus*, ſuum numerum ferè ad 14000 evexit. Vides igitur quàm parùm fidendum ſit his calculis, aut ſuppoſitæ Solis ad Terram, vel Terræ ad Solem appropinquationi.

Almag. l. 3. cap. 7.

Phyſ. ſec. 2. l. 2. c. 4.

Si Tellus propior eſſet Soli, minor eſſet ipſius orbita: minor anni circulus, & ſpatium temporis annui; niſi ipſiſſimâ eâdem proportione quâ decreſcit ipſius orbita, retardatum motum ſupponas; quod tamen vix fieri poteſt ſine retardatione factâ in revolutione ſuâ diurnâ, qualem nullum percipimus. Præterea, quantum accedimus ad Solem, tantum recedimus à Marte: cæteriſque ſuperioribus Planetis; Quis autem hoc intervallum dilatatum ſenſit? aut nos propiores eſſe, ex alterâ parte, Veneri & Mercurio, Planetis intermediis nos inter & Solem. Denique, ut hoc expediam, Hic modus inflammandi & comburendi Terram per admotionem ad Solem, futuræ mundi renovationi haud congruit. Quid enim Tellurem poſteà ex hâc viciniâ Solis retraheret? Et ſi maneret ibidem, magis magiſque indies ambuſta, aut ingens acervus cinerum, aut Globus vitreus, in Cœlo perpetuùm volutaret. Nos autem *Novam Terram, novoſque Cœlos expectamus, ſecundum promiſſum Domini*: Neque aliis cauſis periturum eſſe hunc mundum, quàm quæ, ut reviviſcat, facilè patientur.

Altera cauſa incendii mundani, *ex eruptione Ignis Centralis*, non magis mihi placet; Latere in medio Telluris ignis theſaurum, atque molem maximam, facilè credo; Hoc ſignificabat, apud *Romanos*, *Ignis Veſtalis*: Apud Græcos, *Prytaneia*: Apud Perſas, ſua *Pyrethria*; Doctrina etiam Vetuſtiſſima de *Ovo mundano*, Ignem pro vitello in centro ponit. Hunc autem

p. h. l. 34

tem Ignem erupturum esse, fractis claustris & repagulis, sub finem mundi, multa me impediunt, quo minùs credam. Hanc igneam massam involucro aliquo includi & circumambiri necesse est, aliter exiliret & dissiparetur; Cùm enim ex suâ naturâ corpus sit levissimum, Ignis, in loco infimo haud maneret, nisi inclusus & incarceratus. Prætereà, hujus carceris Parietes, oportet, ut sint crassi solidique; nam, cùm flammâ nihil sit magis tenue & subtile, per majusculos poros, tanquam per aperta ostia, facilè exiret & evaderet. Æquum est igitur supponamus, hunc naturæ thesaurum undique validissimis claustris, & testâ quâdam metallicâ circummuniri: ut exire nequeat ignis nisi sensim & minutim: eluctando per angustas illas vias & meatus tenuissimos testæ metallicæ; ut in corpore nostro egreditur per cutem sudor, aut sudore tenuior halitus, non ruptâ cute.

Quod si verò ponamus, non solùm meatus illos laxari tempore incendii, quod facilè concedo: sed ipsos parietes disrumpi, Orbemque illum Adamantinum, Sacri ignis custodem, violari & diffringi, non modò malè peribit mundus noster, sed universa natura periclitabitur; Tellus enim, amisso hoc igne, quo libratur in æthere, ut in aquâ piscis, suâ aëris vesiculâ: Stationem suam inter Planetas desereret, relictoque suo loco & ordine, aut inter superiores, aut inter inferiores rueret. Cùm enim singuli Planetæ pro ratione suæ molis, ponderis, & soliditatis, suas circa Solem sedes capessant, propiùs aut remotiùs: amissâ hâc proportione & æquilibrio, novas, oportet, quærant sedes, novamque à Sole distantiam. Quod sine magnâ naturæ perturbatione, in Planetis præsertim inferioribus, contingere vix potest.

Prætereà, suppositâ hâc eruptione *Ignis Centralis*, non video inde sequuturum esse Telluris incendium. Si Tellus dehisceret usque ad imum Centrum, & exiret ignis centralis, aut occursu Oceani & subsidentibus Aquis, extingueretur: aut, si, pervadens omnia, ad Summum Terræ emergeret, inde pretinùs Superiora petens, avolaret. Mihi etiam non constat tenuem illum atque liquidum ignem, qui in corde Terræ latet, idoneum esse deprædandis & consumendis corporibus hujus exterioris terræ: Quæ forsan crassiora sunt quàm ut pabulo esse possint tam subtili flammæ.

Deni-

Denique, ut verbo absolvam, hanc eruptionem Ignis Centralis penitùs impossibilem esse duco in hodiernâ Terrâ. Ponamus, ex communi hypothesi, Semidiametrum Terræ milliarium esse 3440. Quotam hujus partem esse velis hanc ignis centralis Sphæram, vel ipsius Semidiametrum? Demus hujus semidiametro, si placet, vigesimam partem alterius, sive milliaria 172. quod tamen nimium esse fateberis: restant milliaria 3268. solidæ terræ nos inter & Ignem Centralem. Dico *solidæ terræ*: nam ubi descenderis unum atque alterum milliare ab exteriori Telluris superficie, nullæ sunt cavitates, aut hiatus, aut cuniculi: omnia clausa sunt, repleta, & compacta. Dic igitur quæ vis perrumpet tantæ crassitiei vallum, atque montium & scopulorum pondera excutiet? Quæ causæ naturales fingi possunt huic operi pares: sive extra terram, sive intus? A vaporibus rarefactis in cavitatibus terræ, & à fumis & exhalationibus accensis, proveniunt quandoque Terræ-motus: & ab his motibus & concussionibus fiunt aliquando hiatus & fissuræ soli; sed quousque pertingunt hæ fissuræ aut hiatus: quàm parùm sunt profundæ si ad semidiametrum Terræ comparentur? Reperiuntur tantùm inter cavernosa rudera exterioris terræ, hi tumultus; si descendas altiùs, nulla sunt inania loca, nulli specus aut latibula, in quibus cogi possunt vapores, aut magnis copiis congregari, ad moliendum aliquid contra naturam. Ultra Sesquimillennium stetit primus orbis antediluvianus, sive Telluris primigeniæ fornix: tenuis licet esset, unum aut alterum milliare crassus, æstuanti Soli expositus, & subtùs vaporibus distentus; periculosæ conditiones, quæ, cùm omnes desint quoad terram interiorem, nihil nobis metuendum erit ab Ignis Centralis eruptione. Postremò id semper meminisse oportet, quod supra monuimus, ità demoliendam esse hanc Terram, ut resurgat: cùm ex doctrinâ Christianâ ἀποκατάστασιν expectemus.

Ad amovendum causas supposititias futuri incendii, hæc sufficiant. Hæreat usque in suâ sede uterque ignis, Solis & Terræ, Sacer & perennis: Ille mundi majoris cor & calor vivificus, Hic mundi nostri. Quemadmodùm verò cum corpus febricitat, à vehementiori cordis actione calor augetur, licet non inde orta sit febris causa: Ità in extremâ mundi febre, cum tota natura efferveſcit, solito vehementior erit,

tam

tam Solis, quàm ignis illius interni actio; eo modo quo dicetur in sequentibus. Sed in hos Socios totam mali causam rejicere iniquum esset.

CAP. VII.

De Causis Conflagrationis genuinis. Incendii limites: Apparatus primus ad incendium generale, externus & visibilis: Apparatus secundus occultior: Apparatus tertius.

AMputatis hoc modo causis superfluis Incendii, effectûs etiam partes superfluas & redundantes amputare oportebit: Ne tanto operi, & tam immenso incendio, causæ genuinæ, quæ supersunt, impares esse videantur.

Suprà monuimus, insulsum esse, aut insaniæ proximum, cùm de *Mundi exustione* agitur, id de magno Universo intelligere; Neque ad orbes cœlestes hoc spectat, neque Fixas, neque Fixis viciniores nobis Planetas, sed Mundum tantùm sublunarem; Neque ad hunc totum, longè abest: sed illam ipsius partem, quæ propriè dicitur Orbis habitabilis: Sive ad *Terram Exteriorem cum Cœlo infimo*. Hi sunt futuri incendii limites, ut fuerunt olim Diluvii; Nam eosdem dedisse limites videtur Sanctus *Petrus*, & easdem regiones, Incendio ac Diluvio. *Cœli & Terra*, inquit, *qui tunc erant, aquàrum Diluvio perierunt. Cœlum autem & Terra qui nunc sunt, igni reservantur.* Hodiernos Cœlum & Terram substituit eorum loco qui Diluvio perierunt, atque hos itidem perituros esse ait igni, ut illi aquâ. Quare ex æquâ interpretatione, easdem mundi regiones utrobique designat, occupatas olim cœlo & terrâ pristinis, nunc hodiernis. Hunc sensum sequitur Sanctus *Augustinus*, aliique; non malè igitur monet *Estius* ad illum locum: *Qui ad cœlos superelementares referunt aut extendunt hanc conflagrationem, sive Theologiam consulas, authoritate destituuntur: sive*

2 Epist. c. 3. 5, 6, 7.

ſive Philoſophiam, ratione. Quoad partem poſteriorem facilè me vadem præſto: *Errant* certè, qui ſic ſtatuunt, *neſcientes rerum naturam.*

Non igitur ultra Cœlum infimum & Telluris Atmoſphæram, ut dicitur, ſæviet Incendium. Sed quouſque deorſum, & in terræ viſcera penetrabit? reſpondeo, eouſque quò Diluvium; ad infimas, ſcilicet, abyſſos, & profundiſſimas Terræ cavitates. Cùm verò nullam abyſſum, aut Terræ cavitatem quamcunque, magno Oceano profundiorem eſſe exiſtimem, Dico, ad profunditatem Oceani ubique deſcenſurum eſſe illum ignem voracem: atque totum terrarum orbem, ad eandem profunditatem, in flammam, fumos, & cineres, converſum iri. Neque inferiùs Ignem progreſſurum eſſe puto, quandoquidem regio Subabyſſina flagrare aut incendi non poſſit: tam ratione ſuæ materiæ, quàm quòd ſpiraculis careat, & inanitatibus, ſine quibus ignis permanere diù non poteſt. Denique ad quid proficeret, conſumptis jam Terrâ habitabili & ipſius operibus, in interiora cadaveris viſcera ſævire.

Intra hos limites, ſurſùm & deorſùm, ut mihi videtur, conſiſtet incendium; Eoque redacto ad hos terminos, quaſi ad Statum ſuum ſimpliciſſimum, ſupereſt, ut ad ipſius cauſas naturales inveſtigandas, rectà pergamus. Quod tamen non ità intelligendum eſt, ac ſi omnes ipſius cauſæ purè naturales eſſent; Sed, cùm natura Deum ſequatur, aut ab ipsâ Sapientiâ divinâ conſtituta ſit, Mutationum & viciſſitudinum in mundo naturali, quas eadem ſapientia fore decreverit, æquum eſt ut credamus, aliquas, aut cauſas aut diſpoſitiones, in rebus ipſis parari & præcedere. Has diſpoſitiones, ſi placet, quæramus: vel cauſas in naturalibus proximas: quibus ſupervenient, ſuo loco & tempore, ſiqua operâ & miniſterio Angelico peragenda reſtant; Nihil enim dubito, his mundanis Cataſtrophis regendis & temperandis, celeres illos Dei miniſtros ſemper præeſſe & præſidere. Intereà, tenuîtatis noſtræ memores, nihil pertinacitèr affirmemus: ſed in re futurâ, &, ſuo modo, prodigiosâ, Qui optimè conjicit, optimus, & Vates, & Philoſophus eſto; Sed ad rem accedimus.

Primus naturæ apparatus ad hoc incendium, eſt externus & viſibilis: Nempe illa copia ignis, aut materiæ ignitæ, in hîc terrâ, manifeſta & omnium oculis expoſita; ut in montibus

tibus ignivomis, in Lacubus ſulphureis & bituminoſis, & in omni fomite ardenti vel proximè inflammabili. Cum hujus mundi partes aliquas jam ardere videamus, aliaſque in procinctu ſtare, ut, admoto igniculo, in flammas erumpant, futuri fati admonemur: Quo, cum Deus rerum laxarit habenas, & ſequaci naturæ ſua juſſa dederit, Ignis Diluvio, ut olim Aquæ, orbis terrarum obruetur. Sed hujus primi apparatûs partes paululùm explicandæ ſunt.

Quoad Montes ignivomos, his nihil habet terribilius hodierna natura: nihil quod magis percellit & terrorem incutit; Sive mugiant, & fremant intus, terramque concutiant; ut ſolent ſæpenumerò: ſive ruptis fornacibus exæſtuent, flammarum globos & piceas nubes eructantes. Neque tantùm flammas & fumos eructant, ſed etiam moles metallicas, & ſemiuſta Saxa, & candentium favillarum nimbos, per vicinos agros, oppida, urbes, projiciunt. Quid dixi *per vicina loca*, in regiones longinquas, & ſi vera eſt hiſtoria, tranſmarinas, torquent ſua ignita miſſilia. Diſponuntur autem diverſis locis & intervallis, per totum terrarum orbem, hujuſmodi montes ignivomi, tanquam milites Stationarii in ſuis præſidiis: ut eductis aliquando, junctiſque copiis, totam terram obruant & peſſundent. Sunt plures apud *Americanos*, in *Africâ* nonnulli, multi in Inſulis *Aſiaticis*, & nobiſcum non pauci in *Europâ*. Quum verò omnes percurrere non vacet, qui nobis proximiores ſunt, illos paululùm contemplemur.

J. Acoſt hiſt. Ind. l. 3. c. 24.

Credi vix poſſunt, quæ ab hiſtoricis narrantur de *Ætnâ* & *Veſuvio*; Quantum materiæ ignitæ evomant, quàm longè ejaculentur, & quàm indomita ſit iſtius materiæ vis, & ferè inextinguibilis. In noviſſimâ eruptione *Ætnæ*, quæ contigit anno Chriſti 1669. refert *Borellus* materiæ ignitæ molem æquâſſe paſſus cubicos 93838750. Atque ex tribus partibus conſtitiſſe, parte glareosâ & metallicâ, quæ fluida erat: cujus moles æquabat ferè 60000000 paſſus cubicos. Dein parte ruderosâ, non liquefactâ, ad paſſus cubicos 16000000. Denique arenæ maſsâ, ad paſſus 17913750. Præter ſpiſſos fumos, cineres, aliaſque minutias, & quicquid delatum fuit extra loci viciniam, aut ità diſperſum ut æſtimari & ad ſummam redigi non poterat. Irruit in mare illud flumen materiæ liquefactæ per ſexcentos vel mille paſſus, neque minùs latum erat intra mare, quàm longum: diúque ſe conſervavit,

vit, in mediis aquis, in formâ liquidi ignis. Per terram verò, latitudine sex aut septem milliarium diffusum erat, variè profundum, pro ratione loci, quandoque decem, duodecim, aut quindecim ulnas.

Hoc de recenti montis eruptione testimonium, fidem facit cæterarum historiis: quæ aliquid cognati habent, aut non minus admirandi. *Legimus apud eos,* inquit Sanctus *Augustinus, Ætnæis ignibus, ab ipso montis vertice usque ad littus proximum decurrentibus, ita fervisse mare, ut rupes exurerentur, & pices navium solverentur,* Ætnæ adjungit *Liparam, Orosius,* idque fortioribus verbis. *M. Æmilio, L. Oreste Consulibus, Ætna vasto tremore concussa exundavit igneis globis. Rursusque alio die Lipara Insula, & vicinum circa eam mare, in tantum efferbuit, ut adustas quoque rupes dissolverit, tabulata navium, liquefactis ceris, extorruerit: exanimatos pisces supernatantesque excoxerit: homines quoque, nisi qui longiùs potuere diffugere, reciprocato anhelitu calidi aëris, adustis introrsum vitalibus, suffocavit.* Aliam denique Eruptionem describit *Fazellus,* ubi per 28. ferè passuum millia, usque ad mare *Longinæ,* pervasit ignis profluvium.

De Civ. D. l. 3. c. 31.

L. 5. c. 10.

Annal. Sic. dec. 1. l. 11. c. 1111

Neque minora narrantur de *Vesuvio* in antiquorum scriptis: Specimen habemus egregium in illa eruptione quæ contigit sub *Tito Vespasiano*: quam nobis retulit *Xiphilinus.* Cùm prodigia quædam in aëre ante hanc eruptionem notâsset, subjungit, Καὶ μετὰ τοῦτο ἀυχμοί τε δεινοὶ, καὶ σεισμοὶ ἐξαίφνης σφοδροὶ ἐγίνοντο, ὥστε, &c. Nimis longum esset Græcum simul & Latinum transcribere, quare verba Interpretis apponam. *Post hæc consecuta est maxima siccitas, ac repentè ita graves Terræmotus facti, ut omne id solum efferveseeret, & culmina montium subsiderent. Adhæc Sonitus, tùm subterranei, tanquam tonitrua: tùm super terram mugitibus similes, extiterunt. Deinde mare simul fremere, omne cœlum quasi unà sonare, ingensque & repentinus fragor, quasi montium simul corruentium, exaudiri. Tum exilire primùm immensi lapides, & ad summos vertices pervenire: deinde magna copia ignis, fumique, ita ut omnem aërem obscuraret, occultaretque Solem non aliter quàm si defeciisset. Igitur ex die nox, & tenebræ ex luce factæ erant, putantibus nonnullis, Gigantes seditionem inter se facere, quòd multæ imagines eorum in fumo conspicerentur: quodque clangor tubarum audiretur. Alii existimabant aut Mundum in Chaos redigi, aut igni consumi: ob eamque causam properabant alii ex ædibus in vias, alii de viis in ædes confugêre: atque è ma-*

ri in continentem, & ex continenti in mare se recepêre : omnem aliam conditionem propriâ tutiorem existimantes. Tanta verò erat copia cineris, ut Terram, Mareque, atque adeò ipsum aërem compleret. Quæ res multa damna, ut cuique sors tulit, apportavit : non solùm hominibus, prædiisque & pecoribus, sed etiam pisces, volucresque omnes peremit : duasque integras Urbes, Herculanium & Pompeios, populo sedente in Theatro, penitùs obruit. Postremò, tantus fuit cinis, ut inde pervenerit in Africam, Syriam & Ægyptum : introieritque Romam ejusque aerem compleverit, & Solem obscuraverit. Id Romæ accidit paucis post diebus, cùm omnes ignorarent id quod factum erat in Campaniâ, nec quid esset, conjecturâ assequi possent. Itaque etiam ii putare cœperunt, omnia sursum deorsum ferri, Solemque in Terram cadere, ac Terram in Cœlum conscendere.

Vides, quas Strages, quos tumultus, quæ prodigia peperit unius Vesuvii eruptio ; & si ad unius montis æstum tanta rerum confusio, tanta populorum consternatio secuta sit, ut Cœlum terrâ misceri, Solem delapsum extingui, omnia susque deque verti, & in ignem abiturum esse mundum, aut in antiquum Chaos crediderint : Quid si omnes omnium terrarum similes montes unà sævirent, & flammas suas ubique evomerent simul per totum orbem, Qualis esset naturæ vultus, & quàm proximè ad universalem conflagrationem hoc accederet ?

Facilè igitur credes hos montes ignivomos non exiguas partes habituros esse in futuro Telluris incendio ; & si his adjunxerimus Lacus Sulphureos, & omnia liquida inflammabilia : Dein terram bituminosam, & omnia sicca pinguia, vel aliter incensioni apta, hic primus apparatus tantùm non sufficeret ad devastandum orbem exteriorem Terræ & quæcunque sunt in ipsius superficie. His utcunque, Incendium, ubi incœperit, vim & impetum & celeriorem cursum accipiet. Quemadmodum in alicujus oppidi aut Urbis exustione, cùm ardent bituminis, picis, & oleorum cellæ & officinæ, flammarum vehementia intenditur. Aut cùm ex ardenti aliquo Palatio aut Templo, calentes favillæ, torres & ambustæ trabes undique diffiliunt, & liquefactum plumbum effunditur, eò magis augetur incendium, & fertur celeriùs per reliquam Urbem. Ità cùm venerit tempus universalis incendii, atque totus terrarum orbis flagraverit instar unius Urbis, Hæc hypocausta, hæ cellæ materiæ ignitæ omne genûs, cùm diffracta fuerint, ignis flumina erumpent, & inundabunt vicinas

cinas terras: & loco torrium & trabium uſtulatarum, excandeſcentia Saxa, & Scopulorum fragmina, & metallorum moles ſemiliquidæ, ex his fornacibus emiſſæ, circumjacentes regiones incendent.

Quoad Lacus Sulphureos, quorum jam meminimus, fonteſque bituminoſos & oleoſos, eorum non pauci, hîc illic, per regiones tractuſque terræ ſparguntur. Notiſſimus eſt Lacus *Aſphaltites* in *Paleſtinâ*: in quo abſorpta, & igne cœlitùs percuſſa, periit olim *Sodoma*: Mundi, non diſſimili modo perituri, typus & imago. Alium *Aſphaltitem* memorat *Diodorus* in *Arabiâ*; alios alii. In agro Babylonico plurimum eſt bituminis, tam liquidi, quàm ſicci: de quo conſuli poteſt *Strabo*. Hujus bituminis ope, cum latere coctili, muros Babylonis ſtruxiſſe dicitur *Semiramis*. Narrat prætereà *Strabo* Lacum *Sorbonida* in *Syriâ*, mille ſtadiorum in circuitu, abundare bitumine: quod per intervalla luxuriat è fundo lacûs. Cùm res ſit ſingularis, non indigna ſunt ipſius verba quæ apponamus. Μεστὴ δὲ ἐστὶν ἀσφάλτου ἡ λίμνη· τοῦτον δὲ, ἀναφυσᾶται κατὰ καιροὺς ἀτάκτους, ἐκ μέσου τοῦ βάθους πομφολύγων, ὡς ἂν ζέοντος ὕδατος· κυρτουμένη δὲ ἡ ἐπιφάνεια λόφου φαντασίαν παρέχει, συναναφέρεται δὴ καὶ ἄσβολος πολλὴ, καπνώδης μὲν, πρὸς δὲ τὴν ὄψιν ἄδηλος· ὑφ' ἧς κατιοῦται καὶ χαλκὸς καὶ ἄργυρος, καὶ πᾶν τὸ στιλπνὸν μέχρι καὶ χρυσοῦ. Ἀπὸ δὲ τοῦ κατιοῦσθαι τὰ σκεύη γνωρίζουσιν οἱ περιοικοῦντες ἀρχομένην τὴν ἀναβολὴν τῆς ἀσφάλτου, καὶ παρασκευάζονται πρὸς τὴν μεταλλείαν αὐτοῦ, ποιησάμενοι σχεδίας καλαμίνας. *Plenus eſt lacus bitumine, quod è medio profundi, temporibus incertis, cum bullis, inſtar ferventis aquæ, efflatur; ac tum ſuperficies lacûs curvata, collis aut monticuli ſpeciem præbet. Multum halitûs emittit, fumoſi, & qui viſum fugiat: quo, æri & argento, & nitidis ac terſis omnibus rubigo inducitur: dempto ſolo auro. Cùm vaſa æruginem contrahunt, jam accolæ intelligunt bituminis eruptionem appetere, ac ſeſe arundineis ratibus ad id requirendum accingunt.* Hæc tamen nonnulli, lacûs Aſphaltitis propria, à Strabone per errorem Sirbonidi accommodari ſuſpicantur.

Lib. 2.

Lib. 16.

Sunt prætereà Fontes liquido fluentes bitumine aut oleo: Quales memorat in *Illyrico* ſub *Nymphæo* Saxo ardenti, & in *Mauritaniâ*, idem Author. Sunt etiam hujuſmodi in *Germaniâ*, aliiſque paſſim regionibus, quos apud rerum naturalium Scriptores reperire licet. Denique ad hoc caput materiæ flagrantis referendæ ſunt omnes terræ pingues & glebæ ſulphu-

Lib. 7.

Lib. 17.

reæ, ut ſolent eſſe loci paludoſi: quorum ceſpites nigricantes ignem facilè concipiunt, & extremis flammis pabulum erunt promptiſſimum.

De primo apparatu igneo, externo & communi, hæc ſufficiant. Eſt alius apparatus intra terram, non diſſimilis; ubi eadem genera materiæ occurrunt, aliáque non pauca, nutriendo igni idonea. Recolamus pauliſper in quâlibet Civitate quot ſunt foci, quot ignes quotidiè: quantò plures in quâlibet provinciâ, aut regno: & in toto terrarum orbe, ſi unà ſummam colligeres, viderentur innumeri & immenſi. Horum omnium materia aut pabulum ex terrâ noſtrâ deſumitur: nempe, vel ex iis quæ naſcuntur in Telluris ſuperficie, ut ligna: vel quæ effodiuntur ex ipſius viſceribus; & quæ jam nobis inſerviunt, uſibuſque noſtris, militabunt contra nos omnia, junctis viribus & copiis, in magno incendio. Occultantur intrà terram mineralia & foſſilia ignifera multorum generum; Qualia ſunt Sulphur, Bitumen, Naphtha, Carbones, Auripigmentum, Succinum, Pix, Petreoleum, Piſſaſphaltus: halitus præterea ignei, & fumi, & quæcunque Thermarum, & calidorum fontium, cauſæ ſunt, aut fomenta. Harum rerum intra terram latentium ſumma & quantitas æſtimari vix poteſt: cùm verò quæcunque ejuſdem aut cognati generis in Telluris ſuperficie conſpicimus, ab his internis Naturæ promptuariis ſuppeditentur: ex. gr. cùm quicquid olei & Sulphuris quotannis accedit ad corpora herbarum, arborum, atque omne genûs vegetabilium, proveniat ē Terrâ: indicio eſt, ingentem vim ſuccorum pinguium in ipſius venis latere, & cum toto corpore permiſceri. Et quoad Patriam noſtram, Si ex unico Foſſili, carbones intelligo, de ſolo Britannico judicare liceat, &, ex numero focorum & conſumptione annuâ, de ipſorum copiâ: ab hoc hoſte ſubterraneo, cum exarſerit mundus, nobis non parum metuendum erit.

Hæc brevitèr de apparatu ordinario, intra Terram, vel in ipſius ſuperficie. Pro tertio apparatu haberi poſſunt quæ gignuntur & parantur in aëre: meteora ignea, & quicunque ignis è Cœlo in terras delabitur. Cœli priſci ſive ante-diluviani immunes fuiſſe videntur à meteoris igneis: Quos ideò
2 Pet. 3. 5. ex *aquâ conſtitutos* eſſe dicit Apoſtolus *Petrus*. In hodiernis autem ſunt multæ nubium eruptiones & procelloſi motus ignei,

ignei, ut prefteres igniti, fulmina & fulgura, quæ defcendunt ad terras impetu vehementiffimo, atque moles fæpè maximas & duriffimas penetrant, profternunt, & incendunt. Verum quidem eft, in regionibus calidis, aut poft magnas ficcitates, abundare & fævire maximè has procellas igneas; fed non deerunt hæ caufæ, inftante mundi incendio: cùm, ex ficcitate & æftu præeuntibus, gravabitur Cœlum exhalationibus calidis, nubibufque igniferis. Quemadmodum igitur in Diluvio olim, cum Cœli graves eſſent vaporibus humidis, per Cataractas & magnas moles effufæ funt in terras aquæ: & eodem tempore difrupta Abyffus, ut fubterraneæ cum cœleftibus concurrerent; Ità in futuro Ignis *diluvio*, Thefauri ignis, tam in aëre repofiti, quàm in Terrâ, recludentur; & apertis montium omnium ignivomorum Spiraculis, velut Abyffo igneâ difruptâ: ex alterâ parte, Cœlum intonabit & fulgurabit; ut, coëuntibus utrinque flammis, Cœlum terrâ mifceri videatur. 2 Pet. 3. 7.

Sed vereor, ne tranfeam Naturæ modos & vires: de quibus tantùm hîc agitur. Finiamus hoc caput cum dicto *Plinii*, qui cùm aliquot montes ardentes enumeraffet, de viribus ignis & mundi incendio hæc fubjungit: *Præterea cùm fit hujus unius elementi ratio fœcunda, feque ipfe pariat, & minimis crefcat fcintillis, quid fore putandum eft in tot rogis terræ? Quæ eft illa natura quæ voracitatem in toto mundo avidiffimam fine damno fui pafcit? Addantur iis Sydera innumera, ingenfque Sol: Addantur humani ignes, & lapidum quoque inſiti naturæ: attrita inter fe ligna, jam nubium & origines fulminum. EXCEDIT PROFECTO OMNIA MIRACULA, ULLUM DIEM FUISSE IN QUO NON CUNCTA CONFLAGRARENT.* Lib. 2. c. 106, 107.

CAP.

CAP. VIII.

Quæ, ſub finem mundi, rerum naturæ ſupervenerint ad incendium diſpoſitiones; quoad materiam, formam, & ſitum Telluris. Providentiam divinam præeſſe omnibus.

HActenùs faciem Naturæ hodiernam, & ad futuram conflagrationem apparatum ordinarium deſcripſimus. Quæ prætereà Naturæ ſeneſcenti ſupervenient diſpoſitiones novæ ad incendium, haud ita in promptu eſt prædicere & recenſere. Magnam terrarum deſiccationem mundi finem anteceſſuram eſſe, ex antiquâ traditione non-nulli retule-
C. 35. runt. Author *Hiſtoriæ Scholaſticæ* in *Geneſin* hæc habet: *Tradunt Sancti, quod quadraginta annis ante judicium non videbitur arcus cœleſtis; quod etiam naturaliter oſtendit deſiccationem aeris jamjam inceptam.* Dicunt etiam antiqui, *Eliam venturum & habiturum eſſe poteſtatem cohibendi pluviam.* Quoad pluviam cohibitam & inductam ſiccitatem facilè aſſentior; at ſiccitatem unius & alterius anni, non *quadraginta annorum.* Neque enim lentâ & languenti febre periturus eſt mundus, ſed violentâ & ſubitaneâ: tot autem annorum ſiccitas, ſterilitatem, & famem, & morbos, & peſtes induceret, quibus extinctum eſſet genus humanum ante inceptum incendium aut adventum Chriſti.

Concedatur utcunque magna ſiccitas: cùm ſit ex eorum numero quæ ſæpiùs contingunt in rerum naturâ, ſine vi miraculosâ. Talis præceſſit eruptionem Veſuvianam, quam ſupra ex *Xiphilino* deſcripſimus; & cujuſque gentis Annales, & cujuſque ſeculi, hujuſmodi rebus fidem faciunt. Teſtantur etiam quandoque, in ſiccitate vehementi, non tantùm exaruiſſe fontes, ſed etiam ſylvas & ſegetes exarſiſſe: cum inſolitis ignis formis & oſtentis per inflammati aëris regiones. Hæc itaque redire poſſe nemo negaverit, & ad ſummum gradum, quò à Naturâ ferri poſſunt, impelli. Terra, ob eandem rationem, fatiſcet multis in locis, & hîc illic rimis fin-

findetur : radiiſque Solis altiùs ſolito penetrantibus, interiùs per totum corpus incaleſcet. Notum eſt verò calorem Solis profunda terræ viſcera adire & agitare, in coquendis & præparandis Metallis: In hâc autem ingenti ſiccitate & æſtu profundiùs adhuc penetrabit ipſius vis, & laxatâ interioris telluris compage, exudabit ſenſim Ignis Centralis; non proruet effuſim, rupto carcere, ſive integumento, quo circummunitur : ſed per ipſius meatus jam apertiores factos, minutiæ igneæ liberiùs exibunt, & per totum Telluris corpus diſpergentur.

Prætereâ ex hoc ardore aëris, & interioris Terræ incaleſcentiâ, Lapidum igniferorum, aliorumque mineralium, quæ latentem ignem in ſinu gerunt, aperientur corpora. Quemadmodum ab electro, cum fricatur, exeunt & emanant particulæ, quæ anteà ligatæ & inertes jacebant : vel ut corpora odorata, cùm modicè calefiunt, effluvia emittunt uberiora : ita in his corporibus igniferis, quorum magna eſt copia in hodiernâ naturâ, ferventes, aut levis ignis, atomi, ſolutis calore vinculis, copioſiùs erumpent.

Multæ autem ſunt ſpecies corporum terreſtrium, præter ea, quæ ſunt inflammabilia, quæ cæcum ignem intùs occultant : qui ex eorum nonnullis exit per halitus ſulphureos, ex aliis per ſcintillas excutitur, & in aliis aliter ſe prodit. Hujuſmodi occulti ignis Seminaria ſunt Pyrites, omne genûs : Silices, Calx ſive lapis calcarius, Succinum, atque alia iſtiuſmodi ; Horum omnium corpora aperientur, ingruente incendio, cùm æſtuare inceperit Natura ; Tandemque ipſa ſaxa & rupes ſudabunt ignem : totuſque aër, exhalationibus calidis ſatur, tantùm non, ſuâ ſponte, igneſcet.

Quemadmodum verno tempore fragrat Tellus, & gratos fundunt odores, per hortos & campos, florum & herbarum anhelitus ; aperto Telluris ſinu & reſolutis rerum ſeminibus, ex moderato Solis calore & miti pluviâ ; Ità cum nulla erit pluvia, atque nimius Solis calor, intúſque ardebunt Telluris viſcera, ex hâc ſiccitate & ardore univerſali aliud genus exhalationum, penitiùs reconditarum, è Terrâ exprimetur : corporum duriorum recludentur penetralia, & quicquid intùs latet ignis, olei, ſulphuris, foràs exibit : Atque his corpuſculis omnis regio, omne elementum, totumque Cœlum inferius replebitur. Hæc de ſiccitate.

Deni-

Denique, ut à ſiccitate, exhalationum copia: ità ab exhalationibus illis quæ in Terræ receſſibus incluſæ fuerint, aliud ſequetur effectum, quod ad incendium generale non parùm contribuet. *Terræ-motus* intelligo frequentes: Quibus corpus Terræ magis cavernoſum fiet, & exuſtioni aptum; dico *Exuſtioni aptum:* Illud enim notandum eſt maxime, Hodiernam Tellurem ideò obnoxiam eſſe exuſtioni, quod Cavernoſa ſit; nam ſi tota eſſet ſolida & compacta, ſine cavitatibus aut ſpiraculis, nullam vim haberet ignis, niſi in ceſpitem ipſius exteriorem & in ea quæ naſcuntur in Telluris ſuperficie. Cùm verò Tellus hodiè conſtructa aut coacervata ſit inſtar ruinæ, inæqualis ſuperficiei, malè commiſſis partibus, interjectis cavernis, hiatibus, cuniculis, rimis, quibus fit quaſi perflatilis & permeabilis ventis & halitibus; horum vi & impetu per omnes vias ſubterraneas feretur flamma; ac ubi tandem advenerit magnus ille *dies Domini,* cum totus orbis futurus eſt præda & pabulum igni, ad apertionem horum ſpiraculorum, in radicibus montium, aliiſque cavitatibus Terræ, ſi rectè judico, Incenſio & Inflammatio generalis auſpicabitur.

Vides futuram conflagrationem pendere tàm à formâ, quàm materiâ Telluris: & utrinque novas acceſſuras eſſe diſpoſitiones, aut auctum iri priſtinas. Per hos motus & concuſſiones, exterior terræ regio, fracta & ſoluta, igni magis pervia erit. Quemadmodum pyram ſtruimus formâ ſubcavâ, interceptis ſpatiis vacuis: quò omnes partes pervadat ignis, & ubique, intercurrente aëre, ventiletur. Denique ad has præparationes in materiâ & formâ, accedet ultimò ſitûs mutatio: ſive novus Terræ ſitus, & recta ad Solem converſio. Reſtitutum iri Tellurem in ſuum ſitum rectum cum Sole, circa tempus conflagrationis, nihil dubito: Sed quâ parte illius temporis continget hæc ἀποκατάστασις, fateor id mihi nondum ſatis innoteſcere; Hanc pro cauſâ incendii, eâque unicâ, habuiſſe videtur *Plato* in ſuo *Timæo,* ex antiquâ doctrinâ *Ægyptiorum:* cùm Phaëtontis fabulam interpretans, hæc habet; Τοῦτο μύθου μὲν σχῆμα ἔχον λέγεται, τόδ' ἀληθές ἐστι, τῶν περὶ γῆν καὶ κατ' οὐρανὸν ἰόντων παράλλαξις, καὶ διὰ μακρῶν χρόνων γινομένη τῶν ἐπὶ γῆς πυρὶ πολλῷ φθορά. Quæ ita interpretatur *Ficinus: Hoc quamvis fabuloſum videatur, verum quodammodò eſſe putandum eſt. Fit enim, longo temporum intervallo, cœleſtis circuitûs*

cuitûs permutatio quædam, quam, inflammationis Vaſtitas neceſſariò ſequitur. Hoc modo ſtrictiùs verba redduntur: *Hoc quidem ſpeciem fabulæ præ ſe fert, id tamen verum eſt, eorum quæ circa Terram & in Cœlo volvuntur, eſſe quandam motûs variationem, & inde oriri, per longa temporum intervalla, ex ignis abundantiâ, Terrenarum rerum cladem & interitum.* Hanc motus παράλλαξιν vel ἀποκατάστασιν eſſe *Annum Magnum,* quem toties crepant Veteres: atque ex verâ interpretatione ad Tellurem referendam eſſe, ſupra probavimus. Cap. 4. Hanc autem pro causâ incendiorum, præteritorum vel futurorum, habuit *Plato*; Et cùm inde, in mediis Terræ regionibus, immodicus æſtus ſequeretur, & in polis lux eſſet perpetua: aut incipiendi aut propagandi incendii aliqualis occaſio meritò haberi poſſit.

Hæc de cauſis adventitiis futuræ conflagrationis dicta ſunto: præter illum apparatum igneum, ordinarium & hodiernum, quem capite præcedenti explicuimus. Rebus autem hoc modo diſpoſitis, quoad materiam, formam, & ſitum Telluris: ut tandem in flammas erumpant omnia, nihil mihi deeſſe videtur, niſi ut ignis cadat de Cœlo, tanquam Scintilla excuſſa in ſuppoſitum fomitem. In promptu ſunt omnia, & juſſa numinis expectant, ut, laxatis rerum habenis, in mortale genus, & in mortalium ſedes, indignans ſæviat natura. Domine, dic *verbum tantùm, & fiet.* Tu, Rev. 1. 18. qui *lethi & inferni claves* tenes: E cujus Solio prodeunt ful- Rev. 4. gura & tonitrua: Qui caput cinctus Iride, & ante pedes provoluto mari vitreo ardentis ſulphuris, utrique Diluvio, Aquæ & Ignis, præſides Dominus: Dic, ut pereat Infœlix Terra, quæ *Filium Dei* vidit crucifixum. Plura non dico, Infœlix Terra! Nefandum ſcelus! Non niſi hoc igni univerſali atque omnium maximo Holocauſto, purgandum aut expiandum.

Plura ſuperſunt dicenda de conſumptione Oceani, & eorum corporum terreſtrium quæ difficillimè cedunt igni: ut ſaxa & rupes; Sed hæc ſeorſim tractabimus in ſequenti capite, ubi de progreſſu & conſummatione incendii agitur. Illud interim monendum eſt, ſi cui videatur non eſſe ſatis materiæ igneæ in hodiernâ naturâ, ad ſuperanda omnia alia corpora, tam humida, quàm dura, is cogitet, velim, quàm facilè ſit ipſius copiam augere, ſi opus fuerit: vel deducendo eam copioſiùs ex regionibus æthereis, vel ſeminando majo-

rem vim ſulphuris inter corpora terreſtria ; ſive enim generetur Sulphur ex particulis aquæ contuſis & in ramulos divulſis, ſive ſit lapidum igniferorum ſudor, utrovis modo, ex ipsâ incaleſcentiâ Telluris, magis abundaret ; maximè verò ſi accederet vis illius *Verbi*, cui omnia elementa obediunt, & cujus nutu in ſe invicem convertuntur. Dein, quoad *ignem cæleſtem*, ipſius augmentum fieri poteſt, vel corroboran-
Iſa. 30.26. do fontes lucis & caloris, juxta Prophetam : vel flumen illud ætheris, quo reparatur Ignis Centralis. Sed cùm cuique liberum ſit, mundi conflagrationem exponere, vel cum augmento materiæ igneæ, vel ſine ipſius augmento : modò eidem præeſſe & præſidere divinam providentiam agnoſcat : fateor me proniorem eſſe in illam ſententiam, quæ rem expedit ſine iſtiuſmodi additamentis : Cùm, videam Apoſtolum *Petrum*, non modò non abhorrere à cauſis naturalibus in explicatione futuri incendii, ſed etiam *repoſitos ignis theſauros in Diem illum*, idque ex hodiernâ mundi conſtitutione, ſupponere. Denique, cauſæ proximæ quibus mundus flagrabit, ſunt ex ordine cauſarum materialium, aguntque ſecundum ſuam indolem naturalem, ut ignis urit : Sed harum cauſarum ordinatio, ut tardiùs aut citiùs excitentur : ut coëant & concurrant ſtato tempore : aut aliæ alias ſequantur certo ordine, hæc & hujuſmodi à cauſis ſuperioribus pendere poſſunt. In his autem calculis de *rerum cauſis*, ne cæcâ pietate erremus, illud ſemper in animo habere oportet, *Quanto* major pars datur potentiæ divinæ, Tantò minor relinquitur Sapientiæ. Quare ita explicandi ſunt mundi naturalis motus & mutationes, ut Sapientia divina ſuis laudibus atque ſuâ gloriâ non fraudetur.

Denique, ut hæc abſolvam, vitandæ ſunt in hoc argumento duæ opiniones extremæ : Eorum primò, qui immediatè per omnipotentiam divinam mundum comburunt, ſine cauſis naturalibus : Dein eorum, qui his ſolis rem conficiunt, ſine ope quâcunque divinâ aut Angelicâ. Nimii ſunt in utrâque parte ; ſed cùm fruſtra fiat per plura, quod paucioribus non minùs commodè fieri poteſt : aut per inſueta & altiora, quæ per minùs alta & ordinaria queunt perfici, ideò ſemper primùm tentanda eſt via Naturæ, &, quid poſſint ipſius vires, experiendum. Quod ſi impares ſint ſuſcepto operi, non ſtatim proſiliendum eſt ad omnipotentiam divinam : ab imo

ad

ad ſummum, unico ſaltu, ut ſolent temerarii ; ſed miniſterio Angelico utendum eſt, & intermediis rerum cauſis. Ita, exempli gratiâ, ſi, ut igneſcat Tellus & flammis devoretur, non ſuppetat apparatus naturalis : Si Natura non ſufficiat ad ſui ruinam, non ideò ſupremum numen commovendum eſt : Ecce in procinctu ſtant Angelorum myriades, ignei Dei miniſtri ; ad condendos, ad demoliendos, ad inſtaurandos mundos parati. Circumſtant thronum Dei perpetuò myriades myriadum, in exequendis ipſius juſſis promptæ & expeditæ. En, qui *Sodomis* perdendis interfuerunt : En, qui *Diluvio*, & fluctuantem ſuſtinuerunt arcam : En qui fulgura & tonitrua in monte *Sinai* excitârunt : tremente monte, tremente populo ; En denique, qui Chriſtum à Cœlo deſcendentem comitabuntur. Quid hos præteris omnes, Zelo flagrantes & vi cœleſti inſtructos : quorum operâ, virtute, miniſterio, ſi quid deſit ad explendam Dei ultionem, ad conſummandum rerum excidium, facilè ſupplebitur.

Dan. 7. 10
Apo. 5. 11.
2 Theſſ. 1. 7.

CAP. IX.

De conſumptione Oceani. De Montium & Scopulorum ruinâ & fuſione. De regionibus circumpolaribus ; & de adæquandâ Telluris facie.

HOC *opus, Hic labor eſt.* Quis Oceanum exhauriet, aut flammas cum aquis componet in eodem alveo ? Quis rupes & ſcopulos ignibus in pabulum daret : quæ vis exedet has duriſſimas moles ? Denique, regiones polares Terræ quis igneſcere faciet, quæ gelu rigent perpetuo, & nihil, niſi penetrabile frigus, adurit ? Hæc nos manent ſuperanda, nodoſa rerum capita.

Sed quid moramur aut vaſtitatem aut vires Oceani ? Qui Aquam in Vinum convertit, eandem in Oleum convertere poteſt : & qui *ſex hydrias*, totum Oceanum. Ipſius igitur verbo, Oceanus in oleum convertitor. Jam tranſiit in partes

Joh. 2.

noſtras, qui hoſtis erat infeſtiſſimus: nec ſeipſum tantùm, ſed reliquum etiam mundum, inflammatus facilè conſumet. At parcendum eſt ſumptibus miraculorum, ubi vires naturæ ſuppetunt; Et cùm nihil ſit potentius Igne in hâc rerum naturâ, experiundum primò, quid poſſit ipſius vis, antequam ad tranſmutationes illas miraculoſas confugiamus.

Atque ut rem difficilem, quâ poſſumus ſolertiâ, aggrediamur, memores ſimus primo loco, conſilii *Biantis* Philoſophi: Qui, cum Æthiopum rex juſſiſſet Amaſin, regem Ægypti, *pontum ut ebiberet:* Amaſin, de reſponſo reddendo ſolicitum, conſuluit Bias ut reſponderet, *ſe quidem facturum eſſe imperata, modò rex Æthiopum omnia, quæ mare augent, flumina, aliò averteret.* Hoc nobis imprimis tentandum eſt, & ſufflaminandus decurſus aut ingreſſus fluviorum in mare, ut ipſius moles minuatur.

Neque hoc difficile erit, ſi ad ea quæ præmiſſa ſunt reſpiciamus; ſuppoſuimus enim, ex magnâ illâ ſiccitate aut deſiccatione, quæ præcedit incendium, fore, ut areſcant fontes & aquarum ſcaturigines: fontibus autem areſcentibus, areſcent fluvii intra paululum temporis: neque ſua deferent ad Oceanum conſueta dona aut tributa. Si verò reputemus, quantum eſt hoc tributum quotidianum, quantum aquæ influit in mare ſingulis diebus, ex profundis & patulis faucibus omnium fluviorum per terrarum orbem, facilè conſtabit, ſubſtracto hoc augmento, fore, ut imminuatur moles Oceani infra dimidiam ipſius partem. Ex computo *Riccioli*, Eridanus projicit in ſinum Adriaticum 18000000. cubicos aquæ paſſus ſingulis horis, ideóque 432000000. per diem; fluvius non ità magnus, Thameſi noſtræ comparandus. Quid autem de *Volga*, *Nilo*, *Canada*, *Argyropotamo*, aliiſque primæ magnitudinis fluviis dicemus; quorum ſingulorum profuſio annua toti Telluri cooperiendæ ſufficeret. Hæc & alia quæ huc ſpectant, deducta habes apud hiſtoriæ naturalis Scriptores. Satis eſt ad propoſitum noſtrum, ut hîc ponamus, intra omnium fidem & calculos, ex conjunctis fluviorum omnium oſtiis quotidiè decurrere in Oceanum, molem aquæ totius ſubduplam. Hoc poſito, oneris noſtri magnâ parte levamur, & dimidias hoſtium copias, antè commiſſum prælium, excidimus, fame & annonæ defectu.

Almag. nov. l. 2. c. 13.

Vid. Varen. Geog. l. 1. c. 16.

Dices

Dices forsan, posse quidem arescere minores fluvios, atque inde minui non-nihil Oceanum. Sed ingentes illos fluvios, qui sinus maris imitantur, desiccari non posse. Quid ni poterunt? Maximi fluvii componuntur à minoribus, & deficcatis minoribus statim diminuuntur; quod si ipsi fontes arescant in utrisque, ubi id aquæ elapsum fuerit quod alveus jam capit, locus manebit vacuus, atque omni alimento, inde sumendo, privabitur Oceanus. Verum quidem est, ex fontibus alios aliis uberiores esse: neque omnes forsan ejusdem sunt originis, unde citiùs aut tardiùs exarescent: Sed ex siccitate aëris diuturnâ & pertinaci, atque etiam interioris terræ: tandem omnes, cujuscunque fuerint originis aut ubertatis, diminui & deficere necessum erit.

Quare in consumptione maris & ipsius aquarum, hic primus gradus esto, Deficcatio fluviorum; undè multò minor & contractior erit Oceanus, novamque faciem & formam induet; Deseret enim sua littora ubique & in mediam abyssum se retrahet. Novi scopuli apparebunt, atque novæ terræ: ruptusque & confragosus maris fundus, antiquæ in Diluvio ruinæ Vestigia monstrabit. Prætereà ex hâc contractione Oceani freta vadosa, ut sunt plurima, in aridam convertentur; atque Sinus, per istiusmodi freta Oceano conjuncti, ab ipsius corpore abscindentur & seorsim stagnabunt. Exempli gratiâ, *Mare Mediterraneum* connectitur Oceano per fretum *Gaditanum*, non profundum, ideóque abscindetur prorsus ab Oceano in hoc rerum statu; & cùm ex alterâ parte conjungatur ponto *Euxino* per *Bosphorum Thracium*, qui etiam vadosus est, hic itidem exiccabitur ex contractione ponti Euxini: clausâque utrâque portâ per quam suas aquas accepit Mediterraneum, necesse erit ut subsidat admodum & minuatur. Denique clausis Nili ostiis, & reliquorum fluviorum qui illud mare influunt, in modum Stagni, aut Lacûs majusculi redigetur.

Hæc de primâ Oceani diminutione sufficiant. Supereſt altera, per ductos subterraneos, quibus in infimas Terræ abyssos & cavitates subducitur. Maria inter se commercium habere per ductus subterraneos, minimè dubitandum mihi videtur; Atque hujus rei exemplum præbet non obscurum hoc ipsum Mare Mediterraneum: cùm in utroque extremo, & ex omni latere, in se recipiat aquas, sine ullo exitu manifesto.

festo. Ita Mare *Caspium* etiam & Lacus multi, qui fluvios recipiunt & non emittunt. Neque minùs Oceanus ipse, in cujus gremino tot fluvii suas deponunt aquas, opus habet his ductibus subterraneis, quibus se exoneret; *Syrtes* autem nonnullæ & Vortices, ipsa loca descensûs & subingressûs aquarum indicare videntur.

Ex his autem ductibus inferiores tantùm hic respicimus, qui infra superficiem contracti & diminuti Oceani deprimuntur, ideóque apti sunt & idonei exhauriendis ipsius reliquiis, cùm opus fuerit. Non autem omnes aquæ reliquæ hoc modo exhauriri possunt; Nulli enim ductus subterranei, nullæ abyssi aut cavitates Terræ, magni Oceani medio alveo atque imo fundo sunt inferiores: ideóque factâ, cùm res postulaverit, hâc secundâ evacuatione, manebunt adhuc, in infimis Oceani locis, aquæ multæ aut aquarum stagna, tanquam fæces in fundo vasis. Sed reducto in hunc statum, & ad has angustias, Oceano: ídque sine ignis ope: fæces illas & ultimas reliquias, cùm aliquamdiù sævierit incendium, supremis ignibus epotandas, impræsentiarum relinquimus.

Hæc de Oceano. Ad scopulos & rupes & saxosos montes jam accedimus; Corpora durissima, quæ neque diffluere, neque aliunde derivari, aut transferri se patientur. Moles, quæ procellosi Maris fluctus, ventorum impetus, cœli iras & fulmina toties sustinuerunt, nihil sibi metuunt à levibus flammis. Vide, quo stent longo ordine juxta maris littora: Vide per terrarum tractus quantis jugis porrigantur. Immania Telluris pondera: quæ subruere consultius esse videtur, quàm externâ vi & impetu adoriri.

Neque tamen putandum est, durissimas rupes & saxa viribus ignis resistere posse, si ad ultimum examen redigantur. Omnes enim lapides diuturno igne fundi, & in liquores igneos, crassos & ardentissimos, converti possunt. Fateor, non immeritò quæri posse, quâ ratione queat attingere ignis has moles excelsas & elevatas, quæ extra Terræ corpus longè prominent & in aërem efferuntur. Leves flammæ eousque ascendent, sed haud tantâ vi & copiâ quæ par esse possit fundendis lapidibus durissimis & ingentissimis. Non multùm refragor: At omnes ferè montes majores cavernosi sunt, & exesis ab igne radicibus, summitates corruent in cavernas suppositas, & plerumque in medios ignes; Nam incipiet & grassa-

graſſabitur primùm ignis per terras cavas, ubi ſubintrant venti: atque ſæpè ob materiæ Sulphureæ, aliûſque liquefactæ, copiam, quæ ſtagnabant ſub illis montibus, Aquæ, in lacus ſemiſulphureos convertentur; quicquid autem in has fornaces inciderit, in hos lebetes igniſluos, adamantinum licet, diſſolvetur.

Prætereà, ſiquæ ſunt rupes minùs ſubeſæ & cavernoſæ, in hoc rerum æſtu univerſali, cùm fervent & ebulliunt omnia, ſurſum deorſum, intùs & extrà terram, ipſæ illæ rupes excandeſcent circumvicinis incendiis; atque primùm, ambuſta fragmina diſſilient: dein ferventibus præcordiis, diſtentiſque poris & meatibus, corpora ipſa diſrumpentur cum impetu: atque humi proſtrata, cum cæteris omnibus, igni inſatiabili in prædam cedent. Porrò, ex frequentibus terræ-motibus tunc temporis futuris, ſæpè findentur Scopuli, ſæpè dejicientur. Sicut verò in cremandis corporibus humanis oſſa ſunt conſumpta tardiùs carne & viſceribus: Ità in hoc extremo mundi rogo, magnæ matris oſſa, montes & rupes, Telluris oſſea compages, omnium tardiſſimè conſumentur.

Hæc de Oceano & Rupibus; Quoad regiones Terræ circumpolares, æſtuantis mundi refrigeria, neque in his ullum aſylum reperies;

Ultra Sauromatas fugias licet, & glacialem.
Oceanum, non te eripies his, Improbe, flammis.

De hoc dictum eſt anteà capite ſexto. Pendet harum regionum frigus ab hyemis noctiumque hybernarum longitudine, & à vaporum eò confluentium copiâ; Reſtitutâ autem Tellure ad ſitum æqualem, cujus anteà meminimus, noctium & dierum æqualitas per totum annum, ſine hyeme aut hyberno gelu, frigoris vehementiam retundet; Et quoad vapores frigidos, qui à cæteris terræ partibus verſus Polos confluunt, ſub tempore incendii nihil erit frigidum, vel in terrâ, vel in aëre: omnia ingruente conflagratione, areſcunt vel æſtuant: & qui excitantur vapores, præ nimiâ agitatione nullibi recident. Denique, ut hæc tria ſimul comprehendam, Oceanum, Rupes, & Zonas frigidas, Notandum eſt, Duo eſſe tempora vel intervalla hujus incendii, Primus ipſius impetus, quo extinguetur totum genus humanum, atque omnia

nia opera hominum, & totius Terræ habitabilis apparatus : Idque rapidè atque celeri motu ; Dein ſecundus impetus, ſive conſummatio incendii : quæ circa regiones reliquas reliquamque molem, & quamcumque materiam minùs ingeſcibilem, verſabitur. Hoc autem lentiùs peragetur, atque aliquot annorum ſpatio. Expedit enim, ut duret aliquamdiù hoc theatrum flammeum, mundis circumvicinis in ſpectaculum & in terrorem ; ut hinc ſibi metuant à Dei vindicis irâ, atque ſuum quique Tartarum præmoniti effugiant.

His præmiſſis, ut mihi videtur, ſatis conſtat, nihil fore inſuperabile ſupremis ignibus ; Neque profundum Mare, neque altas rupes, neque remotas extra mundum habitabilem regiones. Omnium rerum, intra ambitum & limites his flammis à Deo præſcriptos, diſſolvetur compages ; Craſſa autem Corpora diſſoluta ſubſident, & levia in auras evaneſcent : Telluſque, in Diluvio olim fracta, & in formam inæqualem converſa : congeſta in montes, depreſſa in valles & lacunas, cavitatibus & cavernis ſuperſtructa, in novam jam formam reducetur ; Omni monte depreſſo, & omni valle exaltatâ. Audiamus Prophetæ verba. *Parate viam Jehovæ, adæquate in ſoliditudine aggeres, Deo noſtro. Omnis Vallis attolletur, & omnis mons & collis deprimentur. Quod curvum eſt, abibit in viam rectam, & ſalebroſa fient plana. Ut reveletur gloria Jehovæ, & omnis caro conſpiciat eam.* Evangeliſta ad primum Chriſti adventum in carne hæc retulit, idque rectè : minimè tamen excluſo ſecundo ejus adventu ; nam de eo ad literam vera ſunt illa omnia, quæ ad primum figuratè tantùm applicantur. Prætereà, quæ ſequuntur apud Prophetam ſatis indicant ad extremum Chriſti adventum hæc eſſe referenda ; Cum vox ei facta hoc prædicandum eſſe dicit, *Omnem carnem eſſe gramen, etiam omnem gloriam eſſe ſimilem flori agri. Exareſcit gramen, decidit flos, cùm Spiritus Jehovæ perflat ipſum.* Cùm de *Spiritu oris* Domini verba facit, id expoſitum eſt, & ab eodem Prophetâ, & ab Apoſtolo *Paulo* ; *Iſaias*, cum loquitur de *Tophet* ſeu loco extremi exitii, ait, *flatus Jehovæ, quaſi torrens ſulphuris incendet eum.* Et Apoſtolus inquit, Dominus ſceleratum illum abſumet *Spiritu oris ſui, & in illuſtri adventu ſuo abolebit.* Vides, quem ſpiritum urentem, & anhelitum Dei flammeum intelligunt Authores Sacri ; qui, homines, tanquam flores : atque omnem carnem, velut gramen,

Iſa. 40. 3, 4, 5.

Luc. 3. 4.

Ver. 6, 7.

Cap. 30. 33.

2 Theſſ. 2. 8.

men, abſumet, in futuro rerum excidio. Cum igitur ea quæ præceſſerant apud Prophetam, de mutandâ & adæquandâ Telluris formâ, idem cum his tempus reſpiciant, utrumque referendum eſſe ad mundi finem & adventum Domini, ordo textûs rerumque indicat. Sed de his plura in ſequentibus.

CAP. X.

De Principio, progreſſu, & conſummatione Incendii: converſo mari in Lacum Sulphuris & Salis, totoque globo materiâ ardenti cooperto.

HActenus de cauſis Conflagrationis: De modo & ordine ipſius, initio, progreſſu, & conſummatione, jam propiùs diſquirendum eſt. In his autem explicandis non tantum rerum naturam, ſed etiam doctrinam Chriſtianam conſulere oportet; Quum enim Telluris exuſtio, præter diſpoſitiones naturales, divinæ in impios vindictæ rationem habeat, ex ipſius conditionibus & circumſtantiis nonnullæ, ab hoc Dei conſilio & propoſito, extra vias naturæ, pendere poſſunt. Hæc autem ſi fortè nobis innoteſcere voluerit Deus per ſua Oracula, lucem hinc mutuari, & ab his duci in locis obſcuris, tutum gratumque erit.

Ex contemplatione naturæ non tàm definire licet, quæ loca terrarum arſura ſint primùm, quàm quæ ſint maximè obnoxia conflagrationi; Sed innuunt, ni fallor, Sacræ literæ, *Sedem Antichriſti*, ubicunque tandem fuerit, primò perituram eſſe. Et *Sceleratum* illum, cum ſuâ ditione, in glorioſo Chriſti adventu, omnium primum perditum iri; Hinc igitur Conflagrationis initium deſumo, hinc cladis futuræ exordium. Paratis & diſpoſitis omnibus ad incendium generale, cùm Chriſtus apparuerit in nubibus, cœleſti comitatu ſtipatus, percuſſâ primùm ſede Antichriſti ardenti radio ex ipſius ore, quaſi de hoc ſigno conventum eſſet, tota natura in flammas gradatim, aut parvâ morâ interpoſitâ, erum-

pet: Montes ignivomi simul omnes sævire incipient: Terra hiabit multis in locis, novosque ignium crateres & spiracula aperiet: denique Angeli vastatores laxabunt ventos à quatuor terræ plagis, ad miscendum has flammas, ac impetuosè in omnes partes propellendum.

Dico hanc inflammationem incepturam esse, quoad tempus, in adventu Christi: & quoad locum, in sede Antichristi. Non quòd hoc explicitè doceatur in Sacrâ Scripturâ, sed, cùm Christus venturus sit *ultricibus flammis*, ad devorandum *igni* inimicos suos, prout sæpiùs dictum est, & à Prophetis & ab Apostolis; probabile est, ad ipsius adventum & apparationem in nubibus, incepturum esse incendium. Dein, quoad locum, cùm sedem Antichristi, *Babylonem mysticam*, igni consumptum iri, sæpiùs affirmet Sanctus *Johannes*, atque ipsum Antichristum, *Paulus*: idque in adventu Domini, & ab ipsius claritate & ardore: His omnibus respondet, si flammis erumpentibus, Antichristum suamque sedem, primam esse prædam supponamus.

Sed quò majorem vim habeat hæc conjectura, in mentem revocanda sunt illa loca Sacræ Scripturæ, quæ utrumque caput respiciunt, *Igneum* Christi *adventum*, & *Babylonis* aut Antichristi *exustionem*. Utrumque respicere possunt ea loca Prophetarum ubi de vindictâ aut triumpho Christi in suos inimicos agitur: fit enim mentio plerumque, cùm de eâ re tractant, *ignis*, *fumi*, *sulphuris*, *flammæ*, & rerum cognatarum

Psal. 2. 6. *Depluet Dominus*, inquit Regius Propheta, *super improbos, prunas, ignem, & sulphur: ventusque procellosus portio*

Psal. 50. 3. *calicis eorum futurus est. Veniet Deus noster; Ignis ante ipsum consumens, & circa ipsum procellosa omnia.* Celebre est præterea Canticum triumphale super victoriam & regnum Christi.

Psal. 68. *Surgente Deo, disperguntur inimici ejus. Instar fumi impellis eos, ut liquefit cera ab igne, pereunt improbi à conspectu Dei.* Denique cùm victricem regnantis Dei gloriam & adventum de-

Psal. 97. scribit, sic ait, *Jehova regnat, exultet Terra: lætentur regiones plurimæ. Nubes & caligo circumstant eum, justitia & judicium locum Solii ejus. Ignis antè eum procedit, & inflammat circumquaque hostes ejus. Perlustrant fulgura ejus orbem habitabilem, videns formidat Terra; Montes ut cera liquefiunt à præsentiâ Jehovæ, à præsentiâ Domini totius Terræ.*

Isaias,

Isaias, Vates sublimis, & qui ad extrema mundi tempora sæpè prospexit, igneam Dei vindictam multis in locis memorat, capite 34. 8, 9, 10. ità *diem ultionis Jehovæ* describit, *mutabuntur Torrentes in picem, & pulvis in sulphur; eritq; terra ejus pro pice ardente. Noctu & interdiù non extinguetur, in seculum ascendat fumus ejus.* Et *Tophet, flatu Jehovæ*, quasi *torrente sulphuris*, inquit, *accenditur*, cap. 30, 31. Dein cap. 66. 15, 16. Adventum Domini exhibet more Christiano & Apostolico: *Ecce Jehovah cum igne venturus est, & curribus suis similibus turbini, ad reddendum cum excandescentiâ iram suam, & increpationem suam cum flammis ardentibus.* Denique apud Prophetas posteriores, *Dies furoris Dei*, & supremæ cladis ipsius inimicorum totus igneus exhibetur. *Zephanias*, cap. 1. 18. & cap. 3. 8. hunc igneum Dei zelum celebrat. *Effundam super illos indignationem meam, totum æstum iræ meæ, cùm igne zeli mei absumpta fuerit tota hæc Terra.* Et iisdem coloribus flammeis depingit diem advenientis Domini, *Malachias*, cap. 4. 1. *Ecce dies ille adveniet, ardens tanquam fornax: quo erunt omnes superbi, & omnes facientes improbitatem stipula, & inflammabit eos dies ille venturus.*

Hæc loca Prophetarum, si cum adventu futuro Christi, prout ab Apostolis exhibetur, conferantur, patebit clariùs de igne naturali ea intelligenda esse, & de hoste Christi infensissimo, Antichristo. Hoc satis explicat Apostolus *Paulus* ad *Thessalonicenses*: Cùm in capite primo dixisset, *In revelatione Domini Jesu de Cœlo, cum Angelis suis potentibus, cum igne flammanti infligi ultionem iis qui Deum nesciunt, neque auscultant Evangelio Dei nostri Jesu Christi.* Cùm hoc jam latiùs dixisset de improbis & inobedientibus Evangelio, in secundo capite idem propiùs applicat ad *mysterium iniquitatis, ipsiusque* sceleratum caput. *Et tunc revelabitur Sceleratus ille, quem Dominus absumet spiritu oris sui, & claritate adventûs sui abolebit.* Hinc quæ prodeunt è Solio Christi fulgura & tonitrua, hoc tempus respiciunt. Et in visione *Danielis* Solium Dei dicitur in illo die, *ut scintillæ ignis, rotæ ut ignis ardens. A cujus conspectu fluvius ignis manabat prodiens, cui millies mille ministrabant. Et corpus Bestiæ traditum fuit incendio.* Eandem Bestiam apud Sanctum *Johannem in stagno ignis & sulphuris* demersam legimus: quod infra explicabitur.

2 Thess. 1. 7, 8.

c. 2 8.

Apoc. 4. 5.

Dan. 7: 9, 10, 11.

Apoc. 20. 10.

Denique, Quoad ſedem Antichriſti, Babylonem myſticam, hanc igne conſumptum iri ſæpiùs teſtatur Sanctus, *Johannes*, *Apoc. c.* 18. 8. Ideò *unâ die venient ejus* (Babylonis) *plagæ, mors & luctus & fames: & igne exuretur: Quià validus eſt Dominus Deus qui damnabit eam.* Dein, ver. 18. *Clamabunt videntes fumum incendii ejus, & dicent, quæ ſimilis urbi iſtæ magnæ?* Idem fumus Babylonis memoratur, *cap* 19. 3. ſub nomine *magnæ meretricis: Meretrix* enim eſt *urbs illa magna*, ipsâ Scripturâ interprete. *Apoc.* 17. 18. Denique quæ citavimus ſuprà ex *Iſaia* Propheta, *cap.* 34. 8, 9, 10. de *Babylone* Aſſyriorum, vel de *Terrâ Idumeâ*, huc ultimò reſpiciunt. *Cùm dies ultionis Jehovæ, annus retributionum ob cauſam Zionis, erit; mutabuntur torrentes ejus in picem & pulvis ejus in ſulphur; Eritque Terra ejus pro pice ardenti. Noctu & interdiù non extinguetur, in ſeculum aſcendet fumus ejus.* Ipſiſſima eadem verba repetit *Johannes* de incendio meretricis ſive Babylonis myſticæ, loco ſupra citato, *Apoc.* 19. 3. Deinde *ſecundò dixerunt, Halleluia, & fumus ejus aſcendit in ſecula ſeculorum.* Et apud *Iſaiam* c. 13. 19. Deus ait ſe ſubverſurum eſſe Babylonem eo modo quo olim ſubvertit Sodomam & Gomorram. Neque mirandum eſt Prophetas veteres ad tam longinqua tempora reſpicere: nihil enim iis ſolennius; & per totam Scripturam Propheticam, ut in magnis viris & bonis principibus eſt aliqua adumbratio Meſſiæ ſive Chriſti: Ità in malis principibus & Eccleſiæ hoſtibus erat quædam præfiguratio Antichriſti; Et quas, eorum ſedibus, civitatibus, imperiis, clades & exitia minantur Prophetæ, ex parte advenerunt typis, ſed, non niſi in Antitypo, integrè & omnibus ſuis numeris explenda ſupererant. Sed de his omnibus ſatis.

Et Jerem. 51. 25.

Expoſitis hoc modo, ſecundùm literas ſacras, futuro Chriſti adventu, & Antichriſti ipſiuſque ſedis excidio, patet, opinor, non deeſſe fundamentum ſententiæ noſtræ, quæ à ſede Antichriſti incendium generale exorditur; ſuadeque ratio juſti & decori, ut in hâc vindictâ divinâ, primarius Chriſti hoſtis & apoſtaſiæ caput, primus omnium pœnas luat. Quòd ſi, miſsâ Scripturâ Sacrâ, ex contemplatione naturæ quærendum eſſet, Quæ loca terrarum, vel Chriſtiani orbis, arſura ſint primùm, diximus ſuprà, non tam id definiri poſſe, quàm, quæ loca ſint maximè obnoxia flagrationi; Huic autem maximè obnoxiæ ſunt regiones illæ, quæ, quoad formam,

mam, ſunt cavernoſæ: & quoad materiam, ſulphureæ. Neque hoc, opinor, demonſtratione indiget. Cùm verò ex dictis probabile ſit, Chriſtum è Cœlo appariturum eſſe in medio orbe Chriſtiano, & antè ipſius faciem incepturum eſſe incendium, Quærendum erit tantùm, quis tractus terrarum, intra ambitum orbis Chriſtiani, his notis & indiciis maximè reſpondeat. Ego quidem nullum novi, intra illum ambitum, magis cavernoſum & ſulphureum, quam Maris Mediterranei oram *Europeam*. Ubinam tot montes igniti? Tot cavi & cavernoſi terrarum tractus? Et, qui ab his omnibus dependent, tot Terræmotus? Cùm igitur in hoc terrarum tractu concurrant, aut facilè concurrere poſſint, omnes cauſæ ex quibus oritur aut augetur incendium, non malè præſumi poſſe videtur, hanc partem Orbis Chriſtiani primas flammas experturam eſſe: niſi conſilio divino aliter viſum fuerit. Præterea, quùm ſemper arſerit hæc Regio, ultra hominum memoriam, & etiamnùm ardeat: non de novo incipere, ſed augeri tantùm & ingraveſcere incendium, ſatis eſt ut ſupponamus. Poſito hîc igitur, per hypotheſin ſaltem, incendii exordio, ipſius incrementa, & progreſſum, & invaleſcentes vires paululùm contemplemur.

Erumpant itaque & exæſtuent quotquot ſunt montes ignivomi in orâ Mediterranei: *Veſuvius*, *Ætna*, *Strongyle*, *Hiera*, & reliquæ inſulæ *Vulcaniæ*. Aperiantur præterea in montibus *Appenninis* novi hiatus incendiarii: divulſis jugorum verticibus vi Terræ-motuum, & intùs accenſis fumis. Dein ſubardeat ſolum in locis ſulphureis ac concavis: Et cœleſtibus ignibus inflammetur aër. Fac, ut coëant hæ cauſæ, quæ facilè coire poſſunt: Et, ex his unitis, præeunte magnâ ſiccitate, quâ omnia ad igneſcendum præparantur: facilè credes, obrutum iri, quaſi primo impetu, totum illum terrarum tractum, fumo & flammis involutum.

Primo impetu ſuffocati perirent homines & animalia: dein, furente incendio, magna ſtrages urbium & oppidorum: Sylvarum, camporum, & omnium rerum in Telluris ſuperficie, ab his terræmotibus, & ab hâc exundatione ignium è montibus, ſequeretur. Nam, ab his fornacibus diſruptis, præter fumos & flammas, liquefacti metalli fluvii emanabunt, vel effundentur: qui, torrentium inſtar, per vicinos agros decurrentes, obvia quæque vel ſuo ardore inflammabunt,

mabunt, vel profternent ſuo impetu. Hujus rei exempla minora, ſeu ſpecimina quædam, habuimus in multis horum montium incendiis: Sed quantum diſtant inundationes hybernæ, à *Diluvio:* tantum omnes, qui præterierunt, *Ætnæi* & *Veſuviani* æſtus, ab his extremis vincentur. Prætereà, ut rivi à diverſis fontibus orti, inter eundum ſæpè concurrunt, & in magnos fluvios intumeſcunt: ità multi erunt, tunc temporis, ſulphuris, picis, bituminis, aliûſque materiæ ignitæ rivi rivulique, à diverſis montibus incenſis, aliiſve ſcaturiginibus fluentes: Qui inter volutandum, ubi alii in alios inciderint, immanes turbidi ignis fluvios component, quovis *Phlegetonte* ardentiores.

Notandum porrò, præter hos fluvios ignitos qui humi provolvuntur, Ignis per aërem projicietur, ab his montibus ignivomis: idque in longinquas regiones aut Civitates. Magna fruſta materiæ ignitæ, ſaxa excandeſcentia, & variorum generum moles ardentes, longè ejaculabuntur; ut nihil tutum eſſe poſſit ab his bombardis, neque in proximis, neque in remotis. Quemadmodum enim, in hodiernis bellis ad incendendum Civitates, emittunt ex machinis quibuſdam bombardariis globos igneos, ſive teſtas metallicas fomite igneo repletas, quæ ſuo pondere confringunt ædes, atque ſuis ignibus inflammant: Ità hos montes ignivomos, pro tot Stationibus bombardarum numerare licèt, à quibus iratum numen Ignes miſſiles in inimicos projiciet, cùm indignationis ſuæ & vindictæ advenerit tempus. Neque in his aliquid novi, aut à fide alieni comminiſcor, ſed quæ ex omnium hiſtoricorum fide de his montibus accepimus, ea majora & vehementiora æquum erit ſupponere, in hâc extremâ naturæ luctâ aut diſſolutione.

Supereſt, ut aliquid dicamus de Terræmotibus eorumque effectis; A quibus, cùm vehementiores fuerint in hoc rerum æſtu, multæ ſtrages orientur: in evertendis urbibus, in demoliendis arduis terrarum & locis editioribus, & in eructandis aquis Sulphureis. Id quidem ſæpè accidet in progreſſu Incendii, ut concuſſâ & ſubſidente terrâ, urbes abſorbeantur, idque aliquando in ſuppoſitos lacus ſulphureos; Nam multa erunt ſtagna ſubterranea liquidi ſulphuris vel alterius ignis, cùm aliquamdiù invaluerit incendium, ut infra monſtrabitur. Atque hoc modo perituram eſſe Babylonem myſticam, ex

ex verbis Sancti *Johannis*, & ab exemplo *Sodomæ*, non improbabile mihi videtur. Inquit Sanctus *Johannes*, *Apoc.* 18. 17. *Angelus validus sustulit lapidem instar molæ magnæ, & projecit in mare, dicens, Ità cùm impetu projicietur Babylon, urbs illa magna: nec ampliùs invenietur.* Absorpta, non comparuit ampliùs. *Subitanea* & impetuosa subversio hîc planè denotatur, atque etiam *ignea:* Neque ulla species exitii his verbis & conditionibus aptiùs respondebit, quàm si supponamus Sedem Antichristi perituram esse eodem modo, quo periit olim Sodoma, ipsius typus: per *ignem cœlitùs demissum*, & per *absorptionem in lacum Sulphureum.* Præterea cùm in Apocalypsi dicitur, *Bestiam* & *Pseudoprophetam* prehensos, projectos fuisse vivos in *lacum ardentem Sulphure*, hoc non ità intelligendum esse censeo, ac si quis quadrupedes stringeret, aut manibus pedibusve correptos in stagnum sulphureum projiceret: sed ab inflammatâ & hiante terrâ absorptos periisse. De his autem stagnis sulphureis, quorum frequens fit mentio in Oraculis Christianis: & de consummatione Incendii, jam ultimo loco dicendum est.

Jud. 7. ver. 8. & 10. & 17. ver. 8. & 18. c. 19. 20.

Tempore conflagrationis, & versus finem maximè, multos fore lacus sulphureos: atque unum ingentem in alveo Oceani, ex ipsâ rei contemplatione facilè prævideo. Sunt proculdubiò in cavitatibus montium, & in regionibus cavernosis, multa aquarum stagna: quorum non pauca, æstuantibus & liquefactis montibus, in stagna sulphurea & ardentia convertentur. Omnis enim materia liquefacta, metallica, mineralis, lapidea, aut alia quæcunque, cùm gravis sit, in loca inferiora defluet, &, modò via pateat, in cavitates terræ: sive aridas sive aqueas; Cùm verò aquæ, ex æstu, tunc temporis, tàm interno quàm externo, plurimùm diminutæ fuerint, parum supererit in his cavitatibus præter liquores ardentes. Fient etiam de novo aliæ cavitates, subesâ & subustâ terrâ multis in locis.

Rebus sic se habentibus, Supponamus fieri Terræmotus & concussiones: Fient enim usque & usque, ab inclusis & inflammatis exhalationibus, donec tota terra exterior adeò fracta, soluta, & aperta fuerit, ut non possit esse carcer aut obstaculum exeuntibus fumis flammisve; ab his, inquam, Terræmotibus, ruent sæpè montes, aut magnæ molestractusve terrarum, in suppositas Voragines: Et quemadmodùm in aliis

Ter-

Terræmotibus ſæpè fieri ſolent eruptiones aquarum & regionum vicinarum inundationes: Ità in his, loco aquarum, torrentes & profluvia liquidi ignis ex diſruptis terræ viſceribus ejicientur; Qui, inſtar antiqui Diluvii, cùm aquæ eruperunt ex Abyſſo, obruent & inundabunt finitimas terras. Saltem hoc modo fient plurimi lacus Sulphurei in ſuperficie Telluris, vel in locis ſubmontanis & depreſſioribus; ſubſidente quandoque ſuâ ſponte ſubuſto Solo, quandoque terræmotibus diffracto.

Prætereà obſervandum, ex his cauſis & ſimilibus, minora maria, aut ſinus Maris, effectum iri ſulphureos; Atque ut ab uno exemplo cætera diſcamus, mare Mediterraneum intueamur. Suprà diminuimus hoc mare, & in multò minus Spatium reduximus, deſiccatis fluviis & obſtructo utroque oſtio, quibus ſuas aquas recepit, hinc ab Oceano, illinc à Ponto; Derivatâ prætereà per ductos ſubterraneos, per quos conſtat ſeſe clàm effundere, portionis reliquæ parte non exiguâ. In hoc ſuæ tenuitatis ſtatu, ſi devolvantur ex vicinis montibus ignivomis quædam flumina materiæ ignitæ, ultimæ illæ aquarum reliquiæ, quæ ſuperſunt in fundo vaſis, ab hiis victæ & ſenſim commiſtæ, in quendam *Aſphaltitem* aut Stagnum Sulphureum convertentur. Neque hoc mirum videbitur iis, qui ſecum recolunt, quot ſunt montes ignivomi in inſulis aut in orâ Maris Mediterranei: Quantum materiæ liquefactæ quandoque projiciunt: Et quot prætereà oriri poſſunt novi ignium fontes, cùm omnium corporum igniferorum clauſtra laxabuntur.

Sed non tantùm Sinus Maris, ſed tota reliqua moles Oceani, in ſtagnum ardens Sulphure tandem mutabitur. Supponimus Oceanum diminutum & contractum eo modo quo anteà dictum eſt, Capite præcedente: atque omnes cauſas exiccationis aut ignitionis concurrere quas jam de mari Mediterraneo recenſuimus; Ad hæc, Natura, quæ ſemper Dei ſequitur partes, in hoc ultimo maximoque ignis & aquæ conflictu, omnes ſuas copias educet, omnes ſuos theſauros occulti ignis aperiet & expromet: Et in ipſo fundo Maris, in intervallis Inſularum & prope littora, ignes & monticuli ignei exorientur: quod non ſemel contigiſſe in *Archipelago*, & in *Azoribus* inſulis, fruſtrà reluctantibus aquis, teſtantur hiſtoriæ. Id verò maximè notandum eſt, corpus telluris magnâ

magnâ ex parte flammis diſſolutum eſſe ante hoc extremum prælium Vulcani & Neptuni: atque ex hâc diſſolutione decurrere jam in Mare, per veterum fluviorum alveos, reſoluti Sulphuris, fuſi metalli lapidumque, & variæ materiæ ignitæ rivos: qui, quod reliquum eſt humoris aquei, facilè diſſipabunt & obruent; Aqua enim dulcis, quæ eſt pars ipſius leviſſima & tenuiſſima, in vapores abibit: & reliqua craſſior & ſalina, cum ſulphure & liquidis metalliis permiſcebitur. Quare, ſæviente magis magiſque incendio, cùm, liquefactis montibus, mille rivi ardentes in hanc voraginem refundentur, magnus ille & mirabilis Oceanus, ubi jam *incedunt Naves*, ubi ludit *Leviathan*, & innumera Squammigeri generis animantia: In Lacum ingentem, Sulphure & Sale, cœruleis flammis & ſuffocantibus fumis, ardentem, convertetur.

Cùm Tellurem contemplor ſub hâc formâ & in hoc ſtatu, *Torculare Dei* ante oculos habere videor. Cùm montes depreſſos, & expreſſos liquores, lacumque ad hos recipiendum, intueor, illud, inquam, *Torculare Dei*, cujus non ſemel meminit Sanctus *Johannes*, videre mihi videor: Illamque *Vineam Terræ*, cujus uvæ, jam maturæ, comprimuntur & conculcantur: exitque *vinum furoris Dei omnipotentis.* Angelus ille *Vindemiator*, in *ignem poteſtatem habere* dicitur: cúmque in fine mundi & ultimâ iræ divinæ effuſione, hoc Torcular calcandum ſit, idque per Chriſtum: ut ex iiſdem locis patet: nihil video quod huic repræſentationi aptiùs reſpondere poſſit, quàm hæc ſuccorum igneorum expreſſio in ſinum Maris: ſive ſit per totam Terram, vel aliquam ipſius regionem, ubi hæc calcatio incipiet: atque ira Dei maximè effundetur. Dein, pari ratione, *MESSIS* vel demeſſio quæ præceſſit vindemiam, erit defloratio illa, vel devaſtatio Terræ, quæ facta eſt à primo impetu incendii: nondum liquefacto aut diſſoluto Telluris corpore. Et denique illud *Mare vitreum, igne permixtum*, quod Torcularis calcationem ſequitur, ſit illa *Conſummatio Incendii*, quæ jam ſola reſtat explicanda.

Apoc. 14. 18, 19, 20.

c. 19. 15. & c. 14. 10.

c. 14. 18.

c. 15. 2.

Notandum igitur ultimò, non modò Oceani alveum, ſed totam Terræ faciem mutatum iri in Stagnum Sulphureum; Cùm hoc diluvium ignis omnes omninò regiones inundaverit & demerſerit. Quod, quâ ratione fiet, non arduum erit ſcitu, ſi rerum conſequentias attendamus. Nam, ubi plures fuerint hujuſmodi Lacus Sulphurei in ſuperficie Terræ, plu-

res etiam ſub radicibus montium, atque plures inde rivi ardentes deſcenderint in Oceanum : hic Oceanus Sulphureus, ut ſolebat anteà aqueus, ſe exonerabit itidem, per ductus ſubterraneos, in interiora Terræ, arrodens & inflammans ipſius viſcera : unde tota Telluris compages ſuperior brevi diſſolvetur ; corruent montes, liquefient Saxa & Scopuli, atque moles terræ, interiùs exteriúſque, ubique flagrabit. Poſtremò, ut omnium exitum videamus, & ardentis Naturæ faciem ultimam, Hic Oceanus igneus per totum terrarum orbem ſe diffundet, omnemque ipſius Superficiem, inſtar Diluvii, cooperiet : complanatâ Terrâ, diſſolutis omnibus corporibus, liquefactis, & in fluorem candentem converſis : Hoſtibuſque Dei, & Chriſti, inſtar exercitûs Pharaonis, in hoc *mari rubro* demerſis & triumphatis.

CAP. XI.

Phænoménωn, aut Oſtentorum, quæ, per Oracula Sacra, Telluris conflagrationem præcedere aut comitari dicuntur, ex jactis fundamentis, explicatio.

QUùm adventûs Chriſti & incendii mundani, tanquam comites aut præcurſores, adfutura ſint ſigna & prodigia in Cœlo & in Terrâ, quæ ab oraculis ſacris referuntur : Hujus incendii cauſas & conditiones ſi rectè explicuimus, harum etiam rerum adjunctarum rationes ex iiſdem fundamentis innoteſcent. Et viciſſim, Si explicatio noſtra reſpondeat omnibus Incendii Phænomenis, quæ, vel ex naturâ rei, vel ex Sacris Literis peti poſſunt, examen ſuum ſubiit, & pro verâ habenda eſt, licet in multis fieri poterit emendatior.

Loquimur autem hîc de ſignis naturalibus, quæ ad mundi machinam ſpectant : *Cœlum, Solem, Lunam, Stellas :* vel *Terram, Mare, Montes,* & ſimilia ; Et ne in his explicandis fruſtrà operam impendere videamur, primùm diluenda eſt objectio, vel interpretatio eorum, qui hæc prodigia, non ſenſu literali,

literali, sed allegorico, exponenda esse sentiunt: ideóque Solem, Lunam, Sidera, Terram, Mare, & alia, ad potestates graduſque seculares, Principes & populum, detorquent; Hi inquiunt, percellentur omnes & confundentur miris modis in adventu Christi, totaque gens humana perturbabitur, & exinde dictum esse, obscuratum iri Stellas, & concuti & convelli Tellurem, ac si Cœlum Terrâ commistum esset.

Probare autem satagunt hanc suam expositionem à Prophetiis Veteris Testamenti, ubi idem occurrit Stylus, eædem Phrases, de Sole & Lunâ obscuratis, de Terrâ suo loco excussâ, & similibus portentis, cum gentis alicujus aut populi futura clades describitur: Neque tamen in vaticiniorum istorum completione hunc Naturæ tumultum aut confusionem contigisse legimus; ita, exempli gratiâ, ubi vindictam de *Babylone* sumendam prædicit *Isaias*, inquit, *Stellæ cœlorum & Sidera eorum lucem non dabunt, tenebrosus erit Sol in exortu suo, & Luna splendidam non edet lucem suam.* C. 13. 10. Neque alitèr *Ezekiel*, cùm de ultione *Pharaonis* agit, *cap.* 32. 7. atque de ipsis Judæis alii Prophetæ.

Rectè hæc dici de Vaticiniis nonnullis Veteris Testamenti non diffiteor: Consimilibus usi sunt loquendi modis Prophetæ cùm clades minores describerent: nempe Gentis alicujus, aut Populi, aut Urbis, aut Imperii; Id verò ab iis, aut à Spiritu Sancto, propterea factum esse dico, quòd hæ clades typi essent aut adumbrationes magnæ illius mundanæ sub adventum Christi futuræ: atque hæ vindictæ minores, aut judicia Dei in gentes singulares, universalis illius in omnes Christi hostes, pignora & præludia. Ità permiscentur à Christo, de gente Judaicâ, de Hierosolymis, & de mundo dissolvendis, vaticinia, quòd hæc dissolutio alterius typus esset. Mat. 24. Non igitur mirandum has clades à Prophetis hyperbolicè describi, & per ea quæ non tam sibi propria sunt, quàm suis antitypis; Id quod in vaticiniis typicis, sive de personis, sive de rebus, non infrequens esse in Stylo Prophetico omnes nôrunt.

Præterea, in hujusmodi vaticiniis, ea quæ typo figuratè accommodantur, sæpè in antitypo, sive ultimo complemento, expressiùs & juxta ipsam literam eveniunt. Hujus rei singulare exemplum habemus in Apocalypsi Sancti *Johannis, capite sexto:* ubi de excidio Imperii Romano-Ethnici

agitur ; quod versu duodecimo & sequentibus, iis verbis rerumque imaginibus adumbratur, quæ mundi fini & excidio describendis verè respondent. Quæque anteà à Prophetis & Evangeliſtis adaptata fuiſſent ad extrema illa tempora depingenda. Illud igitur semper notandum, Quò tendant & collimant ultimò, vaticinia ; Nam, quæ clades Urbium, Gentium, & Imperiorum, in utrovis fœdere, designant, utì *Babylonis, Hieroſolymæ, Imperii Romani,* & aliorum, ea omnia in ſupremum mundi interitum & conflagrationem, tanquam fluvii in Oceanum, refunduntur. Hæc *πανολεθεία* omnia abſorbet, atque omnium ideas complectitur. Atque hæ partium & membrorum ſtrages, cùm totius & univerſalis ſint quædam umbræ & imagines, in Prophetarum animis Scriptiſque, iiſdem ferè coloribus exprimuntur ; Licet, cum tantâ ſimilitudine, ea etiam ſit diſſimilitudo, quæ eſt inter corpus & corporis umbram.

Denique, cùm ipſi authores ſacri ſigna moralia, ut dicuntur, ab his naturalibus diſtinguant : & præter bella, perſecutiones, & mala Eccleſiæ, has mutationes aut prodigia in Cœlo & in Terrâ, ſeorſim memorent, tanquam alterius ordinis Characteres : ineptum eſſet, per neſcio quas allegorias, hæc iterùm confundere. Atque, ut verum fateamur, facit ſæpè naturalis ſcientiæ inopia in Interpretibus Sacrarum Literarum, ut loca duriora quæ ad mundum naturalem ſpectant, facilè ſinant in allegorias liqueſcere, quo ignorantiam ſuam occultent. Nos autem regulam interpretandi notiſſimam & ſimpliciſſimam ſequimur, *Non recedendum eſſe à literâ, niſi ab eâ nos depellat rei natura & neceſſitas.* Quod adeò locum non habet in hoc caſu, ut fieri non poſſit Telluris conflagratio, niſi comitantibus & præcedentibus hujuſmodi Phænomenis. Ad eorum igitur explicationem jam rectà pergamus.

Illuſtris eſt imprimis Sermo Chriſti de excidio Hieroſolymæ & de fine mundi, ubi hæc Phænomena recenſentur, ſupremæ conflagrationis præludia, ut ex collatis Evangeliis patet. *Terræmotus, Maris & Fluctuum marinorum fremitus,* ac *montium & vallium adæquatio,* quod ultimum ex Prophetis & Apocalypſi magis innoteſcit. Dein quoad Cœlum, *Solis & Lunæ obſcuratio* aut vultus ſanguineus, *poteſtatum cœleſtium concuſſiones, fulgura,* & *Stellarum caſus.* Dira quidem hæc rerum facies : triſtis

triſtis & turbulenta Cataſtrophe ; Suppoſitâ tamen Telluris conflagratione, eo quo dictum eſt modo, hæc non alitèr ſe habitura eſſe, ex ipſo rei intuitu facilè quis dixerit.

Primùm, quoad Terræmotus, ſi ab inflammatis ſpiritibus proveniant, imminente conflagratione cùm aliquamdiù exiccata fuerit terra, & laxati ignes ſubterranei, ad hæc conſequens erit, augeri & abundare halitus inflammabiles intra terræ viſcera, & per omnes ipſius cuniculos & meatus ſe diffundere ; Quoties igitur contigerit hos fumos halituſque, pingues & nitroſos, accendi, ſubito impetu expanſi & rarefacti, inſtar pulveris pyrii in ſuis cuniculis, incumbentem terræ molem, urbes, agros, ſcopulos, quicquid fuerit, concutient & evertent : Sæpè etiam, apertis terræ faucibus, intùs haurient & deglutient.

Neque tantùm frequentiores erunt terræmotus, propter illam fomitis ignei copiam, ſed etiam majores ; meatus enim & cuniculi ſubterranei, ab hoc calore & ſiccitate ampliores fient & longiùs protenſi, apertis ruptiſve ſeptis quibus anteà intercluſi fuerant : unde, factâ incenſione, vis ictûs pertinget ad magnos & immenſos terrarum tractus. Et ſi hodiè multas Urbes unâ nocte proſtratas legimus Terræmotibus ; Strab. lib. 11.
& apud *Ragas* olim, referente *Poſidonio*, pagos bis mille, præter urbes complures, iiſdem ſubverſos fuiſſe : Si, inquam, in hodiernâ naturâ tanti motus excitantur, tunc temporis auctis ex omni parte cauſis, facilè credo earum vires ſufficere Apoc. 16. 18. 20.
poſſe ad concutiendum maximas Inſulas, aut etiam totas Continentes.

Non itaque mirabimur in Sacris Literis toties memorari Terræmotus futuros in die illo furoris Dei : aut inde turbari Naturam eo modo quo rem depinxêre Prophetæ ; Audiamus *Ezekielem* : *Zelotypiâ meâ, igne furoris mei loquar : Certè* c. 38. 19.
die illo erit concuſſio magna in terrâ Iſraelis ; Adeò ut concutiantur 20.
à facie meâ piſces maris & volucres Cœli, ac beſtiæ agri, & omnia reptilia reptantia ſuper terram, omneſque homines qui erunt in ſuperficie terræ. Et diruantur ipſi montes concidantque præcipitia, & omnis murus in terram corruat. Audiamus alterum Prophetam, *Iſaiam* : *Pavor, & fovea, & laqueus imminent tibi, habi-* c. 24. 17, 18, 19.
tator Terræ.---Cataractæ ex alto aperientur, & concutientur fundamenta terræ. Omninò confringetur Terra, omninò diſrumpet ſe Terra, omninò nutabit Terra. Agitabit ſe Terra tanquam ebrius,

&

& vacillabit ut tugurium aut tabernaculum, Vides, quam rerum faciem, quas ruinas & ſtrages, nobis exhibent Prophetæ. Ineptiunt planè, qui hæc reſtringunt ad *Judæam,* alio modo quàm quo ſupra dictum eſt, ut totius terræ typum: unde, ſub ipſius ſpecie, quæ reverà in fine mundi eventura ſunt, repræſentantur. Sed errorem illum errarunt multi, de utroque mundi excidio, utroque diluvio, aquæ & ignis, quòd ea tranquillè peragenda eſſe ſenſerint; illud habuere tantùm inſtar univerſalis Stagni, orti ex immodicis pluviis, & maris & fluviorum inundatione, ſine ullâ confractione Telluris; In hoc itidem, leni & lentâ flammâ conſumptum iri Terram, inſtar ceſpitis aut pinguis glebæ: tacitè & ſine ſtrepitu; Tam Sacra Oracula, quàm Naturam ignorant, qui ità ſentiunt. Peribit Tellus in incendio, mille modis læſa, fracta, divulſa, concuſſa: ignibus nitroſis, & ſpiritibus acribus accenſis, qui impetu & diſploſione agunt, dilacerabitur & torquebitur: & inter flagrandum omne genûs Strages & ruinæ concurrent: Concuſſiones, diſruptiones, everſiones: Montium, Inſularum, Urbium, & magnorum terræ tractuum. Denique, ſuſque deque verſis omnibus, tota moles exterior in Chaos igneum redigetur. Hæc de Terræmotibus.

Luc. 21. 25. Sequitur, *maris fluctuumque marinorum fremitus.* Motus illos maris, ſonituſque, qui à procelloſis ventis oriuntur, non hîc intelligendos eſſe cenſeo: Nam quæ à cauſis manifeſtis & conſuetis proveniunt non ſolent percellere animum, neque res hujuſmodi terrorem incuſſiſſent incolis Terræ. Dicitur autem, *Fuit anxietas gentium in terrâ, in conſilii inopiâ: reſonante mari & ſalo.* Hoc eſt, propter agitationem ſtrepitumque maris. *Exanimatis hominibus præ metu & expectatione eorum quæ terris ſuperventura eſſent.* Hos igitur motus fremituſque maris, de quibus loquitur Evangeliſta, à procellâ *Surdâ,* quam appellant, potiùs petendos eſſe dicerem; cùm, tranquillo aëre & ſilentibus ventis, mare iratum & tumultuoſum eſt, ſonituſque edit inſolitos: idque, ut videtur, ſine cauſâ. Hoc autem Phænomenon originem ducit, ni fallor, ab exhalationibus ſubmarinis; quæ proveniunt, vel à ductibus terræ exeuntibus in mare, vel ab ipſo fundo maris: ubi teſte experientiâ, fiunt quandoque terræmotus, quandoque eruptiones igneæ.

Quoad

Quoad ductus ſubterraneos, qui in mare exeunt, cùm, aquis anteà repleti, areſcentibus fluviis, jam ventis & exhalationibus repleantur, ab his agitatis aut fluctuantibus turbabitur mare; Cujus aquæ prætereà participabunt motus & tumultus, quos anteà deſcripſimus in terrâ, vel à tremore ſoli, vel per halitus illos, communicatos. Dein, habebit mare ſuos terræmotus ſibi proprios: Sentiunt enim Nautæ motus ſub mari, & concuſſiones aquarum quæ è fundo proveniunt: quæque & fortiores erunt & ſæpiùs repetitæ, impendente incendio. Denique, erunt eruptiones igneæ in mediis aquis; ejectis quandoque novis terris, aut inſulis ardentibus. Hujus rei tentamina habemus in hodiernâ naturâ: referunt enim hiſtorici *Vulcanias* inſulas, aliaſque, ita natas eſſe, ab eo genere Terræmotuum, *qui humum intùs ſuſcitantes, ſurſùm propellunt immaniſſimas moles.* Fertur prætereà Inſulam in Archipelago inter Theram & Thereſiam, erumpentibus flammis ſubmarinis, hoc modo factum fuiſſe. Audiamus *Strabonis* verba in hâc re, Ἀνὰ μέσον δὲ Θήρας καὶ Θηρασίας, ἐκπεσεῖσαι φλόγες ἐκ τῆ πελάγες ἐφ' ἡμέρας τέσσαρας, ὥστε πᾶσαν ζεῖν καὶ φλέγεσθαι τὴ θάλασσαν· ἀνεφύσησαν καὶ ὀλίγον ἐξαιρομένην ὡς ἂν ὀργανικῶς, καὶ συντεθειμένην ἐκ μύδρων νῆσον, ἐπέχουσαν δώδεκα σταδίων τὸ περίμετρον. Quod ita reddit interpres, *Medio inter Theram & Thereſiam loco, è mari flammæ emicuerunt per quatuor dies, adeò ut totum ferveret atque arderet Mare; Eæque flammæ paulatìm, elatam veluti inſtrumentis quibuſdam, atque è maſſis compoſitam, Inſulam ediderunt: ambitu duodecim Stadiorum.* In eodem Archipelago, & propè eundem locum, ſæpiùs accidiſſe non diſſimile exemplum videre licet apud alios hiſtoricos: potiſſimùm anno 1650. Cùm, Terrâ concuſsâ, intumuit mare, eruperunt flammæ è mediis aquis, & graveolentes fumi, aëremque fuſcum variis ignium formis repleverunt. Denique, ſimiles motus & eruptiones contigiſſe referunt ad Inſulam Sancti *Michaelis* inter *Terceras*; idque in oceano profundo brachia centum ſexaginta. Narrante *P. Gaſſendo*, ex teſtibus fide dignis.

Am. Marcel. l. 17.

lib. 1.

Plut. de Pyth. Orac.

Baron. ad an. 726. ex Theophane.

Kirch. mun. Subt. l. 4. c. 6. l. 1. ſec. 3. c. 6.

Ab hujuſmodi motibus & eruptionibus ſubmarinis, mare irrequietum, terbulentum, ſonorum, & aſpectu horridum fiet. Atque hæc initia malorum, omni navigationi, gentium commercio, & negotiis marinis obicem ponent; Nautis, populis maritimis, & inſularum habitatoribus, præ metu languentibus

guentibus & exanimatis: triſtia fata quæ mortalibus imminent, cum ſummo animi æſtu & anguſtiâ expectantibus; juxta Sermonem Evangeliſtæ. Denique, Quoad Montium & Vallium adæquationem, cujus anteà meminimus, id explicatione ulteriori non indiget: cùm manifeſtum ſit, progrediente incendio, ruituros eſſe omnes montes, & eorum ruinis repletas fore valles. Cúmque omnia tandem fuerint, juxta ea quæ capite præcedente expoſita ſunt, in ſtatu fluoris ignei, inſtar maris fuſi vitri, patet non magis ullas tum fore Montium & Vallium inæqualitates, quàm ſunt hodiè in ſuperficie maris.

cap. 9.

Ad Cœlorum Phænomena jam pergimus. Solis & Lunæ obſcuratio, aut ſanguineus color, facilè explicatur, incepto jam incendio. Ubi enim fumo & ignibus repleta eſſet Atmoſphæra, obſcuraretur proculdubiò & Solis & Lunæ facies, & totius Cœli: aliamque induerent formam & colorem corpora cœleſtia. Hoc in Ætneis ignibus contingere ſolet, ut vidimus ſuprà ex *Xiphilino*; cui adde verba *Ciceronis: Nos autem tenebras cogitemus tantas, quantæ quondam eruptione Ætneorum ignium finitimas regiones obſcurâſſe dicuntur: ut per biduum nemo hominem homo agnoſceret; cùm autem tertio die Sol illuxiſſet, tum ut revixiſſe ſibi viderentur.* Credo quidem Solem & Lunam, pendente incendio, multos ſubituros eſſe mutationes & formarum vices: pro ratione ignium, fumorum, cinerum, fuliginum, flammarum, quæ aërem intermedium occupaverint; nec tam mundi Luminaria jam referrent, quàm, neſcio quos, turbidæ lucis grumos. Quandoque Sol apparebit ſolito major & iracundior, inſtar ſanguinei montis, in cœlo penduli: Quandoque palleſcet, aut ferrugineus videbitur: & quandoque, piceâ caligine interpoſitâ, penitùs abſcondetur. Imò, fieri poteſt, ad augendum rei horrorem, per totum Cœlum & per omnes Planetas, ut Sol, obductis in faciem maculis, reipsâ obſcuretur: & hæreat in medio Planetarum ſine luce, quaſi mortuus. Dirum hoc eſſet Spectaculum circumpoſitis mundis: qui Flammantem Tellurem vice Solis haberent, &, à ſedibus noſtris accenſis, omnem ſuam lucem & calorem acciperent.

2. De Nat. Deor.

Neque tantùm poſt eruptionem flammarum mutabitur Cœlorum vultus, ſed etiam eâdem ingruente; Quemadmodùm enim ante pluviam delapſam, ſentimus ipſius effecta;

aut in corpore noſtro aut in aliis rebus, ob mutatam jam Atmoſphæram: atque alia animantia, adhuc citiùs, novas illas aëris diſpoſitiones percipiunt; ità mutationes quæ fient vel in Terrâ vel in Aëre, appropinquante incendio, ſuos habebunt effectus in Atmoſphæram Telluris, & exinde in Phænomena cœleſtia: (id quod ſolet evenire ante æſtus Ætnæos) vel ad minuendam vim lucis, vel eandem variis coloribus inficiendam; Et ad hæc duo capita reduci poſſunt, quæ de Sole & Lunâ prædicuntur.

Sequitur jam *Poteſtatum Cæli concuſſio.* Ubi autem conſtiterit quod *Cælum* hîc intelligendum ſit, conſtabit etiam quæ *poteſtates* ſint intelligendæ. Cœlum verò eſt, aut aërium & ſublunare, ubi Meteora: aut Planetarium, ubi Planetæ: aut Æthereum, ubi Fixæ; Si de hoc tertio Cœlo intelligatur hæc concuſſio, erit apparens tantùm: Scilicet tremor quidam aut vacillatio fixarum, ex incerto motu aut formâ Atmoſphæræ noſtræ, exhalationibus in eâdem huc & illuc fluctuantibus. Nam Telluris noſtræ incendium, Cœlum illud tertium reipsî attingere non poteſt, neque alitèr afficere aut mutare, quàm quoad viſum: quo forſan judice, cùm Terra tremit, illud domûs noſtræ Stellatum laquear concuti & fluctuare videbitur.

Quoad Cœlum ſecundum, Cùm in eodem magno Vortice, cum cæteris Planetis nos unà involvamur, neſcio annon Telluris noſtræ concuſſiones, quas crebras ſubibit inſtante incendio, aliquo modo pertingere potuerint ad corpora Planetarum: Saltem ad Lunam, in eodem nobiſcum parvo orbe concluſam. Si tales tantæque ſint, ut ad oras & extremum ambitum Terreni Vorticis propagentur, in contiguos vortices aliquam ſuccuſſionem aut motûs anomaliam imprimere poterunt. Sed, ut verum fatear, maximè inducor ut credam, hanc *concuſſionem poteſtatum cœleſtium*, ſive corporum orbiumve cœleſtium, indicare velle illum motum aut mutationem, quæ, ex mutato Telluris ſitu, ex obliquo in rectum, (cujus ſæpiùs meminimus) in Cælorum facie ſtatim comparebit; ac ſi Stellæ ſuis ſedibus excuſſæ in alias ſedes tranſlatæ eſſent. Et ſi hæc mutatio ſitûs in Tellure, non tota ſimul, ſed per varias ſuccuſſiones contingat, cœlum ipſum jactari videbitur, ſtellaſque concuti & nutare. Præterea, Si per poteſtates Cœli intelligamus, non orbes in ge-

nere, ſed baſes & axes Cœli, unde ipſius ſitus & motus maximè dependent, (quæque ideò *fundamenta, columnæ, cardines,* Cœli aut Terræ, in ſacris literis appellari ſolent) res adhuc propiùs aptiúſque accedit ad propoſitum & explicationem noſtram. Denique, de hâc eâdem concuſſione intelligo Prophetiam *Haggaiæ* ab Apoſtolo *Paulo* repetitam ad *Hebræos,* *Adhuc ſemel ego concutiam non ſolum Terram, ſed etiam Cœlum.* Quod non dicitur tantùm de duplici Chriſti adventu, aut æconomiâ duplici, figuratè: ſed etiam de duplici excidio mundi: juxta literam; atque ea concuſſio Cœli & Terræ ſemel facta eſt in Diluvio aquarum, iterumque facienda in conflagratione mundi. Sed de concuſſione Cœlorum ſatis.

C. 2. 6.
C. 12. 26.

Quod autem ſequitur ultimò, Fore *fulgurationes* & *Stellas Cœlo caſuras* eſſe, Hoc quidem de Cœlo aërio & infimo libenter intelligo: cùm nudo ſenſu explicari non poſſit. Nam quas Stellas vis caſuras? Planetas vel Fixas? & quo cadent: in Terram noſtram? Quælibet fixa multò major eſt Terrâ, & eandem ſi attingeret, abſorberet & obrueret. Planetæ etiam, præter unum & alterum, ampliores ſunt globo noſtro: & ſi huc adigerentur illæ moles, hanc Terrellam in milſe fruſta contererent. Præterea, quid fieret poſteà de his aſtris deciduis aut decuſſis? Quis ea ab amplexibus Terræ avellere poſſet, aut amoliri & revehere in Cœlum? Hæc cùm abſona ſint, cogit neceſſitas ut à literâ recedamus, & de meteoris igneis à Cœlo noſtro delabentibus, hæc interpretemur. Credo autem ea meteora, tunc temporis, inſolitâ copiâ, inſtar pluviæ aut imbris ignei, deſcenſura: ut de *vite folia,* aut de *ficu groſſi,* ut inquit *Propheta.* Quemadmodùm enim in Diluvio, cùm regiones aëris refertæ eſſent vaporibus aqueis, decidebant, non guttatim aquæ, ſed per Cataractas & flumina: ità cùm eædem regiones exhalationibus igneis repletæ fuerint, & variè concuſſæ & convulſæ per Terræ-motus, præcipuè verò per magnam illam axis Telluris concuſſionem: non tantùm fulgura volitabunt per aërem ubique, ſed ignis dilabetur in terras per moles & maſſas: ac ſi Stellæ, vel Stellarum fruſta è Cœlo deciderent.

Iſa. 34. 4.

Eſt tamen alia ratio non contemnenda, hoc ſignum, de *Stellis cadentibus* vel *caſuris,* interpretandi: nempè ſi de *Cometis* intelligatur; qui, cùm ab æthereis fixarum regionibus deſcendant in Cœlum noſtrum, Stellæ *cadentes,* vel à ſuis *orbibus*

bibus excussæ, dici possunt. Et cùm hæ Stellæ crinitæ horrorem soleant incutere incolis Terræ, credantur quæ præcedere magnas rerum Cataſtrophas, in hâc omnium maximâ & consummatissimâ, quæ cunctorum simul Imperiorum, Regnorum, Rerumpublicarum fata complectitur, hos diros præcursores non defuturos esse suspicor; quin potiùs repositas esse à Deo, in suis thesauris, hujusmodi extinctas Stellas, vel Stellarum cadavera: instanti funesto illo die in conspectum Telluris demittenda. Sed de his satis.

Denique, ut hoc superaddam, apud Prophetas utriusque fœderis, sæpiùs fit mentio *Grandinis*: prodigiosæ grandinis, futuræ in die Domini. Nec hoc disconvenit calidæ aëris temperiei, vaporibus pleni: prout erit Cœlum nostrum ante incendium. In æstate, aut regionibus calidis, hodiè fiunt maximæ grandinis procellæ: nec calor, nec vapores hîc deerunt: sed oportet ut superveniat ventus frigidus: is autem cùm, in tempestate non frigidâ, reperiatur quandoque in superiori aëre, ut ex hoc ipso effectu grandinis patet: non minùs tunc etiam supervenire poterit; saltem si Angeli, qui temperandis ventis in illo die præficientur, id operis sibi mandatum & commissum habuerint.

Psal. 18. 12, 13. Isa. 30.30. Ezek. 38. 22. Apoc. 11. 19. & 16. 21.

Hactenùs exposui pro virili ea signa aut Phænomena, quæ, in Sacris Literis, Christi adventum, mundique excidium præcedere aut comitari dicuntur. Sunt præterea sparsim multæ in Apocalypsi & apud Prophetas dictiones & sententiæ, quæ, futurum incendium respiciunt: Quæque lucem accipient facilemque explicationem ex jam dictis de eodem & ipsius apparatu. Non mirabimur imprimis, toties memorari in Apocalypsi *Stagnum Sulphureum* aut *Lacum Sulphureum*, in quem hostes Christi, *Bestiam*, *Meretricem*, *Pseudoprophetam*, impiosque omnes, conjectum iri legimus: aut *mare vitreum, ardens sulphure*: cum horum causas & rationes jam viderimus. Neque mirabimur apud veteres Prophetas memorari & prædici *Liquefactionem Montium*, *Liquefactionem Terræ*, *Concussionem Cæli & Terræ*, ut hujus fundamenta, illius cardines, nutent: ut *corruant rupes*, & *colles*, & *omnia loca alta*. Ut *flumina Sulphuris* decurrant in Terrâ, aut *procellæ igneæ* in aëre: Hæc & hujusmodi, tanquam Poëtarum dicta, potiùs quàm Prophetarum, tractarunt nonnulli: mollienda per Allegorias, ne falsi redarguerentur; Cùm reverâ rem ipsam, ut par est, expri-

exprimant, & non nisi per ignorantiam nostram & Physiologiæ inopiam ad sensus allegoricos pertrahantur. Phænomena futuri incendii in Oraculis Sacris, reduci possunt ad Terræ motus & Cœli-motus; liquefactiones, ruinas, & procellas igneas: Et cùm harum rerum rationes manifestas & idoneas exhibuisse mihi videar, quod ad me spectat, si tenues illas & umbratiles amplecterer, ex tropis & figuris compositas, reperto tritico ad glandes redirem.

Denique, coronidis loco, si placet, his dictis Propheticis Sancti *Petri* Sermonem, de mundano incendio, adjiciamus;

2 Epist. c. 3. 7. Cùm dixisset Cœlos qui nunc sunt, & Terram, antediluvianis oppositos, *eodem Dei verbo, reconditos asservari igni, in diem damnationis & exitii impiorum hominum:* Subjungit posteà,

ver. 10. *veniet autem, sicut fur in nocte, dies ille Domini, quo Cœli cum stridore præteribunt: Elementa verò æstuantia solventur, Terraque, & quæ in eâ sunt opera, exurentur.* Memorantur hîc Cœli, Elementa, Terra, cum suis operibus, tanquam partes ejusdem totius; Et quoad Cœlum, idem hîc mihi videtur

Isa. 34. 4. Apoc. 6. 14 *Præterire Cœlum,* ac *complicari* & *convolvi* apud Prophetas: instar libri antiquorum, aut voluminis, cùm eo uti desine-

Isa. 51. 6. & 40, 22. bant. Ità cùm præteribunt hodierni Cœli & ex usu esse desinent, instar fumi in volumina torqueri: aut instar pellis ambustæ, variè convelli videbuntur. Nam ex concursu & turbinoso motu ventorum, varii erunt nubium, fumorum, & aëris, nunc flammei, nunc caliginosi, motus vorticosi & contorsiones: ac si Cœlum ipsum convolveretur. Dicuntur etiam præterire ῥοιζηδὸν, cum *stridente sonitu,* ut ventus sibilans; Qualem stridorem in omni magno incendio, Urbium aut Oppidorum, experimur: cùm à flammis agitatus aër ventum excitat augetque; hunc autem fortiùs excitatum iri, tàm intra quàm extra terram, & stridentiorem fore, res ipsa monstrat. An-

Apoc. 7. 1, 2, 3. gelis etiam, qui cohibiti fuerunt ne relaxarent ventos, donec obsignati fuerint Servi Dei: cùm hoc factum esse par sit antè exortas flammas, dabitur iis jam copia per omnes terræ plagas ventos suos relaxandi.

Per *Elementa,* hîc intelligo potissimùm Aërem & Aquam. Terra enim seorsim nominatur: atque Ignis agit, non patitur. Hæc autem dicuntur præ æstu dissolvi: Scilicet aqua solvetur in vapores & in aërem, amissâ suâ formâ: atque aër igneammotûs vehementiam induet, & instar ignis adu-

ret.

ret. Apparebit prætereà, in regionibus Cœli, quædam diſſolutio horum Elementorum in flammas: tot erunt coruſcationes, tot fulgura, tot formæ igneæ, omnis generis & ab omni plagâ, ac ſi ipſum expanſum aëris in flammas liquefactum eſſet. Denique *Terra exuretur*, cum *ſuis operibus*: hoc eſt, cum ſuo apparatu, cum ſuâ ſupellectile, tàm naturali, Sylvarum, Nemorum, camporum, herbarum, ſegetum, florumque: quàm artificiali, Templorum, Regiarum Arcium, Oppidorum, Urbium, Monumentorum, operumve quorumcunque, quæ, uſûs aut ornatûs gratiâ, humana induſtria paraverat; Hæc omnia communi Rogo conſumpta, in fumos & cineres convertentur.

Cùm jam expoſitæ ſint, non tantùm cauſæ & conditiones, ſed etiam ea Phænomena effectuſque incendii quæ in doctrinâ Chriſtianâ memorantur, plura deſiderari vix poſſunt in hoc argumento: niſi forſan ad probandum omnimodè explicationem noſtram, petatur inſuper ut reſpondeat iis, quæ juxta eandem doctrinam, incendium mundi ſecutura ſunt; Hoc eſt, *doctrinæ de novis Cœlis* & *novâ Terrâ*, ubi hæc exuſta fuerint. Fateor, hoc non minùs apertè aſſeri à Sancto *Petro*, quàm ipſam conflagrationem: ideóque in explicando incendio nullam valere aut recipiendam eſſe hypotheſin, quæ huic futuræ inſtaurationi repugnet. Quoad noſtram, ut omnes partes explêſſe videatur, aut magnis auſis excidiſſe, pergit, in ſequenti libro, ad explicandum hos *novos Cœlos*, *novamque Terram*, ex iiſdem principiis & fundamentis; Quò nihil deſit ad explorandum ipſius veritatem, aut, ſi cunctis reſpondeat, ad confirmandum. Intereà, ut præſenti argumento tandem valedicamus, nitemur brevi deſcriptione, velut in parvâ tabellâ, totius Incendii faciem exhibere.

CAP.

CAP. XII.

Adventûs Chriſti, & Incendii mundani, qualiſcunque Deſcriptio.

SIqua fuerunt unquam in hâc rerum naturâ, in hoc orbe noſtro, magna & miranda ſpectacula, ea jam antè oculos habere mihi videor: dum Te, *Chriſte Deus*, in nubibus venientem aſpicio, cum auguſto Cœlitum comitatu: Et, ex alterâ parte, *Flagrantem Terram* intueor, rerumque omnium humanarum ſtragem & excidium. Hinc, lux, & ſplendor, & cœleſtis apparatûs gloria perſtringunt oculos, dum Cœlum verſus ſpecto: Sed nulla triſtior eſſe poteſt rerum facies, illâ, quæ in terris cernitur; ubi ſævis ignibus ſolvitur Natura, atque unicâ clade tota gens humanà extinguitur.

Longè abeſt, ut me parem eſſe ſentiam, aut huic aut illi ſpectaculo deſcribendo vel explicando. Quis enim deſcendentis Dei majeſtatem exprimere valet? aut ad exercendum pœnas & ultionem prodeunti, Theatrum inſtruere, irato dignum numine? Prætereà, id mali comitari ſolet rerum ingentium deſcriptiones, quòd rarò pro veris habeantur: & quò propiùs ad rei dignitatem & magnitudinem accedunt verba, eò magis ab ingenio conficta videntur, & à veritate aliena. Aſſueti ſumus rebus exiguis in hâc vitâ umbratili, & quæcunque modum noſtrum & minutias ſuperant, ea etiam fidem ſuperant; ſaltem apud illos, quibus cogitationes animi haud ampliores ſunt ſenſibus externis & vitæ quotidianæ negotiolis. Res futuræ, de quibus hîc agitur, cùm omnium maximæ ſint quæ ad mortale genus, aut ad naturam ſublunarem attinent, noſtrûm ſingulorum intereſſe videtur, ut menti, tanquam præſentes, ſemper inhæreant: & eâdem vi nos incitent regantque, ac ſi jam oculis expoſitæ eſſent. Cogitemus igitur etiam atque etiam, & ſæpiùs nobiſcum revolvamus, Primò, *Qualis* futura ſit Cœli & Terræ facies, inſtante Chriſti adventu, & incepturo incendio. Dein, *Qualis* glorioſus ille adventus Domini. Denique, totius incendii, incipientis,

cipientis, graſſantis, exeuntis. *Qualis* forma & aſpectus; ut his imaginibus animo impreſſis rerum ipſarum memoria ſuſtentetur.

Quoad primum, Chriſtus ipſe fore ſignificavit ſui adventûs indicia quædam prænuncia, & fatidica præludia: totamque, ſub illud tempus, conturbatum iri Naturam, quaſi ſui interitûs præſagam. Singulas regiones Univerſi, atque maxima corpora mundi aſpectabilis pati debere mutationem aliquam, ante illum diem, ſemper prodiderunt Sacri Prophetæ: *Solem* & *Lunam* converſum iri in tenebras & ſanguinem; Cœlos concuſſum, lapſuras eſſe Stellas, fremiturum magnum mare: Terra denique tremet, & trajicientur, huc illuc, multa fulgura in caliginoſo aëre. Hunc vultum, ſub adventum Chriſti, induet Natura: & ſi te medium ſiſtas in hâc ſcenâ tragicâ, & circumſpicias undique, quàm lugubria, quàm funeſta ſunt omnia? Præterquàm quod langueant mundi Luminaria, veluti moribunda, vides in Cœlo vagari peregrinas Stellas *Crinitas* aut *Caudatas*: malè conſcias futuræ cladis, & quaſi tædas ferentes in mundi funere. Dein in infimo aëre, mille formas igneas: & quandoque totum ætheris expanſum, inſtar Cœli Empyræi inflammatum. In Terrâ, ſqualent omnia ſiccitate & calore; areſcunt fluvii, ſumant Montium vertices, dehiſcit Solum, atque omnis regio olet ſulphur & ignem. Et quoad mare, hoc dudum deſeruerunt Nautæ, Stagnum putidum, ſine motu: multis etiam in locis flammivomum: ut, à quo maximè cohiberi potuiſſe incendium ſperâſſes, id ei opem laturum eſſe ſentias. Denique, quid agit populus inter hæc portenta! quo animo ſunt Incolæ terræ? Reſpondet Propheta, *In diebus illis*, (ipſiſſimos autem hos dies, & hunc rerum Statum judicat) *exanimabuntur homines præ metu & expectatione eorum quæ Terræ ſuperventura ſunt.* Vix rerum ſuarum ultrà ſatagent, aut vitæ & victui conſulent: vagantur huc illuc, Umbrarum inſtar, pallidi, triſtes, anxii, expectabundi. Luc. 21. 26

Rebus ſic ſtantibus, & compoſitâ hoc modo in horrorem & incendium totâ Naturâ, inopinatò Cœlos aperit, oriente Sole clarior, *Chriſtus Deus*: Et cum lucidis cœlitum turmis è longinquo ſe conſpiciendum exhibet. Huc protinùs omnes conjiciunt oculos, omnes Chriſtiani orbis incolæ in hoc novo ſpectaculo hærent defixi; Suſpiciunt, mirantur, ſtupent.

Tan-

Tandem, facto clamore aut celeuſmâte à totâ turbâ cœleſti, tanquam ad magnum aliquod opus hortantium, aut ad prælium ruentium, Caſtra movent, & verſus terras iter accelerant. Cúmque viam aliquamdiù porrexiſſent, auditur Tubæ clangor: *Tuba* eſt *Archangeli*, omnium nubium fragore vehementior; Auditur, inquam, in terris clangor; Subitò horrent omnes clamantque, intuentes Cœlum, *Vindex Deus venit ad judicium:* cum legionibus Angelorum venit. It clamor per terrarum orbem, cum planctu & ejulatu: neque cuiquam in promptu eſt dicere motus & agitationes animorum ſub hâc conſternatione & horrore; Quæ diſcurſitatio huc illuc, & inutilis fuga: Qui gemitus, & fletus, & clamores, & vociferationes, & tardæ ad Cœlum preces. Improbi homines, læſi numinis, quod jam coram vident: & violatæ Religionis ſibi conſcii; ſe montibus opertos eſſe cupiunt, aut in profunda terræ demerſos, ut quâvis morte ſe ab inſtanti malo redimant.

Sed approperat, inſtat, appropinquat terris Chriſtus, cum cœleſti exercitu; Et jam diſſipatis, fulgore tanto, tenebris & caligine inferioris aëris, in aperto & proximo caſtra ponunt. Ad aſpectum Dei *contremiſcit Tellus*, dilabuntur Montes, turbatur Oceanus: & tota Natura ſublunaris ſuæ vanitatis & corruptionis conſcia, ſibi malè metuit, fugitque ab appropinquante numine. Quid mihi tecum, Domine? quem vix *capiunt omnes Cœli*, quid tu deſcendis ad *ſcabellum pedum tuorum*? Neque hæc levitèr aut temerè dicta putabis, ſi memineris quâ gloriâ depingitur Solium Dei à Prophetis, & in illâ gloriâ & virtute patris venturum eſſe Chriſtum. Fac jam aſtare in propatulo & in viciniâ Telluris, Angelorum myriades myriadum, & diſpoſitos cœlitum ordines per totum æthera: Chriſtumque inter omnes eminere, ut Sol inter Sydera: Quicquam putas mortale, immotum ferre poſſe tantam gloriam? Hanc futuram gloriam, ſi nos hodiè in animo formare & imprimere potuiſſemus, eâdem vi & ordine, quibus obverſabitur oculis hominum in illo die, ipſa rei cogitatio omnes vitæ motus & gelidi ſanguinis ſiſteret & obrueret. Si quid magnum vides in rebus humanis, ſiquid, exiſtimatione hominum, illuſtre & eximium: id hujus eſſe putes, non tàm imaginem, quàm debilem umbram. Exiguus & levis eſt ſplendor Summorum Terræ Principum: maximuſque aut Belli,

Pſal. 18. 7, 8, & 97. 5. & 104. 32. Habac. 3. 6 10. Nahum 1. 4, 5.

Dan. 7. 9, 10. Apoc. 4. Matt. 16. 27. & 24. 30. Apoc. 1.

Belli, aut Triumphi apparatus, quem unquam inſtruxit *Orientis* aliquis aut *Occidentis* Imperator, præ hujus diei magnificentiâ, puerilis pompa videretur. Denique, quantum hominibus præſtant Angeli, quantum utriuſque *Deus-homo*; tantum rerum omnium humanarum celebritatem glorioſus Chriſti adventus ſuperabit.

Antequàm progrediamur ulteriùs, aut ab hoc auguſto cœtu amoveamus oculos, liceat mihi, non digreſſionem, ſed moram aliquam, & meditationem ab argumento non alienam, interponere. Non poſſum non mirari providentiam divinam, & occultam Chriſtianæ Religionis œconomiam, quoties diſpares Chriſti res & ſtatus inter ſe comparo & compono; Et, inter alia, hunc glorioſum ipſius adventum cum humili illo quo olim ingreſſus eſt *Jeruſalem*: inſidens *Aſinæ & pullo ſubjugis Aſinæ*: Stipatus pueris, & populo, & diſcipulis piſcatoribus. Habuit tamen ingreſſus ille quandam ſpeciem Triumphi, & clamabant comites, *Hoſanna* in *Altiſſimis*. Nunc autem, ut vides, non *pullo Aſinino*, ſed *ætheri* & *nubibus* inequitat: amictus luce, & ſtipatus Angelorum Satellitio, inſtar Regis maximi, Victoris, vindiciſque, ad eaſdem terras revertitur. Mat. 21.

Multùm hæc diſtant, & in eodem conveniſſe meritò miramur; ſed majori adhuc fide opus eſt ut credamus, Hunc Deum, eundem eſſe quem olim novimus faſciis involutum: in præſepi reclinatum: vagientem in ſinu matris, quærentem lac & uber cum fame & lachrymis: tenerum & imbecillem infantem: Hunc, inquam, infantem, creviſſe in eum quem coràm cernimus, non tantùm Orbis noſtri, ſed etiam Cœlorum cœlitumque Dominum. Denique, ſuperat omnem fidem humanam, Hunc eundem eſſe *Jeſum Nazarenum*, quem legimus olìm crucifixum *Hieroſolymis*, inter duos Latrones: cùm fuiſſet cæſus flagellis, Spinis coronatus, conſputus, alapiſque percuſſus: Idque illudente & ſubſannante populo Judaico. Hunc tamen teſtatur Sacra fides ipſiſſimum eundem eſſe Jeſum, & jam rediiſſe ad terras, iniquæ ſuæ mortis, ſcelerumque omnium ultorem. Ad hanc ultionem jam protinùs exercendam, redeamus. Act. 1. 11 & 2. 36. 2 Theſſ. 1. 8.

Dum moratur in aëre, impendetque terris Chriſtus Jeſus, hunc Orbem habitabilem, tanquam alteram *Sodomam*, intueor: Sceleris damnatam, & igni cœlitùs mittendo jamjam

perituram. Quis verò, *Abrahami* instar, precibus flectet offensum numen: aut avertet ab humano genere hoc triste fatum? Quot, velis, numeremus pias animas, Deus Sospitator, ut earum gratiâ parcatur cæteris? quot millia, quot myriades? Et quo loco habebimus Infantes? tibi charos infantes, tibi semper, cum in terris esses, gratissimos; Quid tanti jam perpetrârunt, ut flammis darentur? Memineris, si placet, quot eorum perierunt pridem tui causâ: dum te infantem quæreret *Herodes:* Et quid illo infanticidio truculentius? Vides, ut hærent in gremio miserarum matrum, aut lactantium aut deosculantium: hærent tremuli, Supplices, vultu quidem magis quàm verbis: nondùm enim nôrunt loqui eorum pars magna. Quanta est hæc turba innocua, in omni Pago, in omni oppido, in omni Urbe? & per totum orbem, si censum ineas, quàm immensus erit numerus? Hos omnes immolandos esse jubes immiti *Moloch:* aut instar thuris, Diis placandis adolendos? Responsum subaudire videor: Habent Pii, habent Parvuli, suos Angelos custodes: in cæteros sæviet Ignis.

Mat. 24. 31. & 18. 10.

Tandem igitur inviti trahimur ad conflagrationem auspicandam: moras ultrà nectere non licet. Hactenùs Christum descendentem ex alto Cœlo comitati sumus, & jam morantem aspicimus in Statione terris proximâ: ubi, paratis omnibus ad incendium generale, stant in procinctu Angeli, hinc *Tutelares,* illinc *Vastatores,* ad ipsius jussa capessenda. Interèa, tota multitudo Cœlestium exercituum laudibus Deum celebrantes, *Trisagion* & *Hosanna* sæpiùs ingeminant. Canitur denique Canticum Sacrum ex illis *Mosis, Davidis,* & aliorum Sanctorum repetitum, *De Gestis & Gloriâ Domini*; Quo finito, factoque silentio per totum Cœlum, Christus, Solio insidens Regali, & iratiùs intuens hunc Globum, elatâ voce pronunciat, *PEREAT INFELIX TERRA, QUÆ FILIUM DEI VIDIT CRUCIFIXUM.* Resonuit Æther iterùm iterúmque, *Pereat, Pereat.* Et statim Christus, emissum ex ore suo radium, instar fulminis ardentem, vibravit in *sedem Antichristi:* eâque flammis correptâ, quasi dato signo, tota Natura excitatur, omnesque ignis Thesauros, superos, medios, inferos, relaxat & effundit, atque hoc pacto universale Orbis terrarum incendium auspicatur.

Exod. 15. Deut. 32. 1 Sa. 2. 10. 2 Sam. 22. Psal. 68. Habac. 3.

De

De Incendio ſtatim: Sed *Antichriſti ſedem*, quam diximus, non una manet clades; flagrat jam Cœlo tacta, at nondùm conſumpta aliud & extremum fatum ſubiit; Hiante enim Terrâ, in conſpectu Chriſti & Angelorum, præceps ruit deorsùm cum magno impetu: & in Lacum Sulphureum abſorpta, æternùm evanuit. *Beſtia & Pſeudopropheta vivi conjecti ſunt in Stagnum Ignis, ardens Sulphure,* inquit *Propheta*: Terrâ dehiſcente; utì *Dathan & Abiram* dicuntur *vivi deſcendiſſe ad infernum.* Hæc eſt illa *Babylonis*, cum ſuis Principibus, magna Cataſtrophe, infœlix exitus; Quo viſo, lætis clamoribus intonuit Cœlum: & victrix turba, quaſi re jam confectâ, reditum parat ab beatas ſedes. Denique, cùm triumphantem Regem adoraſſent cuncti: cùm laudibus extuliſſent: cùm ſuis *Hallelujah*, repetitis terq; quaterq; *Hallelujah*, altum æthera orbeſque omnes impleſſent, Caſtra movent, & flagranti Terræ valedicunt.

Apoc 18. 21. & 19. 20. Num. 16. 30. 33.

Hæc de adventu Chriſti: & de inchoatione incendii mundani; Reliquum, Naturæ & Angelis *Vaſtatoribus* permittitur, lentiùs peragendum. Intervallum aliquod temporis intercedere poſſe Adventum inter Chriſti ad deſtruendum Antichriſtum & totalem Mundi Conflagrationem, haud negavero. Sed utramque partem Incendii hìc complectimur. Probabile eſt, primo inſultu & aggreſſione Incendii univerſalis, extinctum iri totum genus humanum: faciemque totius orbis habitabilis devaſtatum, & in ſqualidam & aduſtam ſolitudinem, redactum. Quantuli ſumus & res noſtræ! unico ictu, aut ſpiritu oris Dei, perit tota gens humana: perit omnis Naturæ pulchritudo: omniſque humanæ artis labor, & per multos annos accurata opera. Agrorum cultus, Hortorum deliciæ, Sylvarum decor, fontium & rivorum amœnitas; Ædium, Templorum, Urbium magnificentia: Hæc omnia peritura ſunt. Nam præter flammarum impetum, vi ingentis illius Terræmotûs, quem ſupponimus, Mundi noſtri fundamenta concuſſa ſunt: Dejiciuntur Urbes, finduntur ſcopuli, ruunt montium culmina: tantaque ubique oritur confuſio, ut nihil aliud fuerit terrarum Orbis, acceptâ hìc plagâ, quàm ruinarum acervus. Quocunque vertas oculos, occurrunt aut vaſtitates agrorum & Urbium: aut ſtrages hominum & animalium; Intus, foras; in plateis, in campis: ubique cadavera; aut igni percuſſa, aut ruinis obruta,

aut Sulphureis halitibus suffocata. Neque id minùs in Aulis Principum, quàm in pauperum tabernis; En Regem prostratum humi, in medio Satraparum & Satellitum: capite excusso diademate, dextrâque delapso sceptro; Et in proximis thalamis Reginam, Regiamque prolem exanimes. Neque aliter in hoc tugurio; exiguam quidem familiam, at silentem & extinctam vides. Quælibet domus fit Sepulchrum: Quælibet Regia *Mausoleum.* Quòd si in unius Urbis incendio aut subversione, tot sint deploranda spectacula, ut à peritis narratoribus vix exprimi possint: Cùm diruitur Mundus, cum stirps humana funditùs deletur, magnitudo mali omnem vim verborum excedere debebit. Cæteris igitur silentio prætermissis, ad incendium, quod magis magisque ingravescit, respiciamus.

Vid. Am. Marc. de Subv. Nic.

Hactenùs in Telluris superficie tantùm sævientes flammas vidimus; Sed quousque cavernosa est Terra, eousque penetrabit Ignis deorsum: nempe ad imas radices exterioris Terræ, ubi committitur inferiori. Et quicunque novit, ex modo antiquæ ruinæ in *Diluvio,* quâ ratione substructus est hodiernus orbis habitabilis: quàm laxè & cavernosè, instar ruinæ: ipsius viscera & penetralia subingredi posse ignem, non mirabitur. Penetrabit enim vivetque ignis, ubicunque dantur spiracula. Sunt autem permulta quæ manent adhuc ex antiquâ illâ ruinâ, & fient indies plura, tunc temporis, ex terræmotibus: qui rumpendo compagem superioris Terræ, ignibus subter repentibus viam aperient.

Cùm verò uterque ignis, externus & internus, superficiarius & subterraneus, tantùm profecerint, ut, consumptis corporibus intermediis, coëant & conjungantur: vel saltem, ut subsidat & dilabatur pluribus in locis, exesis radicibus, exterior terræ regio: omnia tunc natare incipient in liquido igne: & magna pars continentium, aut terræ firmæ, in lacus Sulphureos convertetur. Mare autem, sive residuum maris in medio alveo, dum hoc modo liquantur montes & altiores terræ, magnâ copiâ materiæ fusæ eo confluente, fiet ingens receptaculum liquidi ignis. Cúmque ab hoc æstu, & ab hoc ingressu ferventis materiæ, resolutum fuerit in vapores quicquid supererat aquæ dulcis, reliquum, ipso facto, in Stagnum Sulphuris, & Salis, & multifariæ mixturæ & fæcis igneæ crassescet; prout à nobis supra expositum est.

Hoc

Hoc modo progreſſurum eſſe incendium, facile eſt prædicere. Sed quemadmodùm difficillimum, eſt, hominis, inter cruciatus & tormenta morientis, motus & effigiem exprimere: Ita neminem puto, vultum Naturæ, dum hæc patitur: dum uritur, convellitur, laceratur: ex vero effingere poſſe. In medii & graviſſimâ parte Incendii jam verſamur. Audio ruptorum & ruentium ſcopulorum fragores: audio mugitus ſubterraneos: flammas, vapores, ventos colluctantes; Audio maris tumultum, ex conflictu aquarum & ignium; Denique Spirituum accenſorum exploſiones, terrarum diſruptiones, & mille ruinarum tonitrua. Hæc ità ſe habitura eſſe, dum graſſatur incendium, nemo non præſentit. Sed nos ſegniùs irritant ſoni, præſertim è longinquo percepti: neque ſecum ferunt, rerum unde proveniunt, vivas imagines.

At ſiquis æthere ſuſpenſus, in hunc Globum deſpiceret, mediis ignibus volutantem: ipſum Inferni aut Tartari vultum ante oculos habere videretur: Nigros fumos rutilantibus flammis intermiſtos: Lacus Sulphureos: flumina ignita: æſtuantes crateres, & flammarum vomitiones: aliaque ſpectacula planè Tartarea. Hujuſmodi *Tophet* deſcripſerunt Prophetæ, in *die Domini*; Torrentes Sulphuris vides in Terrâ, & in aëre tortiles fumorum columnas: hiſque flammas, velut igneos angues, ſinuoſo volumine implexas; Denique latos & profundos hiatus, qui pruñas, carbones, & omne genûs ardentes glebas egerunt, fulmineo impetu. Neque fingas, quæſo, nos hîc tragœdias agere: * Oracula ſacra & Naturam ſequimur: Hæcque, inſolita licet & portentoſa, multùm ſubſidunt infra rei ipſius horrorem: quem nec verbis, nec cogitatione aſſequi poſſumus.

Iſa. 30.53. Joel 2.20. Pſal. 11.6. & 18. 8. Habac. 3. 5, &c.

* Vid loca S. S. prænotata capitibus præced. 10, & 11.

Dicitur dein Iſte rerum ſtatus γέεννα πυρὸς Mat. 18. 9. & κάμινος πυρὸς, *Fornax Igneus*, Mat. 13. 42. 50. Mal. 4. 1. *Stagnum Ignis, ardens Sulphure*, Apoc. 19 20. & 21. 8. *Torrens Sulphuris*, Iſa. 30. 33. Aliiſq; paſſim ſignatur nominibus haud minoris ſoni & ſenſûs.

Sed cùm mentio ſit *Tartari*, venit mihi etiam in mentem *Dæmonum* & malorum Spirituum: Quid agent illi intereà? quo ſe proripient in hâc rerum Strage & mundi ſublunaris exuſtione? Non licebit illis excedere ex hâc Sphærâ magicâ, & hujus Telluris confiniis. Fruſtra tentabunt fugam quamcun-

cunque : aut in Abyſſo, aut in abditis terræ ſeſe abſcondere : aut ad beatas ſedes, quas olim deſeruerint, remeare. Nullibi datur exitus : In hâc piceâ fuligine, in his flammis habitandum & recubandum, ac ſi catenis vincti eſſent. Tum demùm *VICISTI GALILÆE*, clamabit magnus *Apoſtata* : rebellium & reproborum caput : cùm ſe regno ſuo ſpoliatum viderit, & ardenti carcere incluſum. Sed eo relicto, jam ultimam incendii faciem, quæ ſola ſupereſt, tempus eſt ut contemplemur.

Diximus ſuprà, à ſolutione terræ exterioris, & liquatione Montium, auctum iri ignis Liquidi copiam in alveo Oceani ; qui iterùm replebitur ad extremas oras & littora hoc novo liquore : tandemque, ex continuis auctibus, ipſos littorum margines inundabit. Ex alterâ parte, Mediterranea ignis ſtagna, ex iiſdem cauſis orta & augmentata, cum exundanti Oceano concurrent : ac ubi vires & copias junxerint hi lacus & maria, Terrarum orbem, per modum Diluvii Ignei, totum obruent & operient. Prout ſuperiùs à nobis oſtenſum eſt pluribus. Verum quidem eſt, morâ & tempore opus eſſe ad complendum & conſummandum hoc Diluvium ; Multæ erunt *Moles inconſumptæ*, & nondum ſubactæ vi ignis, quæ ſtabunt aliquamdiù, Inſularum inſtar, in hoc mari ignito ; Scopulorum reliquiæ, montes ſolidi, aut tractus terrarum quæ difficulter igneſcunt. Sed quicquid eſt terreſtre, vi ignis mutatur : &, ſi non primo impetu, ſaltem poſt aliquot mutationes, tandem in fluorem igneum convertitur. Oportet igitur, cedant & ſuccumbant aliquando, cæteris omnibus fortiora propugnacula : iiſque dirutis & proſtratis, *unus erit toto naturæ vultus in orbe* : Univerſalis ignis Oceanus.

Hic rerum Status, cùm ſimpliciſſimus ſit, nullâ indiget ulteriori deſcriptione. Omnia ſibi ſubegit Ignis, omnia abſumpſit : Saxa, ferrum, montes, mare : orbemque habitabilem non devaſtavit modò, ſed in ſeipſum hauſit, & ad unum omnia elementa reduxit. Nec tantùm Elementa, ſed tota Naturæ varietas, omneſque formæ, ad indiſcretam unitatem rediguntur. Quocunque reſpicias, eadem eſt ubique rerum facies. Hîc non ità pridem ſteterunt *Alpes*, & porrexere brachia ab Oceano ad Pontum : Hîc maximus *Atlas*, & Africâni montes : hîc denique *Taurus*, & *Caucaſus*, & *Riphæa* juga ; Sed tantorum corporum quæ vides nunc veſtigia !

quas

quas reliquias, quæ fruſta monſtras? Quò abierunt immania ſaxa? Inſtar teneræ nivis, quæ ſæpè obtexit eorum cacumina, liquata ſunt ante *faciem Domini.* Si Inſulas quæramus, Apoc. 16.
Aufugerunt Inſulæ, unà cum montibus: neque *alterutrius in-* 20.
ventus eſt locus. Vis quæramus Urbes Terræ: Sanctas *Hieroſolymas*, aut veterum imperiorum capita: ſed quo duce, quibus indiciis? Dic ſaltem, ubi ſteterit *Roma*: multis nominibus memoranda Roma; Sicubi rubere videas hoc mare ignitum, quaſi cruore tinctum: aut vehementiùs, quàm in cæteris locis, effervescere, illic ſepultam quære *Romam.* Denique, temperare mihi non poſſum, cùm hunc rerum vultum intueor, hanc ultimam incendii faciem, quo minùs credam, Hoc eſſe illud *mare Vitreum, igni mixtum,* in *Apocalypſi Johan-* c. 15. 2, 3.
nis: ad quod ſteterunt Sancti, canticum *Moſis* & *Agni* cantantes, & de *Beſtiâ* & *Beſtianis* triumphantes. *Magna & mirabilia ſunt opera tua, Domine Deus omnipotens: Juſtæ & veræ ſunt viæ tuæ, Rex Sanctorum. Halleluia.* Amen.

CONCLUSIO.

HActenùs futuram mundi *Conflagrationem* pro virili explicuimus: Dogma antiquiſſimum, quod veterum ſapientes tradiderunt, cùm à mundi fine aliquot millenniis remotiores eſſent quàm nos ſumus hodié. Jam ingruit fatale tempus, vergit ad occaſum Natura: Et pericula quælibet, velut in mari ſcopuli, quo propiùs accedimus, eo magis ſunt metuenda.

Hanc doctrinam vetuſtiſſimam renovavit & clariùs expoſuit Religio Chriſtiana: tam quoad ea quæ præcedent proximè, quàm quæ ſubſequentur; Chriſtumque tanto operi præfecit Dominum & arbitrum. Deveniet enim ad terras, ut ſuprà expoſitum eſt, cum ineffabili gloriâ, Chriſtus, eodem tempore quo flagraturus eſt mundus; & ex ipſius juſſu & ſententiâ res tota peragetur; Ità ſcilicet comparatis & diſpoſitis omnibus, ut confundantur Improbi, cum ſuo duce, Diabolo: & triumphent Sancti, cum Salvatore ſuo Chriſto.

Hæc

Hæc enim erit hujus Dramatis Mundani læta Cataſtrophe. Hæc eſt illa Victoria Chriſti in ſuos hoſtes, quam toties celebrârunt Veteres Prophetæ, ſub variis nominibus rebuſque typicis: & quam *Apoſtolus Paulus*, his verbis, apertiùs explicat. *Revelabitur Dominus Jeſus de Cœlo cum Angelis ſuis potentibus, in igni flammanti, infligens ultionem hoſtibus ſuis:* Et *in Sanctis ſuis glorificabitur, & admirandus fiet in illo die omnibus in eum credentibus.* Idem nobis exhibetur, more Prophetico, in Apocalypſi Sancti *Johannis*, per modum *pugnæ* & victoriæ. *Apertis Cœlis*, inquit Propheta, *vidi prodire Equum Album: & qui inſidebat ei, vocabatur Fidelis, & Verax, & in Juſtitiâ judicat & pugnat. Oculi autem ejus erant tanquam flamma ignis; & in capite ejus diademata multa. Exercitus autem, qui ſunt in Cœlo, ſequebantur eum, cum equis albis, Veſtiti byſſo albâ & mundâ: Et ex ore ejus prodibat gladius acutus, ut eo percuteret gentes; Habebatque in Veſtimento & in femore ſuo nomen ſcriptum,* REX REGUM, & DOMINUS DOMINANTIUM. Dein convocatis ab Angelo volucribus Cœli, ad bibendum ſanguinem, & comedendum carnes Regum & Potentum: ut ſolent Aquilæ & Vultures, poſt magna prælia, epulari inter cadavera; Sic pergit, *Dein vidi Beſtiam illam, & Reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad gerendum bellum cum eo qui inſidebat equo, & cum ipſius exercitu. Et prehenſa eſt Beſtia, & cum eâ Pſeudopropheta ille, qui ediderat ſigna in ejus conſpectu: quibus ſeduxit eos, qui acceperant characterem Beſtiæ, & qui adoraverant imaginem ejus: & vivi conjecti ſunt ambo in ſtagnum ignis ardens ſulphure.* Vides, quales hujus bellatoris oculi, qualis enſis, qualis Victoria: devicti hoſtes projiciuntur in *Stagnum ignis ardens ſulphure*; quod non reperietur niſi in *conflagratione Mundi.*

2 Theſſ. 1. 7, 8, 10.

Apoc. 19. 11, 12.

ver. 14.

ver. 19.

Sed in quos, inquies, hoſtes triumphabit Chriſtus in *illo die?* Quinam ſunt illi qui pœnas luituri ſunt in hoc incendio? Ex locis jam citatis, aliiſque Sacræ Scripturæ, patere mihi videtur, tres eſſe hominum improborum ordines, qui huic iræ Dei, flammiſque ultricibus maximè omnium expoſiti erunt. Primùm ii, qui Deum neſciunt, aut ſe neſcire aiunt, ut *Athei*; Secundò, ii, qui Evangelio Chriſti, ſive Religioni Chriſtianæ non auſcultant: nempe in Republicâ Chriſtinâ *Infideles.* Tertiò ii, qui eandem Religionem Chriſtianam profitentur quidem, ſed corrumpunt, veroſque ipſius cultores per-

perſequuntur; ut *Antichriſtus*, & *ipſius ſequaces*. Hos omnes eſſe è numero inimicorum Dei & Chriſti, manifeſtum eſt; Et ſiqui ſunt præterea pravi homines, ut ſunt plurimi, aut ſibiipſis hoſtes ſunt, ut *Intemperantes* & *Luxurioſi*: aut aliis hominibus, ut *injuſti*; ſed qui Deum negant, aut Chriſtum, aut ipſorum cultores perſequuntur, propriè ſunt hoſtes Dei; Quos ideò notâſſe, & his extremis pœnis, quaſi nominatìm, deſignâſſe mihi videtur Apoſtolus *Paulus ad Theſſalonicenſes*, cùm ait venturum eſſe Chriſtum in *igni flammanti* ad *infligendum ultionem iis qui Deum neſciunt*; En *Atheos*. Et iis qui *Evangelio Chriſti non auſcultant*; Ecce *Incredulos*. Dein, capite ſecundo ait, *Tunc revelabitur ſceleratus ille, quem Dominus abſumet ſpiritu oris ſui, & ſplendore adventûs ſui abolebit*. En *Antichriſtum*, cum ſuis conjuratis. Vides has hominum claſſes, in Deum, Chriſtum, eorumque ſervos ſignantèr injurioſas, objiciendas eſſe potiſſimùm iræ divinæ; Quæ propterea *ultio* & *vindicta* divina dici ſolet.

2 Theſſ. 1. 8. ver. 8.

Claudam omnia verbis Prophetæ Malachiæ, & exhortationis Apoſtoli Petri. *Mal.* 4. *Ecce Dies Ille adveniet, ardens tanquam Fornax, quo erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes improbitatem Stipula, & inflammabit eos Dies Ille venturus: Ait Jehova exercituum: Adeò ut non derelinquat ijs radicem aut ramum.*

Exorietur autem Vobis, O timentes nominis mei Sol juſtitiæ, cum curatione in alis ipſius: Et procedetis, augeſcetiſq; ut vituli ſaginati.

Et conculcabitis improbos: nam futuri ſunt cinis ſub plantis pedum veſtrorum, quo die hæc Ego effecturus ſum, Ait Jehova exercituum.

Eâdem datâ occaſione, inquit *Petrus* Apoſtolus, 2 *Epiſt. c.* 3. 11, 12. *Quùm hæc omnia diſſolvenda ſint, Quales oportet eſſe vos in ſanctis converſationibus & pietatis officiis; Expectantes & properantes* ad *adventum Diei Dei, in quo Cœli conflagrantes ſolventur, & elementa æſtuantia liqueſcent.*

Finis Libri Tertij.

TELLURIS Theoria Sacra :

LIBER ULTIMUS,

DE

Novis Cœlis & nova Terra,

AC DE

BEATO SECULO;

SIVE DE

MUNDO RENOVATO,

ET

Rerum omnium Consummatione.

LONDINI,
Impensis *Benj. Took*, ad Medii Templi Portam in vico *Fleetstreet* dicto, MDCCII.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

SOlent plerique Scriptores magnopere à Lectoribus suis expetere, ut totum opus perlegant. Ego è contrà, Lectorum meorum plurimos hortor, nè ultrà pergant. Mundi funus celebravimus, molliter ossa cubent: *Quiescant cineres: nec, quid futurum sit, quæramus. Ità sentiunt plures, & stultitiam esse ducunt cogitationes nostras impellere ultra rerum fines: ac ubi desierit* esse *Natura, quid postea factura sit, inquirere. Quibus hæc fastidio sunt, aut nimis curiosa, hîc pedam sistant; nos paululùm ultra progrediemur cum Antiquis nonnullis: Comitante Ratione, & Scripturâ Sacrâ duce & auspice.*

Qui ab omni novitate, tanquam à peste, abhorrent: Qui, præter propria dogmata, nihil verum esse censent: Qui Scholarum placita & receptas apud vulgus doctorum opiniones, in canonem τῆς ὀρθοδοξίας erigunt: iis sequentis dissertationis lectione interdicimus. Apage hanc pectoris angustiam & servile ingenium. Plato *dicitur suæ Academiæ vestibulo inscripsisse,* ἀδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω. *Nos, nec artes, nec acumen poscimus:*

Sed animum liberalem, & emancipatum, & præjudiciis immunem: Illudque potius in hujus Theoriæ limine præfixum vellemus, οὐδεὶς μικρόψυχος εἰσίτω.

Sed non minùs modestè quàm liberè philosophandum est: cuilibet relicto suo jure examinandi quicquid in medium allatum fuerit: Verumque à falso, quàm poterit maximè, secernendi. Unusquisque suo sensu abundet, & Domini cuncta judicio reserventur. *Quod dixit* Hieronymus, *de* Millennio *disserens, hujus tractatûs parte non minimâ. Imbecillitatis humanæ conscios, æquum est, alios aliis labentibus indulgere: Neque quempiam velle suas conjecturas aut rationes pro oraculis haberi. Quis enim tam fœlici sydere natus est, ut, in rebus arduis tractandis, in ipsissimam ubique veritatem incidat primo tentamine. Rectè monuit immortali memoriâ dignus* Josephus Medus, Nisi in hisce talibus liberiùs paulò sentiendi, imò & errandi venia concedatur, ad profunda illa & latentia veritatis adyta viam nunquam patefactum iri.

In Jer. 19.

Præfat. Com. Apoc.

Nemini forsan magis displicent mea scripta, quàm mihiipsi; non quod pro falsis habeam, sed quod materiæ, quam tractant, dignitati & amplitudini non respondeant: neque eâ diligentiâ aut diuturnâ cogitatione accurata sint, ut posterorum examen non metuant. Si proximo abhinc seculo in vitam mortalem redirem, & studia mea repeterem, multa in hoc opere, sat scio, addenda, corrigenda, amputanda, recoquenda esse ducerem. In ratione studiorum, non minùs quàm vitæ communis, locum habet illud Comœdi,

(rum fuit,
Nunquam ità quisquam benè subductâ ratione ad ve-
Quin Res, ætas, usus, semper aliquid apportet novi:
Aliquid moneat, ut, illa, quæ te scire credas, nescias.

Quùm

PRÆFATIO.

Quùm veritatem igitur ſinceram atque integram rarò teneamus in hâc vitâ, ſequamur regulam Apoſtolicam, πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε: Omnia explorate: quod bonum fuerit, retinete. *Nihil humaniùs, nihil diviniùs dictum.*

Sed ne ſimus, quæſo, immemores alterius, ſive conſilii, ſive increpationis ejuſdem Apoſtoli, ad Hebræos, *cap.* 6. 1, 2. *vbi monet, non ſemper hærendum eſſe in doctrinâ Catecheticâ & diſciplinariâ: Sed ad perfectionem nitendum pro virili. Subindicat Apoſtolus malè morari nonnullos in elementis religionis noſtræ, neque unquam progredi ad altiora & profundiora ſacrarum literarum myſteria, quæ minimè negligenda ſunt viro Chriſtiano. Peccamus in noſmetipſos, & in Deum, ſi eo, quo nos dignatus eſt lumine, ſpiritûſque ſancti auxilio, in omnem veritatem perveniendi, timidi & ignavi non utamur. De moribus noſtris fideque regendis, adeóque de ſalute conſequendâ, voluntas Dei manifeſta eſt, & apertè tradita per totam Scripturam: Sed quoad ipſius voluntatem providentiamque de rebus humanis regendis: Ipſius conſilii ſapientiſſimi formam & ordinem, in ſeculorum diſpoſitione & hujuſce mundi œconomiâ, fatendum eſt, in his Sacris Penetralibus non eſſe tantum lucis; Oportet adire libros Propheticos: Loca quædam Sacri Codicis, à communi notitiâ remotiora, diligenter excutere: Ipſam denique rerum naturam conſulere,* Quid ferre recuſet, Quid valeat. *Quin & his omnibus conſultis, adhuc cum modeſtiâ tractanda ſunt hæc velut arcana: Et prout non revelantur eâdem claritate quâ prædicta fidei noſtræ fundamenta, ita nec eâdem fiduciâ ſunt affirmanda.*

Denique, hoc Scriptum quod attinet, nullius approbationem ambitu peto: ad partes noſtras neminem attrahere

here aut allicere ſatago. Reſpublica Literaria debet eſſe libera, & pro rationum momentis ſuffragia ferenda. Fiant omnia ex amore & ſtudio veritatis: Quod decet Philoſophos, quod decet Chriſtianos. Mihi ſatis erit ſemina ſparſiſſe manu, & terræ commiſiſſe: quæ, pro ratione ſoli, Deique beneplacito, fructus ferant, vel areſcant.

TELLU-

TELLURIS THEORIA SACRA.

LIBER IV.

De Novis Cœlis & Nova Terra, AC DE BEATO SECULO; SIVE DE *MUNDO RENOVATO* ET *Rerum omnium Conſummatione.*

CAPUT I.

Introductionis loco, Mundum non abolitum iri in Conflagratione, ſed renovatum, oſtenditur.

CUM ad operis noſtri principium reſpicio, & ad carceres unde primùm exivi, non parùm viæ & laboris emenſus eſſe videor; Et cùm exiguus ſit rerum omnium humanarum ambitus, à ſummâ metâ & optato termino me non procul abeſſe ſentio. *TELLURIS* origines, duplicemque ipſius interitum, Aquâ & Igni,

Igni conſpeximus; jam cineres, & exuſti mundi reliquias contemplamur: ut, ſi fortè Dei ſpiritu moti, & intùs agitati reviviſcant, Quem vultum, quam formam induturi ſint: Quo novo apparatu ab antiquis diſtinguentur, obſervemus.

Cùm verò nonnullorum ſit opinio, non tantum combuſtum iri hunc mundum in adventu Chriſti, ſed etiam abolitum: &, neſcio quo pacto, aut quo fine, in nihilum redigendum eſſe: Quod ſpem omnem reviviſcentiæ aut inſtaurationis præcidit; extirpandus eſt primùm hic craſſus error, tam à Sacris literis, quam ab omni Philoſophia abhorrens, antequam novi orbis molitionem aggrediamur.

Apud Prophetas utriuſque fœderis fit mentio, *novi Cœli* & *novæ Terræ*. Ita *Iſaias*, capite 65. 17. *Ecce ego creaturus ſum Cœlos novos & Terram novam: Neque commemorabuntur hæc priora, nec venient in animum.* Præ novis illis ſcilicet haud digna memoriâ. Eodem modo Sanctus *Johannes* in ſuâ *Apocalypſi*, cùm ad finem hujus mundi perventum eſſet, inquit, *Vidi Cœlum novum, & Terram novam; primum enim Cœlum, & prima Terra abierat*; Et *Mare non ampliùs extabat*. Dein infrà verſu quinto, *Dixit, Is qui inſidebat throno, Ecce nova facio omnia.*

Cap. 21.

Regerent forſan nonnulli, hæc dicta, cùm in ſcriptis Propheticis occurrant, leviori ſenſu explicanda eſſe: non proprio & naturali, ſed metaphorico. Quanquam hoc ſine jure aut fundamento dictum ſit, cum ab *Iſaiâ* hæc repetantur, *capite* 66. 22. ubi meminerat paulò ante (*ver.* 15. 16.) *conflagrationis* mundi: Atque ad eadem tempora, non ad tempora Evangelii, applicentur iterum à Sancto *Johanne*: Tamen ut huic ſubterfugio in poſterum nullus locus ſit, conſulamus *Apoſtolum Petrum*, qui ſimplici oratione utitur, & de mundo naturali unicè differit, *Epiſtolâ ſecundâ, capite tertio*; ubi, cùm Cœli & Terræ conflagrationem explicuiſſet, ſubdit, *Cœlos novos, Terramque novam expectamus.* Sed ipſa verba Apoſtolica, ſi placet, proferantur: *Veniet autem ſicut fur in nocte dies ille Domini, quo Cœli cum ſtridore præteribunt, elementa verò æſtuantia ſolventur, Terraque, & quæ in eâ ſunt opera, exurentur.* Dein interpoſitâ piâ meditatione, ſubjicit, *Sed Cœlos novos, ac terram novam, ſecundùm promiſſum ejus expectamus, in quibus Juſtitia inhabitat.*

ver. 10.

ver. 13.

Nullus

Nullus hîc locus expoſitionibus allegoricis, niſi mundi conflagrationem in allegoriam velis convertere. Vides enim qui Cœli & Terra ignibus diſſoluti ſunt, iidem renovantur: ideò aut uterque eſt mundus metaphoricus, & qui perit, & qui renovatur: aut neuter; aut uterque eſt mundus naturalis, aut neuter. Addit autem Apoſtolus, *ſecundum promiſſum ipſius* (ſcilicèt ipſius Domini) expectari hos novos Cœlos atque hanc novam Terram: innuens, Veterum Prophetarum *Cœlos novos* & *Terram novam* hoc tempus reſpicere: atque tum demùm impletum iri illa promiſſa, facta olim à Domino per Prophetas.

Dices forſan, ut omnia excutiamus: Fore quidem novos Cœlos & novam Terram, juxta doctrinam Propheticam & Apoſtolicam: at creatione novos, non inſtauratione; Hodiernis in nihilum redactis, alii educentur ex nihilo. Quorſum hæc quæſo? Ne otietur Deus, vis eum in nihilum redigere materiam, ut tantundem, novâ operâ, reficiat & refingat? Si eadem materia ſufficit, aut ejuſdem molis reliquiæ, quid circuitu illo & ambagibus opus eſt, ut, hâc ſublatâ, ſubſtituatur alia? Ejuſdem valoris eſt nuda materia, ſive hanc ſive alteram acceperis: atque fruſtra fit per plura quod non minùs commodè fieri poteſt per pauciora. Non niſi à Theologorum quorundam imperitiâ & inexercitatione in Studiis Philoſophicis, hujuſmodi aberrationes originem ducunt: &, ob eandem ἀφιλοσοφίαν, quandoque res ineptas Deo & naturæ affingunt, & quandoque res naturales ad ſenſus allegoricos detorquent.

Sed pergamus in propoſito; Si Terra cum Cœlo annihilanda ſit in adventu Chriſti, nullis ſubſtitutis, Qualis erit poſteà rerum natura cum hoc vacuo hiatu? Quæ Mundi forma & facies? Quouſque hoc vacuum protenſuri ſint, neſcio: Nùm ad Stellas fixas uſque, & ſupremos Cœlos: atque adeò Solem cum ſuis Planetis in nihilum adigent? Sed quid tanti perpetravit Sol, fons luminis & caloris vivifici? Et quo jure plectuntur reliqui Planetæ ob noſtra crimina? Quod ſi hoc Inane ad orbem Lunæ tantùm pertigerit, non deerunt adhuc difficiles quæſtiones; Omnes enim, tam mali, quam boni, reſurrecturi ſunt in extremo judicio, & induturi corpora: unde verò deſumentur hæc corpora, ſi nulla reſtet materia in hoc orbe Sublunari? Et ſi Sanctos in Cœlum efferas, ubi

reſidebunt Improbi: ubi Tartarus & Infernus, eorum carcer? Denique natura rerum non patitur hujuſmodi Chaſmata & divulſiones, quales fingit hæc opinio: ruitura eſſent Mundi mœnia, aut Cœlorum coitura latera, ſi hoc modo ſubeſum & inane eſſet medium.

Denique, ut ad Sacras literas redeamus, præter ea quæ ſuprà attulimus, memoratur in doctrinâ Chriſtianâ quædam ἀποκατάστασις & παλιγγενεσία, quædam mundi *reſtitutio* & *regeneratio*, in futuro ſeculo. Iis qui propter Evangelium patiuntur damna, atque rerum ſuarum jacturas in hâc vitâ, Chriſtus pollicetur centuplum ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ, in *rerum renaſcentiâ*, in venturo ſeculo: *cùm ſederit filius hominis in throno gloriæ ſuæ.* Ut Chriſti Reſurrectio è mortuis dicitur ipſius generatio, ſive natales: Ita Reſurrectio Mundi (quâcum noſtra conjuncta eſt) rectè dicitur ipſius παλιγγενεσία, *Pſal.* 2. 7. *Acts* 13. 33. *Hebr.* 1. 5. Dein Sanctus *Petrus* (*Act.* 3. 21.) ait Chriſtum manſurum eſſe in Cœlis uſque ad tempus *reſtitutionis omnium.* Igitur cùm advenerit Chriſtus, erit hujuſmodi reſtitutio rerum omnium, & magna de novo inſtauratio; tantum abeſt, ut, in abyſſum *nihili* omnia ſint tunc temporis demergenda; mutabuntur quidem Cœlum & Terra: Sed aliud eſt *mutari*, aliud in nihilum redigi. Denique, ut Sancti *Pauli* teſtimonium his inſuper adjiciamus, Ille ait hodiernum mundum transfigurandum eſſe, ſive *abituram eſſe ipſius figuram*: hoc eſt, ipſius formam & compagem externam: minimè autem ipſam materiam aut ſubſtantiam. Imò verò è contra ad *Romanos* ſcribens, aſſerit hunc mundum conditum, à ſervitute corruptionis & vanitatis liberatum iri: idque cùm nos liberabimur, & corpora noſtra; jam verò de quâcunque liberatione noſtrâ hoc exponamus, tum futuram eſſe vides mundi naturalis glorificationem potiùs quàm annihilationem. Neque fingi poteſt ut creatura ingemiſcat avidèque expectet ut annihiletur: Sed ut renovetur, & à vanitate redimatur. *Vid. Archæol. Philoſ. li.* 2. *c.* 2.

Matt. 19. 28, 29.

Pſ. 102. 16.

1 Cor. 7. 31.

Cap. 8. 21, 22.

Supervacaneum eſſet plura accumulare in hoc argumento, cùm ſententia quam tuemur, omnium ferè doctorum authoritate & ſuffragiis munita ſit. Pauciſſimi ſunt, iique minoris notæ, qui Mundum perpetuò abolendum eſſe ſtatuunt in conflagratione. Neque alio animo id ab iis factum eſſe videtur, quàm ut ſe levent onere exponendi futuros rerum ſtatus,

ſtatus, ſi natura maneat. Si Deus abolendum ſtatuiſſet hunc mundum, & penitùs tollendum è medio, quid conflagratione opus fuiſſet; quæ nihil confert ad interitum materiæ, ſed tantùm ad diſſolutionem partium, formæque renovationem? Ac ubi modum indicaverimus quo ex combuſti mundi reliquiis exurgere poſſit, favente Deo, præſtantior rerum compages: *novi Cæli* atque *nova Terra*, vanitati & corruptioni minùs obnoxii; facilè nobis perſuaderi patiemur, purgandam eſſe tantùm ab hoc igne, &, deinde reconflandam, Mundi noſtri Machinam.

Quod reliquum eſt, non opus eſſe videtur ut hujus Scripti partes & ordinem hîc prænotemus: cùm non multis capitibus aut longâ ſerie conſtet; Et quandoque gratior eſt quæ nos ferit ex improviſo veritas, quàm quæ e longinquo proſpicitur. Illud potiùs monendum eſt, Cùm in hâc parte operis noſtri ultra hujus mundi confinia progrediamur: & cùm ſæpè per vias minùs notas, eundum ſit, ne miremur, ſi fortè levis aliqua contingat aberratio; Nos utique præmoniti memoreſque periculi, antè culpam commiſſam precamur veniam. Hæc autem jure quodam nobis debetur ab ingenuis, non tantum propter rerum, quas ſpeculamur, difficultatem: ſed etiam quòd placita noſtra nemini dictare aut imponere ſatagamus. Immunes à præjudiciis, immunes à rerum ſecularium ſtudiis aut amore, in lumine Dei, cujus ſemper imploramus opem, veritatem quærimus; & ab eodem lumine examinandam, aliis omnibus placidè & modeſtè proponimus.

CAP.

CAP. II.

Ortus novi Mundi ex reliquiis Antiqui. Hujus novi Cœli & novæ Terræ dotes & conditiones exponuntur: & Sacrarum Literarum dictis & teſtimoniis comprobantur.

QUantæ molis ſit mundum condere, vidimus anteà in primâ parte hujus operis: ubi ex antiquo Chao Tellurem primævam & paradiſiacam extruximus. Verſatur jam præ manibus alterius generis Chaos, Igneum ſcilicet, vel ab igne productum: Et quid ſit ab hâc maſsâ proventurum, ſi naturæ motibus permittatur, denuò tentandum eſt; Cùm divinæ Sapientiæ, & proprium & ſolenne opus ſit, *ex confuſo rerum ſtatu pulchrum & ordinatum elicere.*

Diſpiciendum eſt imprimis quæ & qualia ſint extincti mundi rudera: Qualis illa materia quæ reſtat: & quâ formâ, quo ſitu diſponantur exuſta & diſſoluta elementa; Ne fruſtra, & ſine fundamento, novi mundi conſtructionem moliamur; Si nihil, ſcilicet, ſuperſit poſt hanc cladem, quod in orbem habitabilem formari & redintegrari poſſit: aut ſpem nobis faciat, quod redeant Sydera.

Everſaque Terra reſurgat.

Triſtis quidem eſt naturæ vultus, finito Incendio; Abiit Cœlum, occultantur Sydera, ſpiſſiſque fumis & caligine involvitur Terra. Neque tamen arduum erit penetrare has tenebras: atque hujus cæcæ maſſæ partes, tam inferiores quàm ſuperiores, deſcribere. Nam in hoc incendio quicquid fuſum & liquefactum erat ab igne, ſubſideret atque imum peteret, ob ſuam gravitatem & partium craſſitiem; Quod autem in fumos & halitus reſolutum abiit, factumque eſt volatile, partes ſuperiores occuparet. Cùm igitur exteriorem tantùm Terræ regionem ab hoc igne conſumptam eſſe ſupponamus, facile erit portionem Terræ exuſtam in duas maſſas, aut duos orbes diſtinguere:

distinguere: Alterum crassum, instar materiæ fusæ, aut ex fusione concretæ: Alterum levem & volatilem, qui priori superincumbit aut supervolat. Ut in hoc Schemate.

p: 287.



De-

De hâc bipartitione materiæ exuſtæ dubitari non poteſt. Hoc autem novum corpus *A* quod novum orbem circa Terram conſtituit, factum eſt à materiâ liquefactâ, omne genûs: metallicâ, minerali, lapideâ, terreâ. Simplex enim terra, vi ignis, convertitur, vel in cineres, qui poſteà funduntur: vel in ſpeciem lapidis aut ſubſtantiæ lapideæ, quæ itidem liquefiet eâdem ignis violentiâ. Atque hæc regio fuſæ aut concretæ materiæ, quæ ex variis corporum ſolutorum partibus componitur, inſtar vitrei orbis aut Oceani totam terram interiorem circumambit, vel circumfluit.

Altera pars hujus maſſæ exuſtæ, quæ fluitat in aere, novos Cœlos atque novam Terram, poſt aliquod tempus conſtituet; idque fiet eodem modo quo facta eſt Tellus primigenia, ex antiquo Chao. Quod in Libro Primo hujus Theoriæ ſatis fusè explicuimus. Totus Oceanus, omniſque humor qui in vapores abiit tempore incendii, ceſſante illo motu atque illâ vi, jam relabetur in ſuum locum: atque hunc vitreum orbem ſive regionem undique cooperiet. Dein, parte leviori & pinguiori hujus maſſæ liquidæ ſupernatante, in hanc reſident omnes partes & particulæ terreſtres, quæ ſub formâ fumorum, fuliginum, cinerumve, vi & impetu flammarum, in aërem evehebantur. Nam finito incendio, & languente partium iſtarum agitatione, ſenſim redibunt omnes verſus Terram: tenuemq; & mollioris terræ orbem circumquaq; conſtituent.

cap 4.

Quâ ratione auctus fuerit ſenſim & conſolidatus hic cortex terreus, atque tandem in orbem habitabilem deductus, pluribus hîc explicare ſupervacaneum eſſet; Quandoquidem Telluris ortus ex Chao anteà ſatis perſpicuè deſcriptus & delineatus fuerit, atque idem hîc opus moliatur iterùm natura, eademque repetat veſtigia. Quare author eſſem candido Lectori, ut ſiquid hîc breviuſculè dictum ſit, aut minùs lucidè, reſpicere vellet & relegere illud *caput quartum primi libri* Theoriæ Telluris, ubi plenior eſt & explicatior hæc Coſmopœïà.

Intereà hujus loci erit exponere *novi Cœli*, & *novæ Terræ* conditiones & qualitates; Quid ab hodiernis differant, aut à primigeniis: Et quid ſibi proprium habeant & peculiare. Illud primùm in genere notandum eſt, *Mundum futurum*, τὴν οἰκουμένην μέλλουσαν, fore Paradiſiacum. Hoc eſt, eandem habiturum

biturum esse formam, eadem qualitates cum Tellure primigeniâ & Paradisiacâ: tam quoad Cœlum, quàm quoad Terram; In nonnullis etiam eidem prælucere posse. In secundo libro hujus Theoriæ, qui de *Paradiso* instituitur, illius Telluris Paradisiacæ proprietates descripsimus: quarum duas primarias satis erit in mentem hîc revocare: Ipsius *Formam*, integram, lævem, æquabilem: Sine montibus & sine mari; Et ipsius ad *Solem situm*, rectum & æquilibrem. Hæc denuò obtinent in hâc Terrâ novâ; nam ex modo suæ formationis vides coopertum esse mare, & inclusum sub orbe terrarum uniformi & æquabili: quemadmodùm in suâ visione novi mundi notârat Sanctus *Johannes*, *Dein vidi*, inquit, *Cœlum novum & Terram novam: primum enim Cœlum, & prima terra abierat: Et mare non extat ampliús.* Scilicet, in istoc novo mundo nullum erat mare conspicuum. Deinde ex eâdem formâ Telluris, & modo suæ librationis, ad rectum cum Sole situm necessariò restituetur. Cum enim tota fuerit æquabilis, atque idem habuerit suæ magnitudinis & gravitatis centrum, nulla apparet ratio cur à situ recto declinet, aut ullo modo deflectatur.

Redibit igitur & reviviscet in hâc Terrâ novâ, in hoc Paradiso secundo, *Ver perenne*, Cœlumque perpetuò placidum & serenum. Abiit Cœlum antiquum, turbidum & nubilosum: Et fulmina, & tonitrua, & grando, & gelu, & hyemes asperæ, & venti procellosi, abierunt. Pacata hîc sunt omnia in regionibus aëris, tranquilla, lucida, benigna. Neque minùs grata est Terrarum facies, ubi nulla desunt aut commoda, aut amœnitates vitæ innocuæ. Solum fertile, & rerum omnium ubertas: fructus nullo non tempore maturi: lenes amnes, patulæ arbores, molles auræ, ad repellendum solis æstum. Denique, sine morbis aut ægritudine, vegeta & longæva natura. Mundum Renovatum de-

pinxere Chrysost. *Epist.* 5. ad Theodor. lapsum. Cyprian de laude Martyr. *August.* aut alter sub eo nomine, Libr. Meditat. Floridè quidem omnes, sed nimis laxè & profusé.

Memorant præterea in Paradiso primo nulla fuisse venena, aut venenosa: nullas herbas noxias: aut metalla aut mineralia: Neque ideò in secundo Paradiso hæc futura. Non dissentior. Purgata enim fuit per ignem Terra hæc exterior

ab omnibus fæcibus & particulis craſſis metallorum & mineralium, quæ tempore incendii ſubſidebant cum materiâ fusâ: atque Vitreus ille Orbis, qui inde compoſitus fuit, facilè impediret in poſterùm, nè è viſceribus terræ interioris aſcenderent partes aut particulæ ullæ minerales aut metallicæ: Quare ſi à mixturis mineralibus proveniant omnia venena, quod non videtur improbabile; nulli erunt ſucci noxii, nihil lethale in hâc Terrâ novâ.

Denique Propheta *Iſaias*, nullas beſtias rapaces aut immites ſuam novam Terram alituram eſſe ait, *Cap.* 65. 17, &c. *Ecce Ego creaturus ſum novum Cœlum & novam Terram*, Et in hâc Terrâ (*ver.* 25.) *Lupus & Agnus paſcentur unà*; & *Leo*, ut *bos, comedet ſtramen: Serpenti autem pulvis erit cibus. Non malefacient, neque prædabuntur in toto ſancto monte meo.* Quæ pleniùs adhuc efferuntur, *cap.* 11. *ver.* 6, 7, 8, 9. Hæc magnam naturæ converſionem teſtantur, ut ingenio miteſcant omnia animalia: quod fieri non poteſt niſi alitèr conſtituto & temperato eorum ſanguine, idque ſine Succis acribus; ut mihi videtur. Cùm verò hi ſucci minerales ſint, ſequitur ex hypotheſi noſtrâ, eorum paucos aut nullos repertum iri in illius Terræ animalibus. Notat præterea Propheta incolarum longævitatem in hâc novâ Terrâ, *ver.* 20, 21. Sed de incolis tacendum adhuc, donec conſtiterit qui & quales futuri ſint in hoc mundo renovato.

Vides igitur hucuſque non malè congruere hanc explicationem naturalem *Novæ Terræ*, cum eâ, quam nobis exhibent, ejuſdem Terræ ideâ & deſcriptione, Sacræ literæ. Vides præterea hanc novam Terram eſſe παλιγγενεσίαν, novam *Geneſin*, mundi renaſcentiam; Vides eſſe ἀποκαθάσασιν, inſtaurationem rerum, reditumque ad primævum naturæ ordinem. Vides eſſe μεταχηματισμὸν τοῦ κόσμου, transformationem mundi, non abolitionem. Vides denique eſſe ἀπολύτρωσιν quandam Creationis, à vanitate, corruptione & ſervitute; quæ fuſiùs infra explicanda ſunt.

Mat. 19. 28. Act. 3. 21. 1 Cor. 7. 31. Rom. 8.

Intereà præterire non poſſum Τὴν οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν Sancti *Pauli*, *Orbem habitabilem futurum*; cujus facilis hinc oritur explicatio. Illius non ſemel meminit Apoſtolus ad *Hebræos*, præcipuè *cap.* 2. 5. ubi ait, non Angelis, ſed *Chriſto Domino* ſubjectum eſſe illum orbem: quaſi regimen ipſius eſſet Θεοκρατικὸν. Οἰκουμένη ex vi vocis ſignificat τόπον οἰκήσεως: Et ex vi ſyntaxis ſubintel-

intelligitur γῆ. Utroq; modo denotat *Locum*, non *Tempus* aut sæculum: & proprijssimè significat *Terram habitabilem.* Quo sensu usurpatur ab Apostolo in præcedenti capite (*ver.* 6.) ubi de secundo Christi adventu agitur. Hæc de voce οἰκουμένη. Præterea hic dicitur οἰκουμένη ἡ μέλλουσα, quâ ratione opponitur τούτῳ τῷ κόσμῳ, aut τούτῳ τῷ αἰῶνι, cujus princeps dicitur Satanas, ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου, & ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου. *Joh.* 14 Ephes. 1. 21, 30. 2 *Cor.* 4. 4. Sic duo manifestò designantur & distinguuntur Mundi, quorum unius (*permissivè* nempe) princeps est Satanas: alterius Christus *absolutè*; nimirùm cum ligabitur Satanas, omni imperio exutus. Gal. 1. 4.

Notandum est interea, עולם הבא (apud Judæos) & τὸν αἰῶνα μέλλοντα apud Christianos, *venturum* aut *futurum sæculum*, duplici sensu accipi, *latè* & *strictè*. Cum latè accipiuntur, denotant omnes dies Messiæ, sive primi, sive secundi Ipsius adventûs; Strictè verò Sumpta, significant sæculum futurum in secundo ipsius adventu, mundumq; tunc temporis renovatum. Quo sensu interpretamur παλιγγενεσίαν, ἀποκατάστασιν, & τὴν οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν: ad mundum nempe *renascituram* & *restituendum* referenda.

De temporibus Messiæ in hodierno mundo exponi non potest Hæc Οἰκουμένη μέλλουσα· Id quod fateri videtur Apostolus, *ver.* 9. Quinimò quare obsecro *futuram* diceret, si præsens esset? Prætereà, quo modo, singulari & eminenti, subjicitur Christio hodiernus mundus: cùm Antichristus (præter Satanam) regnaturus sit usque ad adventum secundum Christi; *Spiritu oris ipsius*, (spirabit enim Ignem) tum demùm consumendus. Et, ad idem usque tempus, solutus vagabitur, sævietque Satanas. Quùm igitur hi duo maximi sint Christi adversarii, hostesque Juratissimi, durante eorum regno in terris, quî dici potest regnare Christus? Denique, ex ipsius Christi ore prolatum accepimus, *Regnum meum non est ex hoc mundo. Joh.* 18. 36.

Neque Cœlum, aut vitam cœlestem, hâc dictione intelligere licet: nunquam enim in Sacris Literis ità accipitur vox οἰκουμένη. Prætereà vitam cœlestem & ætheream non adipiscemur nisi in secundâ resurrectione & judicio universali: hoc est, in rerum consummatione; tunc temporis autem non auspicabitur suum regnum Christus, sed finiet potiùs. *Tradet* enim *regnum*, inquit Apostolus, *in manus Patris*; *ut*,

Ipse sit omnia in omnibus. Quare, subductis rationibus, præter hanc Terram Novam, hunc *Mundum futurum*, quem descripsimus: alius Orbis, aliusve rerum status, sive prior sive posterior, τῆς ἀνακεφάλης ἢ μελλόσης nomine intelligi non potest.

His facile esset adjicere typos & præfigurationes hujus mundi futuri, qui occurrunt apud Prophetas & in veteri passim fœdere. Sed cùm hujusmodi adumbrationes magis ornent argumentum, quàm probent, iis locus erit opportunior in sequentibus. Vidimus intereà ex jam dictis & probatis, futurum esse, post conflagrationem, Novum Orbem Habitabilem: tam juxta lumen naturæ, quam juxta Sacras Literas. Dein vidimus, quoad formam, ordinem & conditiones hujus novi Orbis, eosdem duos testes convenire: authores Sacros intelligo, & Naturam. Supereſt jam ut ipsius quæramus incolas; & de eorum sorte sermonem deinceps instituamus.

CAP. III.

DE INCOLIS NOVÆ TERRÆ.

Secundùm Oracula Sacra & Scripturæ canonem, fore Beatum seculum, *vel Beatum Millennium in Terris: ante, vel post Conflagrationem.*

ECce novos Cœlos atque novam Terram: sed deest, quæ sedes has beatas incolat, nova hominum progenies. In hoc mundi excidio nullæ superfuere reliquiæ, ut olim in Diluvio; ad conservandum genus & stirpem. Immitior aquis flamma nemini pepercit: periit tota gens humana; Necesse est igitur ut è Cœlo descendant, vel è Terrâ oriantur, novi homines. Neque hoc dirimere potest, aut alterutrum definire Ratio & lumen naturæ. Alii igitur nobis jam quærendi sunt duces in hâc novâ Terrâ, vel hîc sistendus est gradus: Inscripto in hujus mundi limine, *NE PLUS ULTRA.*

Sed

Sed ab Oraculis Sacris petenda ſunt conſilia, ubi ſilent ratio & natura; Hæc igitur conſulamus, & Prophetas & Apoſtolos in Socios itineris, in duces viæ adſciſcamus, cùm cæteri omnes fatiſcunt. Vos, *Sacræ Literæ*, inexhauſti ſapientiæ theſauri, nunquam deficitis, nunquam erratis. Quouſque progredi poteſt mens humana, quouſque ſequi, vos ducitis & præitis; Veſtrûm ope, & lumine, & conſiliis indigemus. Novum mundum, Orbem habitabilem extruximus, ſed habitabitur necne; aut quid illic rerum agetur: Qui mores hominum, quæ fata: in his planè ſilet ratio naturalis. Ad vos igitur confugimus, & à vobis tanquam ab Oraculis divinis reſponſa petimus.

Iſaias Propheta ait, *Deus qui formavit & ſtabilivit Terram, non ut inanis eſſet creavit eam, ſed ad inhabitandum.* Hoc de omni Terrâ aut mundo Terreſtri verum eſt. Habitabitur igitur *Terra nova*: Sed à quibus? opportunè reſpondet Apoſtolus *Petrus*, à *Juſtis*. *Cœlum novum, ac Terram novam expectamus*, poſt hodiernorum nempe incendium, *in quibus JUSTITIA inhabitat.* Diva Aſtræa redibit in terras, cum ſuo cœlitum comitatu. *Juſtitia* idem hîc valet ac *Juſti*, aut perfectè Juſti, ut Juſtitia in abſtracto: pura *ſine vitio*, ſine mixturâ; Et ſiqui ſunt præterea, in hâc Terrâ, indigni nomine, ab his ſeorſim habitant, neque in cenſum hîc veniunt.

Cap. 45 18.

2 Epiſt. 3 13.

Ecce tandem incolas in nova Terrâ: Gentem Sanctam, populos eximios, electam turbam. Sed unde proveniunt, quæſo? quo ſemine ſati? quâ ſtirpe, quo capite? quæ ſunt horum populorum origines? Reſpondeo, *Reſurgunt* à *mortuis*. Hoc nos docet Sanctus *Johannes* in ſuâ Apocalypſi, atque hanc reſurrectionem appellat *primam*. Cúmque ibidem repetat verba Sancti *Petri* & Prophetarum de novo Cœlo ac novâ Terrâ, ſuos *mortuos redivivos*, eoſdem eſſe cum *Juſtis* Sancti *Petri*, dubitare non licet.

Cap. 20. 4. 5. C. 21.

Sed liceat ulterius quærere: Quibus corporibus reſurgent: Cœleſtibus an Terreſtribus? In ſtatu vitâque terreſtri nequeunt uti corporibus cœleſtibus & ætheriis: quibus ſi induti eſſent, cœlum habitarent non terras. Neque ante reſurrectionem ſecundam & univerſalem cœleſti illâ gloriâ amicientur.

Quanta

Quanta nobis lux orta est in exiguo tempore: Quàm benè res cessit Oracula Sacra consulentibus: Hæsit nobis aqua non ità pridem, ut pedem promovere non potuerimus, neque res aut rationes *Novæ Terræ* ultrà prosequi. Jam cœlitus affuso lumine, omnia clara sunt: Constatque *habitatum iri Hanc Terram Novam, idque à Justis: in vitam denuò revocandis, ante resurrectionem universalem: Corpora terrestria, sui generis, indutis.*

Hæc quidem magna & miranda sunt. Cùm verò ulteriùs
Cap. 20. doceamur ab eodem Prophetâ Christiano, Sancto *Johanne*, Hos justos, hos mortuos redivivos, sub auspiciis Christi regnaturos esse mille annos, inter primam & secundam resurrectionem: atque in hoc Millennio latere videatur mysterium & historia Futuri seculi, τῆς οἰκουμένης τὸ μελλόσης, quam metitur & complectitur: diligentèr excutiendum est hoc Dogma Sancti *Johannis* de *BEATO MILLENNIO*: ut tota doctrina Christiana de *Futuro seculo* & de *Futurâ Terrâ*, pleniùs & penitiùs innotescat.

Atque ut ordiamur à principio generali, & sensim pergamus ad ulteriora: Notandum est imprimis, tam secundùm Oracula Sacra, quàm veterum in Ecclesiâ Christianâ Patrum & Doctorum suffragia, futurum esse *BEATUM MILLENNIUM in Terris: ante vel post conflagrationem.* Sed, Quoad hoc spatium *mille annorum*, non novi, præter Sanctum *Johannem*, ex authoribus Sacris ullum, ipsius meminisse: Sed rem ipsam, atque illum rerum futurarum statum, multi celebrant; in utroque fœdere. Audiamus imprimis de hâc re Sanctum *Johannem*, dein reliquos.

Capite vicesimo *Apocalypseos*, post vinctum Satanam, con-
Ver. 4. jectumque in Abyssum per mille annos, ait Propheta, *Dein vidi Thronos & sederunt super eos, & judicium datum est iis: & animas eorum qui securi percussi sunt propter testimonium Jesu, & propter verbum Dei, quique non adorant Bestiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus suis, aut in manibus suis, & vixerunt & regnârunt cum Christo mille illos annos.* 5. *Reliqui verò ex mortuis non revixerunt donec consummati es-*
6. *sent illi anni mille. Hæc est Resurrectio prima, Beatus & Sanctus qui habet partem in resurrectione primâ: in hos secunda mors non habet potestatem; sed erunt Sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum eo mille annis.*

His

His verbis nihil apertius. Dein ſoluto Satanâ poſt illos mille annos, & graſſante iterùm cum ſuâ turbâ profligatâ, ſupervenit Judicium Univerſale & Reſurrectio ſecunda. *Tum vidi thronum candidum, & quendam ei inſidentem, à cujus* Ver. 11. *conſpectu fugit terra & Cœlum, quorum locus non eſt inventus. Et vidi mortuos parvos & magnos, ſtantes in conſpectu Dei, &* 12. *libri aperti ſunt & alius liber apertus eſt, qui eſt liber vitæ; judicatique ſunt mortui ex iis quæ ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum.* Vides hîc omnia perſpicuè & diſtinctè enarrari; primò ligatum Satanam ad mille annos: Dein Reſurrectionem primam, ſecundâ & univerſali priorem per idem ſpatium mille annorum. Denique hujus primæ reſurrectionis filios regnaturos eſſe cum Chriſto iiſdem mille annis.

Hæc quoad ſpatium *millenne:* Sed quoad regnum ipſum Chriſti & hujus regni hæredes, quæ eſt pars graviſſima hujus doctrinæ, atque maximi momenti: de iis tractatur fuſiùs tùm ab ipſo *Johanne*, tùm ab aliis authoribus Sacris. Vides qui ſunt, & quales, qui hoc regno potientur: juxtà verba Prophetæ in hoc loco; *Qui ſecuri percuſſi ſunt propter teſtimonium Jeſu, & propter Verbum Dei; Quique non adorant Beſtiam*, &c. Milites Chriſti fortes & fideles in bello contra Antichriſtum geſto. Hi regnabunt cum Chriſto, & abſterſurus *eſt Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors amplius non ex-* Cap. 21 4. *tabit*, Scilicet in hoc regno; *neque luctus, neque clamor, neque labor extabit amplius; quia præcedentia abierunt.*

Præterea ex hoc numero militum Chriſti fidelium eſt illa turba victrix & palmifera, ſtolis albis amicta, quæ deſcribitur à *Johanne capite ſeptimo*, his verbis, *Poſteà vidi & ecce Turba* Ver. 9. *multa quam numerare nemo poſſit, ex omnibus gentibus & populis & linguis: Stabantque antè thronum & in conſpectu Agni, amicti Stolis albis: & palmæ in manibus eorum. Et clamabant voce magnâ, dicentes, Salus à Deo noſtro eſt, inſidenti throno, & Agno. Omnes autem Angeli ſtabant in circuitu throni, & ſeniorum, & quatuor animalium illorum, & procubuerunt ante thronum in facies ſuas, & adorarunt Deum. Dicentes Amen: benedictio, & gloria, & ſapientia & gratiarum actio, & honor & poteſtas & vires Deo noſtro in ſecula ſeculorum Amen. Tum me compellavit unus ex illis Senioribus dicens mihi, Iſti qui amicti ſunt Stolis albis, quinam ſunt & unde venerunt? Et dixi ei, Domine tu nôſti. Et dixit mihi, Hi ſunt qui venerunt ex afflictione magnâ: & lavarunt Stolas*

ſuas,

ſuas, ac dealbarunt in ſanguine Agni. Ideò ſunt antè thronum Dei, & colunt eum die & nocte in templo ejus: & qui inſidet throno, proteget eos umbraculo. Non eſurient ampliùs, neque ſitient ampliùs, nec in eos cadet Sol, neque ullus æſtus. Quoniam Agnus qui in medio throni eſt paſcet eos, & viæ dux erit ipſis ad vivos fontes aquarum: & abſterſurus eſt Deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Denique apparatus ille ſolennis, atque Scena mirabilis, & introductoria ad Prophetias *Apocalypticas, cap.* 4. & 5. multa habet quæ huc ſpectant. Et ſparſim per Apocalypſin plurima, nunc clariùs, nunc obſcuriùs, res & tempora beati millennii ſubindicant. Sed de Vaticiniis Sancti *Johannis* hæc ſufficiant.

Quùm verò magna ſit affinitas Viſionum aut rerum viſarum, quoad ſumma capita, inter *Danielem* & hunc Prophetam, videndum proximè ſiquid ſit apud illum quod huic regno Chriſti, & regnaturis cum Chriſto reſpondeat. Viſionem *Nebuchadnezaris* de *Statuâ* ex quatuor metallis compoſitâ interpretatur *Daniel* de quatuor magnis Imperiis aut Monarchiis; Quarum ultima, ex conſenſu plurium & optimorum Interpretum, habetur Romana; Poſt hanc autem, atque decem Reges inde ortos, Lapide ſine manibus de monte abſciſſo comminuendos, ſuſcitabitur, inquit, à Deo novum Imperium, quod, conſumptis cæteris, perpetuò durabit. Audiamus verba Prophetæ. *Temporibus autem Regum iſtorum ſuſcitabit Deus Cœli Regnum, quod in ſecula non deſtruetur, & regnum ipſum populo alieno non relinquetur, comminuturum & conſumpturum omnia illa regna, ipſum autem ſtaturum in ſecula.* C. 2. 44.

Eodem modo, aut eminentiori, in viſione de quatuor Beſtiis, (*cap.* 7.) ultima deſignat eandem Monarchiam Romanam: atque decem cornua eoſdem decem Reges, ipſo Spiritu Sancto interprete; Quibuſcum ſuccrevit *cornu parvum ultimum.* Cùm autem hæc Beſtia atque hoc cornu incendio Ignis commiſſa fuiſſent, (*ver.* 11.) emicuit novum Imperium, cœlo quaſi delapſum, æternum & indiſſipabile. Audiamus iterùm Prophetam: (*cap.* 7. 13.) *videbam viſionibus nocturnis quòd ecce cum nubibus Cœli ſimilis filio homini veniebat: deinde uſque ad antiquum dierum pervenit, ut ſiſteretur ante eum: Et huic datus eſt dominatus, gloriaque ac regnum, ut Omnes populi, nationes & linguæ ei ſerviant, cujus dominatus eſt perpetuus, qui non præterit, & regnum quod non corrumpitur.* Ve. 24.

Præ-

Præterea ait, infra *ver.* 21, 22. hoc parvum cornu bellum gessisse contra Sanctos, & prævaluisse *usque dum veniret antiquus dierum, & judicium daretur sanctis excelsorum, & tempus perveniret quo regnum illud possiderent sancti.* Denique quò rem adhuc clariorem efficeret, tàm hujus cornu perdendi, quàm hujus regni suboriturí pleniorem explicationem subjungit, *ver.* 25, 26. *Verba adversus excelsum loquetur cornu parvum, ac Sanctos excelsorum deteret: adeò ut cogitet se mutaturum tempora & jus, tradanturque per manum ejus usque ad tempus, & tempora, partemque temporis. Sed judicium considebit, & dominatus ejus auferetur, profligando & perdendo usque in finem. Regnum autem dominatusque & amplitudo regnorum sub toto Cœlo dabitur populo Sanctorum excelsorum: cujus regnum erit perpetuum, & omnes dominatores ei servient & auscultabunt.*

Vides igitur in hac unâ visione, aut visionis explicatione, repeti iterum iterúmque hoc regnum Christi & Sanctorum; Et cum visio de Bestiis, ac ultimæ Bestiæ cornibus, sit indolis admodum cognatæ visionibus Apocalypticis, quæ Antichristum respiciunt: ipsíque eadem locutione figuratâ utatur utraque Prophetia in dimetiendis temporibus, ut ex locis utrinque collatis patet: (*Dan.* 7. 25. & 12. 7. cum *Apoc.* 12. 14. & 13. 5.) Dein cadente aut destructo hoc imperio, hîc itidem fiat mentio, ut apud *Johannem (cap.* 20.) de *Thronis positis*, datoque *judicio* & *regno Sanctis*: sine pertinaciâ negari non potest, utrumque Prophetam idem tempus respexisse, & eandem materiam tractâsse; illum quidem remotiùs, hunc propiùs, clariùs, & explicitiùs, ut solent Prophetæ Evangelici. Rerum futurarum notitiâ crescente & invalescente magis magisque, instar Lucis à primo crepusculo ad ortum Solis.

Hæc ex Sancti *Johannis* & *Danielis* Prophetiis de futuro in terris, Christi regno, dixisse sufficiant. Quò jam aliorum Prophetarum adjungamus oracula, utile erit, notas aliquas præmittere, quibus dignosci possit & ab aliis omnibus distingui hoc regnum Beatum. Celebratur autem nomine *Justitiæ*, *Pacis*, & Θεοκρατίας: quod sit regimen *justum*, *pacificum*, & *Theocraticum*. Atque his indiciis & characteribus distinguitur, aut opponitur potiùs, regnis mundanis; in quibus plerumque justi iniquè patiuntur: fervent bella cædesque; atque artibus, affectibus, vitiisque humanis tractatur & exer-

cetur Imperium. Potiſſimùm verò opponitur Antichriſti regno: quod madet ſanguine, & malis artibus ſuſtinetur.

Propheta *Iſaias*, & Propheta Regius, omnium maximè futurum Chriſti regnum celebrant. Dicitur Meſſias *Princeps pacis*, cap. 9. 6, 7. & inſignis eſt prætereà ille locus, *cap.* 65. quem anteà citavimus: Cum non tantùm hoc regnum pacificum vivis coloribus depingat, tàm quoad genus humanum, quàm quoad reliquam naturam: ſed etiam ad *novum Cœlum* atque *novam Terram*, hæc tempora fœlicia diſertè reſtringat; Cum dixerat *(ver.* 17.*) Ecce creaturus ſum novos Cœlos & novam Terram*, tum populum fore fœlicem prædicat, ſine luctu, ſine planctu *(ver.* 18, 19.*)* vitâ etiam longævâ fruiturum eſſe: *(ver.* 20, 21, 22.*)* lætâ terrâ *(ver.* 23.*)* & facili numine, *(ver.* 24.*)* Denique, exulare, tunc temporis, è totâ naturâ, omnem feritatem, omnes inimicitias, & nocendi vires aut voluntatem. *Lupus & Agnus paſcentur unà: & Leo, ut Bos, comedet ſtramen: Serpenti autem pulvis erit cibus, non malefacient in toto monte meo*, ver. 25.

Hoc ultimum pleniùs explicuerat idem Propheta, *cap.* 11. *ver.* 6, 7, 8, &c. ubi itidem regnum Chriſti deſcribitur, *Quapropter commorabitur lupus cum agno, & pardus cum hædo recubabit; vituluſque & juvenis leo, ac pecus pingue ſimul erunt, & puer dux inter eos. Et vaccâ urſâque compaſcentibus, ſimul recubabunt catuli earum; & leo ſicut bos, comedet ſtramen. Et oblectabit ſe lactens ſuper foramen Reguli; & ſuper ſpecum viperæ depulſus à lacte manum ſuam injiciet. Non afficient malo, neque deſtruent in toto monte ſactitatis meæ; cùm plena erit terra hæc ſcientiâ Jehovæ, velut aquis alveum maris operientibus.* Vides hîc omnia inimica & noxia procul fugari, atque incrementum ſcientiæ divinæ tunc temporis, tanquam hujus fœlicitatis cauſam aut comitem, exhiberi. Denique ſequitur *(ver.* 10.*) Illo tempore è radice Jeſſis prognatus, ſtabit in vexillum populorum, quo ſe gentes conferent: Et erit* REQUIES *ejus glorioſa.* Quùm de regno Chriſti hîc agatur, hanc κατάπαυσιν eandem eſſe exiſtimo cum illâ Apoſtoli *Pauli* ad Hebræos, *cap.* 4. eandem cum ſuo *Sabbatiſmo*; utì illam requiem ibidem *(ver.* 9.*)* ipſe interpretatur. Hîc igitur reſpicitur, ni fallor, ad triumphum & dominium Chriſti ἐν τῇ οἰκουμένῃ τῇ μελλέσῃ, &, poſt exantlatos labores omnes, devictoſque inimicos, ſui & ſuorum glorioſam pacem.

Denuò

Denuò, quoad juſtitiam, ubi judicem agit Chriſtus, *ibi* erit ſumma juſtitia, cum ſummâ pace conjuncta. Id quod dicitur ab eodem Prophetâ, *cap.* 2. 4. *Qui judicem aget inter gentes, & inſtituet populos multos: ut conflent gladios ſuos in ligones, & haſtas ſuas in falces: non attollat gens una in alteram gladium, neque diſcant amplius bellum.* Dein *cap.* 32. idem regnum eodem titulo juſtitiæ & pacis memoratur. *En juſtè regnaturus eſt, Rex, & principes jure principatum gerent,* &c. Atque iterùm iterúmque iiſdem nominibus in Pſalmis celebratur regnum Chriſti; ut in ſequentibus patebit: Intereà nihil impedit quo minùs de rege aliquo Iſraëlitico, aliove, hæc & hujuſmodi intelligi poſſint, tenui modo atque primo gradu: ultimò autem, plenè, atque ſummâ ſuâ ſignificatione, non niſi de Chriſto, ipſiuſque regno, exponi poſſunt. Principes Iſraelitici atque res Iſraelis, Chriſti & ipſius regni non rarò erant typi, atque eâ ratione ſæpenumerò permiſcentur in iiſdem Vaticiniis, quæ typum & antetypum ſimul comprehendunt; Hæc autem, ſi ad typum unicè reſtringas, neque verborum ponderi, neque rerum dignitati reſpondebit interpretatio; prætereà, in nonnullis locis citatis *Mundus futurus* ἀποδεικτικῶς indicatur, in aliis interpretatione aliquâ Apoſtolicâ in eam partem oraculum ducitur.

Huc etiam ſpectant illa loca, quorum ſunt plurima in hoc Prophetâ, quæ *inſtaurationem* & futuram gloriam *Judæ* & *Jeruſalem*, populique Iſraelitici prænunciant. Hæc enim vel typicè dicta ſunt de totâ Eccleſiâ Chriſti, ipſiuſque futurâ gloriâ, vel in eadem tempora incident, unà complenda & perficienda; Hujuſmodi loca ſunt *Iſaiæ, cap.* 51. *Nam conſolabitur Jehova Sionem, conſolabitur omnes vaſtitates ejus, & diſponet deſertum ejus tanquam Hedenem, & ſolitudinem ejus tanquam hortum Jehovæ; gaudium & lætitia invenietur in illo, gratiarum actio & vox Pſalmodica. Attendite ad me populi mi, & natio mea ad me aurem advertite: nam doctrina à me prodibit, & jus meum in lucem populorum collocabo. Propinqua eſt juſtitia mea, prodibit ſalus mea, & brachia mea populos judicabunt: In me inſulæ expectationem habebunt, & brachium meum expectabunt. Attollite in Cœlum oculos veſtros, & intuemini in terram deorſum, Cœlos, velut fumum, evanituros eſſe, & terram, ut pannum, veteraturam, habitatoreſque ejus ſimilitèr morituros: Salus verò mea in ſeculum erit, & juſtitia mea non atteretur.* Prætereà *cap.* 55. 12, 13. futuram

pacem & gaudium, terræque fertilitatem & delicias pollicetur Propheta. Quod non minùs facundè explicat *Joel*, eandem materiam tractans, *c.* 3. 18. *Erit autem die illo, ſtillabunt montes ipſi muſtum, & colles diffluent lacte; Et omnes alvei Jehudæ diffluent aquis; Et fons è domo Jehovæ prodibit qui irrigabit vallem Cedrorum lectiſſimarum.* In his locis, unà collatis, vides *Paradiſum redivivum*, & incolarum res proſperas & beatas. Dein *cap.* 43. & *cap.* 49. 13, *&c.* & ſæpè alibi, hanc futuram Iſraelitarum fœlicitatem proſequitur *Iſaias*.

Denique, ut hæc abſolvam, ad partes vocandus eſt Regius Propheta: qui victoriam Chriſti in ſuos inimicos, atque hoc illuſtre ipſius Regnum & Imperium, *pacis* & *juſtitiæ* nomine ſæpiſſimè celebrat. Nimius eſſem, ſi verba ipſa proferrem, ideóque *Pſalmorum* capita tantùm notabo, quos attentiùs inſpicere, qui animi dubius eſt, & ſecum meditari poterit. Pſal. 2. *Triumphus Chriſti in hoſtes.* Pſal. 9. *Victoria Sionis.* Pſal. 21. *Gloria Regis Meſſiæ* Pſal. 24. *Ingreſſus in ſuum regnum*, cum incolis ſubditiſve illius regni. Pſal. 45. *Epithalamium Chriſti & Eccleſiæ*, ſuæ ſponſæ: ut, *Apoc.* 19. *Pſal.* 48. *Hieroſolyma*, Eccleſiæ futuræ typus, *urbs glorioſa*, ut *Apoc.* 21. *Pſal.* 68. *Canticum triumphale ſuper victoriam & regnum Chriſti, Pſal.* 47. *Pſal.* 67. *Pſal.* 85. in illo regno *pax, juſtitia, rerum ubertas.* Pſal. 110. *de regno & Sacerdotio Chriſti.* *Pſal.* 102. 13, &c. de Sione reſtaurando.

Hi ſunt loci communes, ut ità dicam, Prophetarum, maximè *Davidis* & *Iſaiæ*; Et cùm horum ſingulis examinandis non ſuppetat tempus, age, rerum ſummas recolamus, & tot tantorumque vaticiniorum paucis ſupputemus momenta. Vides promiſſa celebria ab oraculo ſæpiùs repetita, beata tempora, novum rerum ordinem: Juſtitiam victricem, pacem ſtabilem, pietatem triumphantem: Hæccine eſt ficta rerum idea quam nobis exhibent Prophetæ? abſit: non inſtar Poëtarum ludunt authores Sacri, ad exercendum ingenium: aut nova & inaudita fingunt ad oblectandum populum. Quòd ſi vera ſint hæc vaticinia, vel præterita ſunt ea Tempora fœlicia quæ denunciant, vel adhuc futura; Neque enim, proh dolor! ſunt præſentia. In fæce rerum jam vivitur, dominantur vitia, friget pietas, ſæviunt bella, exulat juſtitia. Quòd ſi præterita eſſe ſtatuas, dic, quæſo, quo ſeculo à temporibus Prophetarum & Apoſtolorum incœperint, quo deſierint hæc

Beata

Beata Tempora. Nam, præter resurrectionem primam & renovationem naturæ, quam subindicant Prophetæ, quamque nondùm adveniſſe certò ſcimus: Si mores hominum atque mundi regimen reſpiciantur, ſi virtutis & pietatis officia, ubinam ſumpſeris millennium in hiſtoriâ orbis Chriſtiani, aut in decurſu temporum à ſeculis Apoſtolicis ad hodiernum diem, quod *juſtum, pacificum, Theocraticum*, dici mereatur? quod præfatis vaticiniis reſpondeat, & eorum ſenſum expleat & exhauriat? Gemit adhuc mundus ſub iniquis imperiis, & ſub vitiorum pondere: Solutus vagatur Satanas inſtar frementis Leonis: & ſub Ethnicis primùm, dein ſub Pſeudo-Chriſtianis, veritatis teſtes & pietatis incorruptæ vindices laceſſere, exagitare, perſequi nunquam deſiit. Nondùm igitur vidimus manſuetum & innocuum Chriſti regnum: ſed adverſariorum ipſius, quorum eſt hic mundus, Satanæ & Antichriſti, Tyrannidem patimur.

Fatendum eſt igitur *futura* eſſe hæc Tempora Prophetica: Nondùm illuxiſſe beatos illos dies: nondùm ligatum eſſe Satanam: nondum adveniſſe Regnum Chriſti; Quod, ut adveniat *in terris*, *ſicut in Cœlo*, quotidiè ſpiramus, flagitamus, expetimus. Supereſt adhuc *SABBATISMUS* populo Dei, glorioſa requies: cùm milites Chriſtiani, bello fœlicitèr geſto, optatam Terram poſſidebunt; Cùm Animæ clamantes ſub Altari, *USQUEQUO DOMINE*, exaudientur: Et elevatis in ſua Solia, datum erit judicium & rerum omnium gerendarum gubernacula. Faxit Deus, & maturet hæc tempora quæ ſecundùm promiſſa ipſius expectamus. Rev. 9. 10.

Hæc de Scriptis Propheticis: Sequitur proximè, ut, quæ fuerit vetuſta fides Eccleſiæ Chriſtianæ ſuper hoc dogmate: Quid ſenſerint primævi Patres & intemerata antiquitas, de hoc *Millennio*, paucis jam explicemus.

CHAP.

CAP. IV.

Secundum veterem Ecclesiæ fidem, & Patrum Christianorum suffragia, futurum esse Beatum Millennium in terris; antè vel post Conflagrationem.

CUM jam audiverimus Prophetarum voces in utroque canone: Et cùm in iis interpretandis magni semper habita fuerit primorum Christianorum, sive sententia, sive traditio: eam jam quæremus inter Veteres; quò nihil desit ad corroborandam hanc doctrinam, aut apud eos, qui Scripturâ solâ utuntur duce, aut apud eos qui antiquitatem venerantur.

Matt. 19. 28. Dixit Jesus Apostolis suis, qui ipsius gratiâ omnia reliquerant, eos sessuros esse secum *super Thronos* ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ: & pro singulis bonis quæ perdiderant aut abdicaverant, centies tantundem, quantum natura rei pateretur, accepturos. Hos Thronos eosdem esse existimo cum illis *Danielis* (*c.* 7. 9.) & cum illis Sancti *Johannis* (*Rev.* 20. 4.) ideóque idem tempus & eundem rerum statum designare; in Apocalypsi autem ad tempus statumque Millennii, sive primæ resurrectionis, referuntur illi throni; de eo igitur tempore & statu explicanda est hæc Christi παλιγγενεσία. Idque eò libentiùs admitto, quod de bonis corporeis hîc loquatur Christus, & in iisdem retributionem polliceatur in futurâ illâ Mundi instauratione. Neque minùs de bonis corporeis loquitur iterùm Christus, *Matt.* 26. 29. cùm dicit se non bibiturum ampliùs de fructu vitis, donec *novum* biberit in regno Patris. Ubi eandem naturæ renovationem respicere videtur.

Dixit prætereà Christus in suâ concione ad populum *Matt.* 5. 5. *Beatos esse Mites, quòd Terram possiderent.* Sed quam *Terram*, quæso? aut quo seculo? Hîc enim & in hodierno seculo mansueti parum possident gaudentve Terrâ, aut bonis terrenis. Hæc sunt hominum improborum & ferocium portio & peculium. De Terrâ *viventium*, aut, si placet, *revivi*scen-

viviſcentium (*Ezek.* 26. 20.) libentèr hoc intelligo: de quâ ſæpè loquitur Propheta Regius, *Pſal.* 116. 9. & 142. 5. Neque aliam mihi videtur manſuetis & juſtis in hæreditatem dare in *Pſalmo* 37. *ver.* 9, 10, 11, 22, 29, & 34. Ad quem locum reſpiciunt, aut quàm proximè accedunt, hæc Chriſti verba.

Hæc obitèr de duobus illis dictis Salvatoris noſtri: quæ Propheticis & Apoſtolicis ſunt adjungenda. Ad Patres Chriſtianos jam pergo. Hanc autem Doctrinam de *Beato* Millennio, *Papiam*, Epiſcopum *Hieropolitanum*, coæqualem *Polycarpi*, à Sancto *Johanne*, tam ſcriptam, quàm ore traditam, accepiſſe teſtantur Veteres. Ità *Irenæus*, cùm hanc doctrinam expoſuiſſet & probâſſet, ſubjungit, *Iſta Papias, auditor Johannis, Polycarpi familiaris, vir grandævus, in quarto libro operis ſui, teſtata reliquit.* Idem de Papia teſtatur, *Hieronymus* non ſemel; atque etiam *Euſebius* in *hiſtoriâ* ſuâ *Eccleſiaſtecâ*, *l.* 3. *c.* 33. additque *Euſebius*, plurimos in hâc re Papiam ſecutos eſſe: imò, ſi *Juſtino* credatur, *Omnes Orthodoxos.* l. 5. c. 33. De Script. Eccleſ. voc. Papias, & in Præf. ad Vict. in Apoc.

Sed de *Juſtino* ſtatim; Audiamus *Euſebii* verba; cùm Papiam hujus doctrinæ vindicem memoraſſet, ſubdit, Τοῖς μετ' αὐτὸν πλείσοις ὅσοις ἀφ' ἑκκλησιαστικῶν ὁ ὁμοίας αὐτῷ λόξης παρῆπται γέγονε. ὁ ἀρχαιότης γ' ἀνδρὸς περιβλημάτοις. *Plurimis Eccleſiaſticorum poſt eum ejuſdem ſententiæ cauſa & author fuit, motorum viri vetuſtate.* Et propterea *Hieronymus*, licet huic ſententiæ inimicus, non auſus eſt eam damnare, etiam ſuo tempore: propter authoritatem virorum Sanctorum in Eccleſiâ. Libro in *Jeremiam* quarto ad *cap.* 19. 11. cùm res *Millennii* more ſatis craſſo & Judaico recitâſſet, ſubjicit, *Quæ licet non ſequamur, tamen damnare non poſſumus: Quia multi Eccleſiaſticorum virorum & Martyres iſta dixerunt.* Et in proœmio in librum 18. Commentariorum in *Iſaiam*, cùm ſententiarum diverſitatem de variis dogmatis Chriſtianis notâſſet, ſubdit tandem, *Et quâ ratione intelligenda ſit Apocalypſis Johannis; Quam ſi juxta literam accipimus, Judiazandum eſt: Si ſpiritualitèr, ut ſcripta eſt, diſſerimus, multorum veterum videbimur opinionibus contraire. Latinorum, Tertulliani, Victorini; Græcorum, ut cæteros præteream, Irenæi tantum, Lugdunenſis Epiſcopi, faciam mentionem: adverſum quem vir eloquentiſſimus, Dionyſius, Alexandrinæ Eccleſiæ Pontifex, elegantem ſcribit librum, irridens mille annorum fabulam, & auream atque gemmatam in Terris Jeruſalem,*

Jerusalem, &c. *Cui duobus voluminibus respondet Apollinarius; Quem non solum suæ sectæ homines, sed & nostrorum, in hâc parte duntaxat, plurima sequitur multitudo. Ut præsagâ mente jam cernam, quantorum in me rabies concitanda sit.* Quibus verbis constare mihi videtur, doctrinam Millennii prævaluisse, ætate Hieronymi: etiam inter Orthodoxos; ideòque ab odio Theologorum eum sibi metuisse, quòd hujus doctrinæ authoritatem elevare & imminuere tentâsset. Certè ab Origine dicitur ἡ διαβόητος χιλιοταετηρὶς, *Celebratum Millennium.* In explic. Orat. Domini. Sed redeamus ad Papiam.

Vides Papiam, Episcopum Christianum, ipsius *Johannis*, vel eorum qui *Johannem* & Apostolos familiaritèr novissent, auditorem: Et post eum, plurimos cleri Christiani, hanc doctrinam, tanquam Apostolicam amplexos esse. Dein *Irenæus*, eandem fusiùs explicans *lib. 5. contra hæreses, cap. 32, 33, 34, 35, 36.* ait se eam recepisse à *Presbyteris qui Johannem, Discipulum Domini, viderunt.* Audiamus ipsius verba, *ibid. c. 33.* Ubi arguit benedictionem factam *Jacobo* à patre *Isaaco*, locum non habuisse in hoc mundo, neque in hâc Terrâ. *Quemadmodùm & Isaac continet benedictio, quâ*, &c. dein subsumit, *Hæc ergò si non quis accipiat ad præfinita regni, in grandem contradictionem & contrarietatem incidet, quemadmodum Judæi in omni aporiâ constituuntur. Non solum enim in hâc vitâ, huic Jacob non servierunt Gentes, sed & post benedictionem ipse profectus servivit avunculo suo Laban Syro, annos viginti: Et non tantùm non est factus dominus fratris sui, sed & ipse adoravit fratrem suum Esau, quando reversus est à Mesopotamiâ ad Patrem, & munera multa obtulit ei; Multitudinem autem tritici & vini quomodo hæreditavit hic, qui propter famem factam in terrâ, in quâ habitabat, in Ægyptum transmigravit; subjectus Pharaoni, qui tunc regnabat in Ægypto? Prædicta itaque benedictio ad tempora regni sine contradictione pertinet, quando regnabunt justi surgentes à mortuis: quando & creatura renovata & liberata, multitudine fructificabit universæ escæ, & rore Cœli, & ex fertilitate terræ: quemadmodum Presbyteri meminerunt, qui Johannem discipulum Domini viderunt, audisse ab eo, quemadmodum DE TEMPORIBUS ILLIS DOCEBAT DOMINUS.* Presbyteros citat, qui hanc doctrinam acceperant ex ore Sancti *Johannis*, uti Sanctus *Johannes* ex ore Domini.

Vides

Vides hos duos teſtes, aut ipſos fontes attingere, aut rivos inde proximè manantes. His adjungamus *Juſtinum Martyrem*, ejuſdem ſeculi Patrem, & *Irenæo* priorem. Ille huic dogmati non tantùm ſe adhærere perhibet, ſed etiam omnes Chriſtiani nominis genuinos profeſſores: non minùs quàm reſurrectionis articulo. Ἐγὼ δὲ, καὶ εἰ τινες εἰσὶν ὀρθογνώμονες καὶ πάντα χεισιανοὶ, καὶ σαρκὸς ἀνάστασιν γενήσεσθαι ἐπισάμεθα καὶ χίλια ἔτη ἐν Ἱερουσαλὴμ οἰκοδομηθείσῃ καὶ κοσμηθείσῃ καὶ πλατυνθείσῃ. ὅσπερ οἱ Προφῆται Ἰεζεχὴλ καὶ Ἡσαΐας, καὶ ἄλλοι ὁμολογοῦσι. *Ego autem, & ſiqui rectæ per omnia ſententiæ Chriſtiani ſunt, & carnis reſurrectionem futuram novimus, & mille annos in Jeruſalem inſtauratâ, & exornatâ, & dilatatâ; ſicut Prophetæ Ezekiel, Iſaias, & alii, communi conſenſu teſtantur.* Dein caput *Iſaiæ ſexageſimum quintum*, hujus doctrinæ propugnaculum, *Triphoni* memorat; Eique ſubnectit Sancti *Johannis* teſtimonium; ſed modeſtè admodùm, memor quocum ageretur, cum viro Judæo. Καὶ παρ' ἡμῖν ἀνήρ τις ᾧ ὄνομα Ἰωάννης, εἷς τῶν Ἀποστόλων τοῦ Χεισοῦ, ἐν ἀποκαλύψει γενομένῃ αὐτῷ, χίλια ἔτη ποιήσειν ἐν Ἱερουσαλὴμ τοὺς τῷ ἡμετέρῳ χεισῷ πισεύσαντας προεφήτευσε. Καὶ μετὰ ταῦτα δὲ καθολικὴν, καὶ συνελόντι φάναι, αἰωνίαν ὁμοθυμαδὸν ἅμα πάντων ἀνάστασιν γενήσεσθαι, καὶ κρίσιν. *Et vir apud nos Chriſtianos quidam, cui nomen erat Johannes, ex Apoſtolis Chriſti unus, in eâ, quæ illi exhibita fuit, revelatione, Chriſti noſtri fideles, annos mille Hieroſolymis peracturos eſſe, vaticinatus eſt; ac poſteà univerſalem, &, ut verbo dicam, æternam omnium unanimitèr reſurrectionem & judicium futurum.* Vides hic primam & ſecundam reſurrectionem *Johannis*, & *Beatum Millennium* interpoſitum: ex mente *Juſtini Martyris.* Vid. etiam p. 340 & p. 369. de eodem argumento.

His Triumviris ſeculi à Chriſto nato ſecundi, licet adjungere *Melitonem*, Epiſcopum Sardenſem: ſanctitate & doctrinâ eximium, ut ex antiquis conſtat. Plures ipſius libros recenſet *Hieronymus*: & præter alios, pro *Dogmate Chriſtiano* unum: De *Apocalypſi Johannis*: De *Vitâ Prophetarum*, & de ſuâ Prophetiâ. Notatque ex *Tertulliano*, eum à *pleriſque noſtrorum Prophetam putari.* Numeratur inter aſſertores & patronos dogmatis Millenarii, & ab *Hieronymo*, & a *Gennadio.* De Script. Eccleſ. in Melitone & Polycrate. In Ezek. 36. De dogm. Ecc. c. 55.

Præterea ex Epiſtolâ quæ dicitur Sancti *Barnabæ*, antiquâ certè, & primi ſecundive ſeculi: conſtat hanc doctrinam tunc temporis obtinuiſſe, ab authore illius Epiſtolæ acceptam & confirmatam. Eſt cognati argumenti illa Epiſtola

cum Paulinâ ad Hebræos : versatur ferè tota in typis rituumque Judaicorum sensibus mysticis enodandis ; Et in explicando *Sabbatho*, *Terrâque promissâ*, uti sensus ipsius affinis est Paulino, ità uterque *futurum seculum* Millennii beati ab illis typis aperit & evolvit. Sabbathum interpretatur uterque *Sab-*
cap. 15. *batismum : cùm renovatis omnibus*, inquit, ipsi nos Sancti facti, diem illum sanctificare poterimus. *Diem* autem interpretatur *mille annos*. *Terram* itidem *promissam* exponere videtur, *cap.* 6. de *mundo Futuro*, uti *Paulus* anteà ad Hebræos, *cap.* 11. 9, 10.

Ab his testibus abundè patet, doctrinam *Regni*, ut loquuntur Veteres, sive de *Beato Millennio*, Catholicam fuisse in primis Ecclesiæ Christianæ seculis. Cùm ab authoribus illis quos suprà memoravimus, non ut proprium & privatum dogma, referatur, sed Apostolicè traditum, omnibusque Orthodoxis receptum. Nec hîc ingenio aut eruditione *Papiæ*, vel aliorum, nitimur, sed testimonio : pro viris probis & fide dignis habemus, nec plura desideramus ; præsertim cùm nullius extet aut scriptum, aut nomen, aut memoria, qui in primo aut secundo seculo huic doctrinæ, Christiano more propositæ, adversatus fuerit ; Si excipias eos, qui, aut resurrectionem Christianam, aut *Apocalypsin Johannis* in dubium vocârunt.

Obtinuit etiam in tertio seculo hæc eadem doctrina. Testes sunt *Tertullianus*, *Victorinus Petavionensis*, Episcopus & Martyr ; Et *Nepos*, Episcopus Ægyptius. De *Victorino* hoc te-
De Script. Eccl. voc. Papias & not. ad Ezek. c. 36. Hier. de script. Ecc. in D. Alex. Euseb. hist Eccl. l. 7. c. 19. statur *Hieronymus*, tam in præfatione ad Commentarium *Victorini* in Apocalypsin, quàm alibi. In eâdem præfatione *Nepos* Ægyptius dicitur sensisse idem cum *Papiâ* & *Victorino* de *mille annis*. Et tum primùm huic doctrinæ se opposuit *Dionysius Alexandrinus*, edito libello in Nepotem ; Quem tamen laudat ob singularem in *studiis diligentiam*, & *assiduam* in *scripturis exercitationem*. Sed perierunt utrinque scripta. *Lactantius* libro de *Vitâ Beatâ* hunc statum Millennii operosè explicat. Neque hanc doctrinam proponit tanquam magis dubiam aut minus catholicam cæteris illis quas in iisdem *Institutionibus Divinis* tradiderat. Concludit enim, de hoc Millennio tractans, *Hæc est doctrina Sanctorum Prophetarum, quam Christiani sequimur* ; *Hæc nostra sapientia*, &c. Fatetur tamen ibidem Hoc instar arcani custoditum fuisse inter Christi-

Christianos, ne perversâ Gentilium interpretatione in malum sensum traheretur. *Non defendere hanc* (doctrinam) *publicè atque asserere solemus, Deo jubente, ut quieti & silentes arcanum ejus in abdito, atque intra nostram conscientiam teneamus; nec adversus istos verè profanos, qui non discendi, sed arguendi gratiâ inclementèr Deum ac religionem ejus impugnant, pertinaci contentione certemus. Abscondi enim tegique mysterium quàm fidelissimè oportet, maximè à nobis, qui nomen fidei gerimus. Verùm illi hanc taciturnitatem nostram, velut malam conscientiam, criminantur. Unde etiam quasdam execrabiles opiniones de pudicis & innocentibus fingunt, & libentèr his, quæ finxerunt credunt.* Et quidem ipse Liber Apocalypseos aliquamdiù latuit in paucorum manibus, nondum additus codicibus in vulgum datis; aut quòd liberiùs de Româ perdendâ loqueretur, aut ob hoc ipsum Millennium: quo abusus est *Cerinthus*, aliique corporeis voluptatibus nimis inhiantes.

Quoad *Tertullianum*, licet perierit iste liber *de Spe Fidelium*, quem in hâc re citat *Hieronymus*: & quò etiam remittit Lectorem ipse *Tertullianus*, *libro tertio adversus Marcionem*, sub finem: Eodem tamen tempore & loco, sententiam suam de Millennio satis liquidò exponit, his verbis: *Nam & confitemur in Terrâ nobis regnum repromissum, sed ante Cœlum, sed alio statu; utpote post resurrectionem mille annos in Civitate divini operis Hierusalem Cœlo delatâ.—Hanc Ezekiel novit, & Apostolus Johannes vidit*, &c. Et, adversus *Hermogenem*, in eum sensum interpretatur locum ad *Romanos* c. 8. 21. & *Isaiæ* c. 65. ult. Ut licet exciderit iste tractatus ubi rem fusiùs explicuerat, quæ fuit mens *Tertulliani* circa Millennium, ex hisce reliquiis satis constat.

Quin & *Tertulliani* discipulus, *Cyprianus*, in hâc re à Magistro non videtur discessisse. Nec id mirabitur quisquam, qui norit, Sanctum illum Patrem tanti fecisse *Tertullianum*, ut à Notario ipsius traditum sit, *nunquam Cyprianum, absque Tertulliani lectione, unam diem præteriisse*; ac ei crebrò dicere solitum, *Da Magistrum*, Tertullianum significans. *Sex mille annorum*, inquit Cyprianus (in *præf.* ad *exhortationem Mart.*) *jam penè complentur*, ideoque appropinquare Antichristum; nempe, juxta ipsius veterumque sententiam. Sed adhuc, destructo Antichristo, supponit mundum duraturum esse alterum millenninum, ut patet manifestò ex capite undecimo

ejuſdem libri; Hoc igitur erit *Sabbathum Mundanum.* Id quod ipſius verba planè innuunt, cum de Fratribus Maccabæis verba faciens, ait, *Sic ſeptem fratres in Martyrio cohærentes, ut primi in diſpoſitione divinâ ſeptem dies, annorum ſeptem millia continentes — ut conſummatio legitima compleatur.*

Sed de his authoribus ſatis, & de hujus dogmatis antiquitate; Cùm ex dictis conſtet, illud ab Apoſtolis aut temporibus Apoſtolicis deduci poſſe; atque ad ducentos & quinquaginta annos à nato Chriſto, neminem huic apertè obſtitiſſe, cujus ſuperſit memoria. Qui poſteà repudiarunt hoc dogma, dicti ſunt ab antiquis, ut mihi videtur, *Allegoriſtæ* vel *Allegorici*: quòd millennium Sancti *Johannis*, capite viceſimo Apocalypſeos, in allegoriam converterint. Ità intelligo ſcriptum illud *Nepotis*, *Ægyptii*, cujus meminit *Euſebius*, dictum Ἔλεγχος Ἀλληγορεισῶν, *reprehenſio Allegoriſtarum*; ſcilicet quoad dictum caput Apocalypſeos; ut ex reſponſo *Dionyſii* ibidem patet, aliiſque authoribus unà collatis. Sed maximè depreſſit doctrinam de Beato Millennio imperioſum ingenium *Hieronymi*. Viri quidem eruditi, ſed qui cum impetu ferebatur, in quamcunque partem propendebat: Nec metuit onerare adverſarium, aut adverſarii ſententiam, ſi non malignis interpretationibus, ſaltem exaggerationibus iniquis, quo iis odium & invidiam conflaret. Teſtatur utcunque, ex ante dictis, quàm altas radices egerat in Theologis Chriſtianis ſui temporis hæc doctrina, nedum exoleverat. Sed pergamus.

Hiſt. l. 7. c. 19. Euſeb. hiſt. l. 3. c. ult. Hieron. procem. in l. 18. com. in Iſa. Epiph. adverſ. Hær. l. 3. tom. 2.

Quanquàm antiquitatis irrefragabilis authoritate nitatur hoc dogma, atque eo nomine ab omnibus fidem meruerit: fatendum eſt tamen id minori quàm par erat, judicio & gravitate à nonnullis tractatum & expoſitum fuiſſe. Et ſiquos arcebat ab ipſius fide levis illa & incauta explicatio, eos non illibentèr excuſatos haberem. Eſt quidem argumentum lubricum, in quo tractando difficile eſt non labi, niſi lentè & cautè progrediamur: Ducibus Scripturâ & Ratione. Quis non videt, præter Judaizantes *Cerinthum* & *Apollinarium*, & eorum ſequaces: in *Lactantio* noſtro, aliiſque ſui ſimilibus, quædam aſſuta vel intertexta huic dogmati; aut ex proprio ingenio, aut ex Gentilium libris, aut traditionibus Pſeudo Chriſtianis: quæ neque dictant Sacræ Literæ, nec commodè pati poſſit rerum natura. Ab his purganda eſt area, excutiendæ

tiendæ ſunt Paleæ ; Neque alitèr verſandum eſt cum antiquis, ut id obiter dicam, ſive in rebus Theologicis, ſive Philoſophicis, quàm *Ventilabro in manu :* ut levia a ſolidis, utilia ab inutilibus ſecernamus. Quod de libro quodam *Hippoliti* Martyris notavit, *Photius (Cod.* 202.) idem de pluribus veterum rectè, dicitur : *πολλὰ ἀρχαιοτρόπως, καὶ οὐκ εἰς τὸ ὕστερον διηκριβωμένα καταλέγει. Multa more vetuſto, non ut poſtea fuere accuratiùs excuſſa, recenſet.* Retinuerunt ſæpe Veteres traditionem aliquam in genere & confusè, ſed cum fundamentum & modum doctrinæ traditæ non reſciverint, quiſque pro ſuo ingenio rem ſibi traditam explicuit, & additamenta nonnùnquam attenuit, quæ diligentiùs ſunt examinanda. Plerumque verum eſt illud Oratoris, *Recentiſſima quæque ſunt correcta & emendata maximé.*

Quare in hoc argumento rem ipſam, non modum rei, ab antiquis accipio ; Qui, cùm longiùs abeſſent à Mundi fine, tàm hæc quàm alia vaticinia, quæ eò ſpectant, *Danielis* aut *Apocalypſeos*, minùs diſtinctè perceperunt ; Ideoque, in dimetiendis temporibus, in rebus Antichriſti explicandis, Chriſtique ſecundo adventu, Veteres à Scopo aliquoties aberrâſſe, ne miremur. Accidit enim plerumque in Prophetiis, ut in navigationibus : quo propiùs ad portum acceditur, eò meliùs quæ ſunt in littore diſcernimus ; Dum verſamur in alto mari, Terram è longinquo conſpicere licet, confuſo more : Montes, Turres, & majores rerum moles : Sed cujuſque corporis forma & proportiones, diſtantiæ, & aliorum ad alia ſitus & ordo, Hæc non niſi appropinquantibus dijudicantur. Simili ratione, in rebus Propheticis : Modi, tempora, diſpoſitio, & majorum minorumque partium ſignificationes, nobis ad metam jamjam properantibus magis in conſpectum veniunt, quàm antiquis Patribus : eadem intuentibus ex majori intervallo, multiſque umbris & nebulis interpoſitis. Sed de his ſatis. Qui plures poſtulant Authores Futuri Chriſti Regni vindices, adeant illos, non paucos quidem, qui hanc materiam copioſiùs tractàrunt. Ad propoſitum noſtrum hæc ſufficiant.

CAP.

CAP. V.

Secundum Judæorum & Gentium Thologiam, fore itidem Beatum Seculum in Terris: Cum Renovatione Mundi.

CUm Beato sæculo futuro, sive Millenni Regno Christi, connectitur *Mundi Renovatio*: Mundum *Naturalem* intelligo, Cœlum nostrum & Terram, cum suis operibus & paratu. Et planè fruſtra sunt, & Æthiopem lavant, qui in Terris hodiernis, absque ullâ renovatione Naturæ Beatum Millennium instruere vellent & apparare. Rerum Futurarum (de quibus est Sermo) hæc est series & ordo: *Mundi Conflagratio*, ejusdemque *Renovatio*, sive redintegratio: Dein *Resurrectio prima*, Beatum *Millennium*, *Resurrectio universalis*, & *Judicium*: Denique rerum omnium Consummatio. Hæc est Catena temporum rerumque futurarum, ut mihi videtur. Sed remissis ad sua loca cæteris, Quid senserint Antiqui, sive Judæi, sive Gentes, de *Renovatione Mundi*, statuque beato inde secuturo, paucis inquiramus.

Ad Judæos quod spectat, notum est in eorum Theologiâ obtinuisse utrumque dogma: tàm de *Mundi renovatione*, quàm de *futurâ* in *Terris fœlicitate*; atque eo nomine ab Hieronymo, aliisque, *Judaismi* insimulata est hæc doctrina Christiana de *Beato Millennio*. Id tamen nimis invidiosè; Non enim propterea rejicienda est doctrina aliqua quòd Christianâ religione antiquior sit, aut quòd eam amplexi sint Judæi: Quot enim cum iis communes habemus? Et, cùm eosdem nobiscum habuerint codices sacros Hebræi, eosdem Prophetas & Oracula, quidni ab iisdem ipsis hoc dogma hauserint? Quod facilè persuadebitur iis, qui interpretes Hebræos consulunt ad *caput sexagesimum quintum Isaiæ*: aliaque ejusdem, & aliorum Prophetarum loca similia. Quòd si verò fabulosa aliqua, aut inepta admiscuerint: Si fundamento solido, & utrisque communi, lignum, fœnum, stipulam superstruxerint, rejicienda sunt illa levia & male congesta,

Vid. Hier. in loc. & Ab. Ezr. in loc. & R. Dav. Kimchi in Isa. 56. 6.

gesta, salvo semper fundamento. Denique sat scio *Philonem Judæum*, & *Maimonidem*, aliosque Aristotelis sequaces, Mundum esse *Incorruptibilem* statuisse, & æternum fore. At hæc Secta rejicitur à plerisque Judæis : utpote qui Mundum hodiernum destructum iri credunt & renovandum. Sed pergamus in proposito.

Apud Judæos, celebris est doctrina, de *sex Millenniis* pro duratione mundanâ : & dein secuturo *Sabbatho*, & rerum omnium requie. Ità efferri solet, *Sex mille annos durat mundus* ; *Duo millia, Inane : Duo millia Lex : Duo millia Dies Messiæ.* Sequiturque Sabbathum. Referri solet hoc dictum ad Domum *Eliæ*, Rabbinici Doctoris ; sed eatenùs opinor tantum quantum respicit partitionem annorum in sua bis millennia ; Nam quoad mundi durationem, & Sabbatismum, fundatur hæc doctrina in Hexamero : quòd sex diebus Creationis successerit Sabbathum : habito quoquo die pro mille annis secundum Psalmistam ; non dissonante Apostolo *Petro.* Præterea, repetitur idem typus in Lege & mandato de *Semita* observando : ut nimirum Sex annis Terra coleretur, & septimo requiesceret. Ego quidem mihi temperare nequeo quo minùs credam, hanc temporum œconomiam & digestionem à Mose institutam : sex dies operarios, dein Sabbathum : Sex annos agricolationis, dein שְׁמִטָּה : Et denique, in fine hebdomadis annalis, Jubilæum : esse aliquo modo Typicam. Neque aliud reperio quod magis aptè aut luculenter significare possit, quàm *Beatum Millennium* ; Hoc enim, tàm, quoad rationem temporis, convenit : cùm post sex Millennia futurum esse supponamus ; quàm quoad naturam rei : Nam respondet suâ naturâ, & Sabbatho, & *Semita*, & Jubilæo. Propter Sabbathum, ab Authore ad Hebræos dicitur Sabbatismus : & re & nomine conveniunt : Ac utì in *Semita* abstinuerunt ab omni Terræ culturâ, ità in novâ Terrâ, ubi celebratur Millennium, cessabit labor Agricolæ : propter spontaneam Soli ubertatem. Denique Jubilæum refert, non tantum propter liberationem & emancipationem, &, quæ inde sequuntur, gaudium & exultationem : Sed quod annus Jubilæus esset quædam ἀποκατάστασις vel ἀναγωγὴ, Restitutio quædam vel reductio rerum omnium ad pristinum statum ; quemadmodum fiet in renovatione Terræ.

Pfal. 90.4.
2 Pet. 3.8.

Vid. hæc dicta a *J. Medo* collect. in fin. Com. Apoc.

In hoc dicto *Eliæ* non exprimitur Septimum Millennium pro Sabbatho; ſed in Hebræorum aliis exprimitur: atque ratio & baſis omnium, in hâc re, eadem eſt. Prætereà traditur ab Hebræis futura *mundi renovatio*, ſecundùm Prophetarum Oracula, in Regno Meſſiæ & עולם הבא. Atque hæc naturæ redintegratio cum Millennio noſtro ſemper conjungi debet. Quare utramque partem cauſæ noſtræ tuentur, ſuiſque, aut traditionibus, aut expoſitionibus, confirmant. Intereà non inficior, hæc omnia, de *fine mundi*, de *regno Meſſiæ*, de *naturæ renovatione*, variè & confusè ab Hebræis tradi. Nec miror quidem, quùm neque ſcientiam naturalem, cujus erant ignari, pro duce habuerint: Neque luminis revelati, eâ, quâ nos fruimur, claritate gauderent. Prætereà, cùm Judæorum doctrina de termino & renovatione mundi, cohæreat cum illâ de adventu Meſſiæ: atque calculum ſuum de Meſſiæ adventu, propter ipſius tarditatem, mutare & longiùs protrudere coacti ſint: hinc calculi omnes poſteriores, qui inde pendent, ad anguſtias temporis rediguntur, &, non ſine confuſione, à recentioribus Rabbinis alii aliis contigui fiunt. Unde orta eſt diſcrepantia non exigua inter ſententias antiquorum & recentiorum Judæorum de rebus temporibuſque noviſſimis. Illi reſurrectionem Juſtorum, qui diebus Meſſiæ frui deberent, ab univerſali diſtinguebant: Hi verò, cum ſua Sex Millennia jam penè conſumpta videant, non tantùm has duas periodos, ſed res alias longè diſſitas, conjungunt, aut in unum congerunt. Ità adventum *Meſſiæ*, finem mundi, utramque reſurrectionem, extremum Judicium, in idem ferè tempus conjiciunt: quæ ſuis intervallis per antiquos rectè diſtinguebantur. Hæc autem, cùm ab illo errore prognara ſint omnia, quòd *Meſſiam jam veniſſe*, nolint agnoſcere: non obſtante hâc ſententiarum diſcrepantiâ vel confuſione inter ſequioris ævi Hebræos, manet fundamentum, conſtatque, doctrinam *de renovatione mundi*, & *futuro in Terris Juſtorum beato ſeculo*, eſſe Antiquo-Judaicam.

Sequitur *Theologia Exotica* ſive Gentium; in quâ itidem notare licet *Mundanàs periodos* ſive renovationes, & in mundo renovato vitam beatam, atque aurei ſeculi quaſi reductionem. De periodis & renovationibus mundanis quæ ἀποκαταστάσεις dici ſolent, multa occurrunt, tàm apud Græcos, quàm apud Bar-

Barbaros. Apud Græcos, Stoici & Platonici, qui ex omnibus Sectis, ut mihi videtur, maximè Philoſophiam cum gentibus antiquo-barbaris participabant, hanc doctrinam myſticam præ cæteris coluere, & ſcriptis ſuis ad poſteros tradiderunt. Audiamus pauliſper utriuſque ſcholæ Philoſophos in hoc argumento.

Chryſippus de *Providentiâ*, ut à Stoicis exordiamur, cùm de innovatione mundi loqueretur, inquit, Ἡμᾶς μετὰ τὸ τελευτῆσαι, παλὶν περιόδων πινῶν εἱλημμένων χρόνε, εἰς ὃ νῦν ἐσμὲν ἀποκαλασήσασθαι σχῆμα. *Poſt mortem, revolutis quibuſdam temporis periodis, in eandem nos reſtituendos eſſe formam.* Chryſippo *Zenonem* & *Cleanthem* adjungit *Stobæus*, totamque naturam, unà cum hominibus, complectitur. Ζήνωνι καὶ Κλεάνθει, καὶ Χρυσίππῳ, ἀρέσκει, τὴν οὐσίαν μεταβάλλειν, οἷον εἰς σπέρμα, τὸ πῦρ: καὶ πάλιν ἐκ τούτε τοιαύτην ἀποτελεῖσθαι τὴν διακόσμησιν, οἵα πρότερον ἦν. *Zenoni, Cleanthi, & Chryſippo placet, mutari naturam in ignem, ut ſemen; idque rurſus perfici & deduci in eandem, quæ obtinuit anteà, mundi compagem.* Hanc revolutionem naturæ τὴν περιοδικὴν παλιγγενεσίαν τῶν ὅλων. appellat *Marcus Antoninus* Imperator, ejuſque ſæpiùs meminit in ſuis meditationibus. His Philoſophis ætate ſuperiores erant *Empedocles* & *Heraclitus*, & in eadem ſententia. * *Heracliti* ſententiam ità nobis retulit *Laertius*. Ἥνα εἶναι τὸν κόσμον, γενναῦσθαι δὲ αὐτὸν ἐκ πυρὸς, καὶ πάλιν ἐκπυροῦσθαι, κατὰ πίνας περιόδους ἐναλλὰξ τὰ σύμπαντα ἀιῶνα. Idem ſenſiſſe Empedoclem teſtatur *Alexander Aphrodiſienſis*, apud *Philoponum*.

Apud Laert. l. 7. c. 23.

Eccl. Phyſ. l. 1. c. 24.

* Eandem Empedoclis & Heracliti ſententiam notat *Simplicius*, in *Ariſt.* de cœlo, li. 1. c. 11. & *Euſebius* præp. Evang. l. 14. c. 3. & li. 15. c. 14.

Denique de Stoicis in genere, hæc habet * Origenes contra Celſum: Φασὶ δὲ οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς, κατὰ περίοδον ἐκπύρωσιν τοῦ παντὸς γίνεσθαι, καὶ ἐξῆς αὐτῇ διακόσμησιν παντ' ἀπαράλλακτα ἔχουσαν, ὡς πρὸς τὴν πρότερον διακόσμησιν. *Stoici quidem aiunt poſt certum tempus deflagrationem hujus univerſi futuram eſſe; eamque mox conſequentem inſtaurationem, omnia in priſtinam formam reſtituturam.* His plura habes ſimilia de Stoicis apud *Euſebium*, ex *Numenio*: ubi, capite 19. & ἀνάσασιν & ἀποκατάσασιν & *annum magnum* & *periodos* memorat. Natura, inquit, redit εἰς τὴν ἀνάσασιν ἐκείνην τὴν ποιᾶσαν ἐνιαυτὸν τὸν μέγιστον, καθ' ὃν ἀπ' αὐτῆς μόνης εἰς αὐτὴν πάλιν χώρησαι ἡ ἀποκατάστασις· ἐπανελθοῦσα δὲ, διὰ τάξιν, ἀφ' οἵας διακόσμησιν ὡσαύτως ἤρξατο, κατὰ λόγον πάλιν τὴν ὡτὴν διεξαγωγὴν ποιεῖται, ἐπὶ τοιούτων περιόδων ἐξ' ἀϊδίε γιγνομένων ἀκαταπαύστως. Cum natura redierit *ad Reſurrectionem illam, Magni anni effectricem, ſecundùm quem ex ſeipſâ in ſeipſam iterùm fit reſtitutio. Ad eum porrò ſta-*

Præp. Evang. l. 15.

tum revocata, eodem prorsus ordine quo jam antè mundum similitèr ornare cœperat, eandem iterum prout ratio postulat, rerum dispositionem atque administrationem instituit: Ejusmodi conversionibus perennitèr & sine cessatione redeuntibus. Rectè igitur notatum est alibi, Eos qui Mundum æternum esse statuebant, per has renovationes & vicissitudines ipsius ævum perennâsse. Sed de his satis.

Stob Eccl. Phy. ubi supra.

Quoad Platonicos, Hæc Mundi renovatio sive ἀποκατάστασις *Annus Platonicus* dici solet; quasi ab ipso originem duxisset illa doctrina: quæ tamen reverà multò antiquior est, à Philosophis antiquo-barbaris derivata. Sed apud Græcos, dogmata iis sæpè adscribuntur authoribus, qui in illâ gente celebriores fuerant, vel primi professores. Hoc dogma Pythagoricis & Platonicis, non minùs quàm Stoicis, ab Origine attribuitur: additis, à redintegrato Cœli cursu, suis rationibus. Καὶ οἱ ἀπὸ τοῦ Πυθαγόρου δὲ καὶ Πλάτωνος, εἰ καὶ δοκοῦσιν ἄφθαρτον τηρεῖν τὸν κόσμον, ἀλλὰ τοῖς παραπλησίοις γὲ περιπίπτουσι. Τῶν γὰρ ἀστέρων κατὰ τίνας περιόδους τεταγμένας τοὺς αὐτοὺς σχηματισμοὺς καὶ σχέσεις πρὸς ἀλλήλους λαμβανόντων, πάντα ἐπὶ γῆς ὁμοίως ἔχειν φασὶ, τοῖς, ὅτε τὸ αὐτὸ σχῆμα τῆς σχήσεως τῶν ἀστέρων περιεῖχεν ὁ κόσμος. *Quin & Pythagoræ Platonisque propago, quamvis videantur incorruptibilem mundum asserere, in cognatas opiniones incidunt. Aiunt enim, statis annorum periodis, stellas ad eandem, quam olim habuerant, configurationem & inter se respectum recurrere; & inde in Terrâ quoque eandem rerum faciem consequi, qualis ante aliquot secula, Syderibus simili modo dispositis, fuerat.* Huc etiam respicit illud *Plutarchi* (De Fato) ad mentem *Platonis*, πάντα ὅσα τε κατ' οὐρανὸν, ἅτ' ἐπὶ τὴν γῆν, ἐξ ἀνάγκης ἄνωθεν συνίσταται, πάλιν μὲν εἰς τὸ αὐτὸ καταστήσαται. Et quæ sequuntur fortiora. Sed *Platonem* ipsum adeamus.

Ut supra.

In pluribus locis hanc tractat materiam, aut attingit: potissimùm verò in *Politico*, sive de *Regno*, ubi varias mundi παραλλάξεις & περιαγωγὰς, *vicissitudines* & *conversiones*, cùm statuisset, docet, Conversiones illas, in quibus motus Cœli est uniformis & æqualis, constituere statum naturæ beatum: Et in quibus est ἀνάρμοστος, inæqualis, & obliquus, statum infœlicem; qualis est hodiernus. Hæc quidem verissima sunt, atque hanc ἀναρμοστίαν Cœli & Terræ, sive Universi, rectissimè statuit fontem & originem incommodorum in rerum naturâ;

tura; corrigetur autem in mundo renovato: eâque correctâ, aurea naturæ facies statim relucebit.

Sed de his periodis & conversionibus Universi loca quædam notemus. In præfato dialogo hæc habet. Τὸ πᾶν τόδε μὲν αὐτὸς ὁ θεὸς ξυμποδηγεῖ πορευόμενον καὶ συγκυκλεῖ· τοτὲ δ' ἀνῆκεν, ὅταν αἱ περιόδοι τοῦ προσέκοντος αὐτῷ μέτρον εἰλήφασιν ἤδη χρόνου. *Universum hoc aliquando Deus ipse regit in suo cursu, & circumvolvit: aliquando remittit, cum statæ mundi periodi competentia sibi temporis curricula expleverint.* Hìc duas periodos notat *Plato*; id verò malè supponit, Deum abdicare rerum gubernacula, cùm expletâ periodo regulari, natura perversum ordinem ingreditur. Harum revolutionum meminit etiam in *Octavo* de *Republicâ*: atque rerum humanarum, non minùs quàm inanimatarum vices his, nimium quantum, attribuit. In Princ. ὅταν περιτροπαὶ ἑκάστης κύκλων περιφορὰς συνάπτωσι. Denique in *Timæo*, mundi catastrophas, sive per ignem, sive per aquam, his itidem adscribit. Τῶν περὶ γῆν καὶ κατ' οὐρανὸν ἰόντων παράλλαξις, καὶ διὰ μακρῶν χρόνων γενομένη τοῖς ἐπὶ γῆς πυρὶ πολλῷ φθορά. Et completo temporis orbe, de quo postea loquitur, instaurationem magnam futuram esse ait: Cùm omnia, ut inquit, *Chalcidius* ad locum, *quæ vel in Cœlo vel in terris proveniunt, rursùm de integro ad præteritas conditiones redeant, necesse est.* Et de eâdem instauratione alibi loquens *Chalcidius*, ait, aliam fore mutationem Universi, *quæ unam faciem atque eandem repræsentet quæ fuit ab initio mundi. Quem quidem motum, & quam designationem non est putandum, labem dissolutionemque adferre mundo, quin potiùs recreationem, & quasi novellam viriditatem, positam in auspicio motûs novi.* Et eodem modo disserit de his *periodis Mundanis Proclus* in Timæum, *li.* 1. *p.* 39. Sæpiùs etiam occurrit hæc doctrina in Libris, qui dicuntur *Trismegisti*, ut cuique notum est. Denique *Simplicius*, cum plurimorum sententias de ortu & interitu Mundi recitâsset, subdit, οὐδεὶς τῶν παλαιῶν λέγεται τὴν φθορὰν τοῦ κόσμου τοιαύτην εἰπεῖν, ὡς φθαρέντα μηκέτι αὖθις ἐπανήκειν. *Neminem Antiquorum Mundum ita corruptibilem esse dixisse, ut nunquam esset reversurus.*

Renovationem Mundi necesse est præcedat Conflagratio. Priùs diruenda est Domus, quàm reædificetur. Atque hæc ferè conjunctim occurrunt apud Antiquos. Utrumque tam incendium quam restaurationem, unà complexus est *Sophocles*, notis carminibus.

Clement Alexand. p. 624 et 627.

Ἔσται, γὰρ ἔσται κεῖνος αἰώνων χρόνος,
Ὅταν πυρὸς γέμοντα θησαυρὸν χάσῃ
Χρυσωπὸς αἰθήρ· ἡ δὲ Βοσκηθεῖσα φλοξ
Ἅπαντα τἀπίγεια καὶ μετάρσια,
Φλέξει μανεῖσ'. Ὅταν δὲ ἐκλίπῃ τὸ πᾶν
Φρῶδες μὲν ἔσται κυμάτων ἅπας Βυθὸς,
Γῆ δ' ἐξαράνων ἔρημος, οὐδὲ ἀρ' ἔτι
Πτερωτὰ φῦλα βαστάσει πυρωμένη.
Καὶ γὰρ κἀδ' ἄδην δύο τρίβους νομίζομεν,
Μίαν δικαίων, χἀτέραν ἀδίκων ὁδόν.
Κἄτειτα σώσει πανδ' ἃ πρὸ θ' ἀπώλεσεν.

Erit enim, erit illud ſæculorum tempus, cum plenum ignis Theſaurum aperiet aurei vultûs Æther. Flamma etiam furens incendet Terreſtria & Aëria. Et cum deficerint omnia, inane erit aquarum omne profundum, Terra etiam abſq; fulcimentis, nec ultra Gentem volucrum ſuſtinebit Aër. Duas autem ſemitas habet Orcus, unam Bonis, alteram viam Malis. Sed cuncta quæ deſtruxit, poſtea reſtituet Deus.

De Divin. li. 1. c. 3. 7. 10. 12. 13.

Sophoclem appellat Cicero *Poëtam Divinum*: nec immeritò quidem, quantum ad hoc argumentum. Ita enim ſunt conſona (ſi conferas) hæc Poëtæ verba verbis S. *Petri* in *ſecundâ Epiſt.* ac ſi ab eodem fonte profluxiſſent. Uterque tam combuſtum iri Mundum quàm renovandum ſtatuit: Cœlum & Terram, & utriuſque apparatum. Nec in eo diſcrepant, quod tempus conflagrationis pro *Die Judicii* habeant.

Hactenus de Græcis in genere. Neſcio quo ordine numerandæ ſint Sibyllæ, Gentium Prophetiſſæ: quæ de hâc mundi renovatione & aureo ſeculo venturo multa cecinerunt, ut videre eſt ſparsim apud Patres Chriſtianos. Sed præ cæteris mihi placent ea quæ nobis conſervavit *Virgilius*, in ſuâ *Eclogâ quartâ*; ubi Cumææ Sibyllæ vaticinia de reditu aurei ſeculi, mundique, tam civilis, quàm naturalis inſtauratione, ad *Auguſti* & *Pollionis* tempora nimis ſervilitèr accommodat.

Ultima

Ultima Cumæi venit jam Carminis ætas :
Magnus ab integro Seclorum naſcitur ordo ;
Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia Regna.

Hìc recitat Poëta ex Oraculis Sibyllinis futuram mundi revolutionem, atque novum ſeculorum ordinem : Cùm, effluxo temporis certo curriculo, priſtina naturæ forma redintegrabitur, atque priſtini mores, fides & juſtitia refloreſcent. Ita inquit *Servius* in locum, Dixit ſecundùm *Sibyllam Cumanam, finitis omnibus ſeculis rursùs eadem renovari : quam rem etiam Philoſophi hâc diſputatione colligunt, dicentes, Completo magno anno omnia Sydera in ortus ſuos redire, & referri rurſus eodem motu. Quòd ſi idem Syderum motus, neceſſe eſt ut omnia quæ fuerunt habeant iterationem.* Hìc cauſas naturales aurei ſeculi attingit, quas ſuprà ex Platone memoravimus. Id enim acceperant à *Noachidis* priſci homines, alium fuiſſe ab hodierno Cœli vultum, alium motum, in ætate ante-Diluvianâ : eumque magis uniformem ; ſed qualis erat illa motûs uniformitas, aut quâ ratione à tantillâ causâ tanti effectus penderent, & totius naturæ diſcrimina, (quod à nobis alibi expoſitum eſt) illud veteres latuiſſe videtur.

Sequitur apud Poëtam,

Jam nova progenies cœlo demittitur alto.

Rectè quidem : non erunt γηγενεῖς futuri ſeculi hæredes : ut primi homines apud Ethnicos fuiſſe dicuntur. Sed beatæ Animæ corpora induent, veluti cœlo delapſa progenies : atque has ſedes incolent, geniis & cœlitibus mixtæ.

Ille Deûm vitam accipiet, diviſque videbit
Permixtos Heroas, & ipſe videbitur illis.

Hæc, incolarum dignitatem, & vitæ cœleſtis ac terreſtris quandam conjunctionem, in illo rerum ſtatu, & familiaritatem, indicant.

Cætera mitto, cùm ſint conſuetæ laudes & ornamenta ætatis aureæ. Illud autem versùs finem non poſſum non adſcribere.

Aſpice

Aspice convexo nutantem pondere mundum,
Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum.
Aspice venturo lætentur ut omnia Sêclo.

Rom. 8. Hæc cùm legerem, venit mihi statim in mentem dicti Paulini; Quasi ingemisceret hodierna rerum Universitas sub tanto onere, & gravi servitutis jugo: & simul gauderet & exultaret futuræ libertatis intuitu. Neque multùm alitèr *Servius* ad locum: *Nutat præsentibus malis, lætus est futuris bonis.* Ast de Sibyllinis hæc satis.

Prætereà, Inter Latinos *Varro*, Antiquitatis callentissimus hanc Mundi παλιγγενεσίαν notavit, ut ex *Augustino* discimus. De Civ. D. li. 22. c. 28. Et inter Philosophos Latinos *Seneca*, in *Consolatione ad Marciam*, cap. ult. *Cùm tempus advenerit, quo se Mundus renovaturus extinguat.—Omni flagrante materiâ*, &c. ubi Conflagrationem Renovationi rectè præponit. Apud Astronomos hæc Mundi renovatio dicitur plerumq; Ἀποκατάστασις, *Restauratio*, Astron. li. 3. c. 1. atq; alteri natales mundi. Ita *Jul. Firmicus*, ut alios mittam, majores mundi Naturalis vicissitudines, κατακλυσμὸν, ἐκπύρωσιν, & ἀποκατάστασιν nominat.

Hæc de Gracis & Latinis: Ad Gentes antiquo-barbaras transeo. Neque dubitandum mihi videtur, à Philosophiâ De vit. Pyth. Barbaricâ provenisse primùm *periodos Mundanas*. Hoc dogma, inter alia, primus in Græciam invexit *Pythagoras*, si *Porphyrio* fides. Πρὸς δὲ τούτοις, ὅτι κατὰ περιόδους τίνας τὰ γινόμενά ποτε πάλιν γίνεται, νεὸν δὲ οὐδὲν ἁπλῶς ἐστὶ, φαίνεται γὰρ εἰς τὴν Ἑλλάδα τὰ δόγματα πρῶτος κομίσαι ταῦτα Πυθαγόρας. *Adhæc, post certas temporum periodos, eadem quæ olim fuerant, rursus fieri: & nihil omninò novum existere. Primus enim omnium Pythagoras hæc dogmata in Græciam intulisse dicitur.* Ego verò hoc dogma *Orphicum* esse arbitror, antè Pythagoræ tempora; & ab Orpheo ex Ægypto delatum.

De Ægyptiis hoc testatur *Origenes*, ubi suprà de Stoicis & Platonicis. Καὶ Αἰγυπτίων δὲ οἱ λόγιοι τοιαῦτα παραδιδόντες σεμνοὶ εἰσι, *&c. Ægyptiorum etiam sapientes qui eadem tradunt*, de his autem periodis loquebatur, *in veneratione habentur*. Et, tàm apud eos, quàm apud Arabes, *Phœnicis*, avis symbolicæ, vitâ & morte has periodos metiebantur. Erat illa avis & conflagrationis & renovationis mundi symbolum; Avis semper *unica*,

nica, longæva, igni consumenda, & è cineribus suis nova reditura, Mundi nostri non inelegans imago. Aliundè etiam constat interitum & renovationem Mundi credidisse Arabes. Vid. *Pocock.* not. in Spec. Hist. Arab.

Apud *Persas,* Magi eadem tradiderunt de rerum hominumque regressu ad pristinum statum, uti ex *Theopompo* refert *Laertius.* ὃ καὶ ἀναβιώσεσθαι, καθὰ τὸς Μάγους, φησὶ τὸς ἀνθρώπους· καὶ τὰ ὄντα ταῖς αὐτῶν ἐπικυκλήσεσι διαμένειν. *Qui etiam revivisce re homines, ait, ex Magorum sententiâ: & res omnes suis revolutionibus permanere* Hanc lectionem (ἐπικυκλήσεσι) alteri, nimis frigidæ, præfero; cùm hæc sit vox recepta apud Platonicos in eadem materiâ: & aliunde constet has revolutiones Mundanas in Philosophiâ *Persicâ* locum habuisse. In Proœm

Neque minùs in *Chaldaicâ: Berosus* enim, referente Senecâ, has conversiones rerum, ex sententiâ Chaldæorum agnoscit: atque cursu syderum vel motu cœlorum earum tempora & periodos definiri statuit. *Berosus qui Belum interpretatus est, dicit cursu ista Syderum fieri: & adeò quidem id affirmat, ut Conflagrationi & Diluvio tempus assignet: arsura enim terrena contendit, quando omnia Sydera quæ nunc diversos agunt cursus, in Cancrum convenerint. Sic sub eodem posita vestigio, ut linea recta exire per omnes orbium possit. Inundationem futuram, cum eadem Syderum turba in Capricornum convenerit,* Denique omnis sapientia prisca, tàm Orientalis, quàm Occidentalis, rerum & temporum periodos docuisse videtur; Et *Druides,* & Veteres *Hetrusci* in occidente: Et in Oriente, præter reliquos, Philosophi Indi, *Bragmanum* reliquiæ, etiamnum eandem doctrinam retinent & tuentur. Aiunt enim, teste *Maffeo, Mundum hunc ingenti conflagraturum incendio, uti mox reparetur succedatque nova moles, suos item Deos ac proprios habitura.* Sicut etiam in *Indiâ Occidentali,* referente *H. Benzo. Hist. Ind. Occident.* li. 3. c. 10, 11. Nat. Q. 3. c 29. Strab. l. 4. Suidas in voc. Τυρρηνοι, & *Plutarc.* in *Sylla.* l. 16. Hist. Ind. & Pocock. Not. Misc. Rad. 11.

Periodorum & Revolutionum naturæ multò sæpiùs meminere veteres, quàm statûs secuturi quamlibet revolutionem: quo formam & ordinem cujusque novi mundi dignoscere-mus. Sed utriusque meminit *Plutarchus* in illo fragmento quod nobis conservavit ex *Theopompo,* de *Zoroastris* & *Magorum* mythologiâ. Ubi post varias concertationes & bella inter *Oromazen* & *Arimanium,* veluti inter Michaelem & Draconem, ait, tandem definito à fatis tempore, Arimanium perditum

perditum iri: Terramque, mutatam in planam & æquabilem, beatorum hominum ſedem fore. Verba hæc ſunt, Ἔπεισι δὲ χρόνος εἱμαρμένος, ἐν ᾧ τὸν Ἀριμάνιον λοιμὸν ἐπάγοντα καὶ λιμὸν ὑπὸ τούτων ἀνάγκη φθαρῆναι παντάπασι καὶ ἀφανισθῆναι. Τῆς δὲ γῆς ἐπιπέδου καὶ ὁμαλῆς γενομένης, ἕνα βίον καὶ μίον πολιτείαν ἀνθρώπων μακαρίων καὶ ὁμογλώσσων ἁπάντων γενέσθαι. *Appetit autem fatale tempus, quo neceſſe ſit, peſte & fame adductis, Arimanium omninò perdi atque aboleri. Terrâque æquabili & planâ factâ, unam vitam, unamque civitatem beatorum hominum, unâque linguâ utentium fore.* Hoc utique futuro ſeculo, Terræque renovatæ mirè reſpondet.

De Iſid. & Oſir.

Quæ de æquabilitate *Terræ futuræ* narrat ex Perſicis *Plutarchus*, ijs conſona ſunt quæ refert *Tavernierus in ſuo Itinerario*, à Sacerdote Perſâ accepta: Nempe quod in reſurrectione futurâ *omnes Montes humiliarentur, & omnes mineræ liquefactæ eſſent: Et Gehennæ abyſſo oppletâ, Diabolorum manſio deſtrueretur.* Dein *Terrâ æquatâ & complanatâ, tota eſſet habitabilis.* Idem notavit Doctiſſ. *Huëtius* de veterum Perſarum (qui jam *Gauri* aut *Guebri* appellantur) ſententiâ, his verbis, *Guebri (qui Zoroaſtrem dogmatum ſuorum authorem jactant) aiunt Terram olim liquefactam iri, & in aliam formam longè amæmiſſimam reparatam.* Atq; hanc eſſe reverà eorum traditionem notat ex Libr. ſad-der. Doctiſſ. in his rebus D. *Hyde*, in ſuâ, de Veterum Perſarum religione, hiſtoriâ. c. 33. Sed redeamus ad *Plutarchum.*

Li. 4. c. 8.

Quæſ. Aln. p. 290.

Pergit Author, & ex Magorum ſenteniâ ait, per ſex millennia duraturum eſſe hoc bellum boni & mali Dei: alternante victoriâ & regnandi vicibus; Tandem verò mortem ipſam & Infernum abolitum iri: homines beatos fore, atque Deum ipſum requieſcere & quaſi Sabbatiſmum agere. Τέλος δὲ ἀπολείπεσθαι τὸν Ἅδην, καὶ τοὺς μὲν ἀθρώπους εὐδαίμονας ἔσεσθαι, μήτε τροφῆς δεομένους, μήτε σκιὰν ποιοῦντας. Τὸν δὲ ταῦτα μηχανησάμενον θεὸν ἠρεμεῖν καὶ ἀποπαύεσθαι.---Ἡμὲν οὖν Μάγων μυθολογία τοιοῦτον ἔχει τρόπον. *Hoc modo*, inquit, *ſe habet Magorum Mythologia.* Quæ erat reverà Perſarum *Theologia Myſtica.*

Umbras rerum magnarum hîc videmus: Idæis Chriſtianis non multùm diſſimiles; haud paucis verò maculis, vitiiſque interſperſis. Sed à *Zoroaſtri* temporibus, quis mirabitur hanc priſcam ſapientiam exeſam, vitiatam, & pluribus modis deformatam eſſe; ſi tamen ex *pede Herculem* metiri liceat, & ex his

his fragmentis, Veteris istius Theologiæ Corpus: & magnum, & pulchrum, & præclarum fuisse, ex suis reliquiis statuendum esset. Quantum ad hanc doctrinam de *Periodis & Revolutionibus Mundanis*, adeò nota fuit Illa, celebrata & receptissima apud Gentes, ut ausus sit dicere *Celsus* apud *Origenem*, Prophetas Hebræos & Christianos, eam à Gentibus arreptam, quasi sibi propriam tradidisse. li. 4.

Sed de hoc argumento, *Renovatione Mundi* futurâ, secundum Judæos Gentesq;, Græcas, Romanas, Barbaras, Hæc dixisse sufficiat. Deniq;, quò nihil desit huic Causæ, Testes adducemus Patres Christianos, qui plenis eandem suffragijs confirmârunt. Sed ante expedit quàm eò progrediamur, conspectum aliquem Statumq; *Millennij* Christiani, sive *Beati* post Renovationem *Sæculi*, secundum literas Sacras exhibere. Infra, cap. 9.

CAP. VI.

Proponitur Idea & conspectus Millennii, sive Vitæ Beatæ in novâ Terrâ futurâ: Tàm quoad rerum humanarum, quàm Naturæ ordinem.

VIdimus in omni literaturâ, Sacrâ & Prophanâ: & apud omnes gentes, aliquam fuisse notitiam fidemque de *Mundo renovando*, & futuro in Terris *beato seculo*. Sed quæ latè diffusa sunt, multas sordes contrahere solent: & à variis populis & ingeniis varias formas induere; unica autem vera est, eaque à sacris literis, ancillante scientiâ naturali, deducenda; Hìc igitur defixis oculis, veram Millennii Christiani ideam intueamur; ad cujus conspectum, velut umbræ ante Solem, falsæ ipsius imagines & adulterinæ species evanescent.

Sapientis est atque boni viri, non tantùm ipsa vitia, sed & vitiorum confinia fugere: & cavere sibi ab omnibus quæ pietatem lædere, aut morum innocentiam corrumpere posse videantur.

deantur. Propterea minùs culpandi ſunt, qui ſibi metuunt ab hâc doctrinâ Millennii: cùm terrenis deliciis aliquid ſemper periculi, ſi non contagii, adhærere putent: Viderintque reipsà Chriſtiani nominis nonnullos hoc Millennii prætextu malè uſos eſſe.

Quare ut hoc offendiculum amoliamur, nihil morantes quid malè feriati homines, qui voluptates craſſas, etiam poſt mortem, venantur, huic ſacro dogmati adjecerint: non niſi in ſcriptis divinis, rebuſque ipſis, veritatem quæramus. Illud autem agit primo loco Scriptura Sacra, ut omnia naturæ externæ incommoda, quibus hodierna vita premitur, ab hoc novo rerum ſtatu ſubmoveat. Nulla erit aëris intemperies aut perturbatio: non æſtus nimius, aut frigus, aut procellæ; ſecundum Prophetam, *Iſa.* 4. 5, 6. Deus erit *inſtar nubis interdiù*, & *inſtar ſplendoris noctu*; umbraculum adverſus æſtum Solis, & contra pluviam & ventum, refugium: hîc varia ſignificari videntur aëris incommoda, cum ſuis remediis; Quùm verò in regionibus calidis commune malum ſit nimius Solis æſtus, quo nihil gravius aut infeſtius: ideò plerumque in ſacris literis per *umbras, refrigeria, vivos fontes*, cæteraque nimii æſtûs remedia, ſtatûs illius amœnitas & commoda exhibentur. *Iſ.* 49. 10. *Rev.* 7. 16, 17. & *c.* 22. & ſæpiùs in Pſalmis. Neque tantùm ab aëris injuriis, ſed etiam à cæteris rebus noxiis, animatis aut inanimatis, (id quod ſupra explicuimus) futurum illud ſeculum liberabitur. Cap. 2.

Dein quoad corpora humana, omnes morbi & ægrituditudines exulabunt. Quod ſignificari mihi videtur per medicata folia *arboris vitæ*, *Rev.* 22. 2. hoc etiam includitur in illâ ἀπραξίᾳ & indolentiâ, *Rev.* 21. 4. & quod *Mors* dicatur non ampliùs extare. Huc etiam ſæpè reſpicitur ab *Iſaiâ* Prophetâ: ut *cap.* 33. 24. & *c.* 65. 22. Neque corporibus indutî, fœlices eſſe poſſumus, niſi mens ſana ſit in *corpore ſano*. Denique quoad vitam & victum, omnia erunt paratu facilia, propter uberes terræ proventus: Neque in ſudore vultûs victum quærent homines, inſtar ſervilis pecoris: Sed redditâ Telluri ſuâ primævâ fertilitate, pauca illa, quibus indigebunt, Natura ſuâ ſponte ſuppeditabit.

Hæc de Naturâ externâ. Ecquid autem mali habet: Ecquid Deo indignum, aut hominibus: aut quod vitæ Chriſtianæ minùs conveniat, hic rerum ordo? E contra, quis non omnibus

omnibus modis exoptandum esse duceret, ut corporis & rerum externarum curâ exoneratis, pietati & contemplationi omnibus vacare liceret. Et si natura hoc patitur, imò eò propendeat suâ sponte: id quod supra ostendimus: haud æquum esse videtur, impedire rerum progressum ad meliora. Digna est hæc scena, quæ prodeat & spectetur: neque, aut bonitati divinæ, aut sapientiæ congruit, velle, ut elabatur omne tempus naturæ sine gloriâ: cùm perfectiora & præstantiora sese ultrò offerunt. Quis non sentit, Quis non gemit sub onere & molestiis hodiernæ naturæ? tàm domi, in proprio corpore: quàm foràs, quoad cœlum & terram; quis non his malis se eripi gauderet, & benigniori mundo frui? Cui placet ardens febris, aut contorta ilia? Quem non miserum facit, virum Philosophum, virum Christianum licet, denticuli dolor: aut arenula, aut lapillus eluctans è vesicâ? à tantillis causis in hâc vitâ vincimur, cruciamur, enecamur. E nervulorum & fibrillarum motibus pendet omnis nostra salus: neque hos motus regere aut temperare, penes est immortales animas. Plus valet in corporis animique affectus, aut cœlum nubilum, aut atræ bilis aliquot minutiæ, quàm tota vis rationis & sapientia ficcissima. Sed me reprimo. Interim, Cap. 4.

Ὑγίεια πρεσβίστα μακάρων
μετὰ σὲ ναίοιμι
τὸ λειπόμβριον βιοτᾶς.

A naturalibus ad res civiles *Millennii* progrediamur. Altâ pace fruuntur Sancti in illo regno, & perenni gaudio. Neque ultra erit tribulatio, aut afflictio, aut luctus, aut lachrymæ, aut cruciatus, aut dolor. *Rev.* 7. 17. & 21. 4. *absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors amplius non extabit. Neque luctus, neque clamor, neque labor extabit amplius: quia præcedentia abierunt.* Mala omnia præcedentia, corporis, animi, fortunæ abierunt. Speciatim mala externa, ærumnæ, calamitates, persecutiones & cædes, quibus obnoxii erant sancti, quibus oppressi, sub Tyrannis & sub Antichristo. Non audietur ultra, *Christiani ad Leones:* aut *Hæretici ad flammas.* Venit jam tempus illud ἀναψύξεως, refrigerii & recreationis à persecutionum æstu; de quo locutus est Sanctus *Petrus,*

trus, Act. 3. 19. Venit unà *cum Domino* : ἀπὸ προσώπου τοῦ κυρίου, à *facie Domini* ; nempè cùm descendet iterùm de Cœlo *restituturus omnia,* ut ibidem ait Apostolus. Id quod planè respondet verbis Domini Christi quæ hîc sequuntur, apud *Johannem ver.* 5. Καὶ εἶπεν ὁ καθήμενος ἐπὶ τῷ θρόνῳ, Ἰδοὺ, καινὰ πάντα ποιῶ. Ecce igitur tempus locumque refrigerii & restitutionis omnium.

Vides igitur per illam explicationem regni futuri quam olim exhibuerunt Prophetæ, & quæ à Sancto *Johanne* confirmatur, omnia mala & incommoda cujuscunque generis, ab eo longè removeri: Atque *Indolentiam* & *Incarentiam,* sit verbo venia, universalem, (Id quod quisque Sapiens sibi primo loco optaret) hujus novi mundi, aut ipsius fœlicitatis fundamentum esse.

Hisce malis ablatis, quæ ad Mundum *Naturalem* & *Civilem* spectant, Qui & qualis futurus sit status *Moralis* illius beati sæculi, sive Millennis Regni Messiæ, ulteriùs quærendum. Notavimus supra (Cap. tertio) nonnullas qualitates & characteres illius Regni : Quod esset *Justum, Pacificum,* & *Theocraticum.* Hîc insuper adjciendum, quod ipsius Incolæ futuri sint *Prophetæ, Reges* & *Sacerdotes Deo.* Prophetæ erunt effusione extraordinariâ Spiritûs Sancti : Quod impletum fuit ex parte in primo adventu Christi, in secundo plenius explendum. *Isa.* 44. 3. *Joel.* 2. 28. *Luc.* 2. 28. Dein Filij & hæredes illius sæculi dicuntur *Reges* & *Sacerdotes Deo.* Dan c. 7. 18. 22. 27. Rev. 1. 6. & cap. 5. 10. & 20. 6.

Reges erunt quatenus liberi ab iniquo aliorum jugo, & ab incommodis vitæ pauperis & servilis ; Quibus rebus nihil gravius esse potest viris ingenuis, virtutem & sapientiam colentibus. Nimis verum notumque est, Sanctos viros in hodiernâ vitâ, aliorum imperiis plerumque subjici : rerum inopiâ aut angustiis sæpissimè laborare : Sub pedibus potentûm calcari, & ab improbis haberi risui & contemptui ; sed mutatis vicibus, alter erit rerum ordo in futuro seculo : altera pars lancis elevabitur : juxta ea quæ respondit Abrahamus
Luc. 16. 25. sitienti diviti, *Fili, memento te bona tua recepisse in hâc vitâ, & Lazarum similitèr mala : nunc autem hic solamen recipit, tu verò cruciaris.* Quare *Reges* dicuntur primùm comparatè, respectu habito ad conditionem humilem : ad egestatem, servitutem, tyrannidem, sub quibus gemuissent in anteacto seculo. Cùm

aliorum

aliorum arbitriis obnoxii, sæpe Christi causâ & veritatis Evangelicæ, bonorum omnium jacturam perpessi sint: Sæpè etiam carceribus & ergastulis inclusi, sæpè ferro & flammis traditi.

Prætereà, divina illa & gloriosa filiorum Dei libertas, cujus meminit *Paulus* ad *Romanos*, (*c.* 8. 21.) hoc *Regum* titulo comprehenditur; Quemadmodum *liberos facit suos Christus*: Joh. 8. 36 & libera est illa *Jerusalem superna*, (*Gal.* 4. 26.) Quæ *Cœlo descendit* in Millennio. Libertatem autem hîc intelligo, tam Rev. 21. 2. internam quàm externam; Ille enim verè liber est, cui nec propriæ cupiditates dominantur, nec alienæ; Qui neque alterius voluntatis mancipium est, neque suæ; Qui nullâ vi externâ, nullo passionum impetu impellitur, aut à ratione rectâ dimovetur. Hoc est verè *Regium*, verè *Divinum*: Deo soli servire sub Christo Domino.

Dixi sub *Christo Domino*: quùm regimen illud futurum sit Theocraticum. Neque tamen animum inducere possum, ut credam, quæ nonnullorum est sententia, Christum semper adesse, & in propriâ personâ præsidere huic Civitati, huic Regno. Christum, inquam, corpus cœleste & æthereum indutum, relicto Cœlo & dextrâ patris, hîc sedem figere per mille annos, & vitam terrestrem agere; Neque rerum natura hoc patitur, neque Christi gloria. At Cœlo residens, se forsan conspicuum reddet, instar Solis, virtute sui corporis glorioси: Et Civitatem sanctam, Terramque sanctam suis radiis illustrabit. Hæc utique præsentia mirabilior esset, & Deo magis digna. Cùm vero, hæc & hujusmodi non tradantur apertè in Sacris literis, satius esse duco, ab iis tractandis manus abstinere; Quæ enim non sunt œconomiæ naturalis, sed purè divinæ, in iis nimis periculosum est ultra Scripturam sapere velle.

De *Regis* titulo qui sanctis datur in futuro seculo hæc sufficiant. Sequitur alter, *Sacerdotis*. Erunt *Sacerdotes Dei*, *Rev.* 20. 6. hoc est, rebus secularibus immunes, Deo atque rebus divinis vacabunt: ac si hisce officiis unicè dicati & consecrati essent. Deo offerunt seipsos: non pecudes, nec aves; Corpus purum, animum illibatum: preces & laudes, victimas Deo gratissimas: ἡ λογικὴν λατρείαν. Hoc modo *Sacerdotium* exponunt *Christiani*: ità *Justinus Martyr* ad *Judæos*: Coll. com Tryph. p. Quem vide. Hoc modo *Philosophi*: Quorum nomine *Hiero-* 344, 345.

clem,

Tertull. ad Scap. & ad Marcionem Clem. Alex. li. 7. Strom.

clem, de hâc re egregiè differentem audiamus. Ἡ δὲ περιφερομένων πολυτέλεια, &c. *Oblationum sumptuosa profusio, honori Deo non cedit, nisi à mente Deo plenâ offeratur. Dona siquidem & hostiæ stultorum hominum nihil aliud sunt quàm ignis pabulum: & donaria, sacrilegorum opes. At divinus animus benè stabilitus, conjungit atque unit Deo. Cùm necesse sit ut simile ad suum simile tendat. Quare solus Sacerdos SAPIENS dicitur, solus Deo gratus, solus precandi gnarus. Novit enim solus honorem præstare, qui eorum dignitatem quibus honor competit, non confundit. Quique sese imprimis victimam offerens, suumque animum simulachrum divinum vel Dei sedem faciens, mentem quoque suam ad divini luminis susceptionem Templum Deo ipsi construit atque præparat.* Hoc est esse *Sacerdotem* Deo: hoc est esse Philosophum Chri-

L. 3. §. 4. stianum. Juxta illud *Antonini* dictum, vir bonus est ἱερεύς τις

L. 2. §. 34. 45. 49. 61. καὶ ὑπηρέτης θεῶν. Atque his multa habes cognata, & lectu digna, apud *Porphyrium* de *abstinentiâ*. Denique ad hæc accedat ultimò, futuri regni compotes dici *Sacerdotes*, quasi summi ordinis & sanctitatis Christianos: Mystas, Initiatos: Nec initiatos tantùm, sed quasi Ἐποπτὰς: sive, ut Apostoli voce utar, δικαίους τετελειωμένους. (*Heb.* 12. 23.) Ad summum gradum, in participatione mysteriorum, admissos vel admittendos. Ab his componitur Gens illa selecta & Deo sacra.

Non igitur de *habitu pontificio*, de Sacrificiis, aut quibuscunque ritibus externis hîc cogitandum est, cùm dicimur futuri *Deo Sacerdotes*: Sed habitum animi id notat maximè; Animum, inquam, mundanis affectibus & negotiis liberum, ac sanctitate singulari & rerum cœlestium cognitione præditum. Unctio Sacerdotalis significabat effusionem donorum Spiritûs divini: & qui his donis ornantur, verè uncti sunt, ut ipse Christus. Denique, qui in virtutis & veritatis studio, in Deo contemplando & colendo, & laudibus ipsius recitandis, tempus vitæ collocant, dicuntur esse Sacerdotes Dei: & in illo seculo suum Sabbathum aut Sabbatismum celebrant.

Apud Gentes Orientales non tantùm in Sacris peragundis, sed etiam in rerum contemplatione & scientiarum cultu: denique in arduis imperii tractandis occupati erant Sacerdotes. Quare hoc munus augustum Regio proximum facit *Plato*, in suo *Politico*; & quanto fuit in honore apud Ægypti-

os

os ibidem explicat. Neque minùs apud *Perſas*, Magi: apud *Aſſyrios* Chaldæi, dignitate præſtabant, ad ſummos honores evecti. De quibus omnibus id notavit *Strabo*, Τὰς δ' ἱερέας τῶν Αἰγυπτίων, καὶ Χαλδαίους, καὶ Μάγους σοφίᾳ τίνι διαφέροντας τῶν ἄλλων, ἡγεμονίας καὶ τιμῆς τυγχάνειν παρὰ τοῖς πρὸ ἡμῶν. *Sacerdotibus Ægyptiorum, Chaldæis, & Magis, Sapientiâ alios ſuperantibus, honores & imperia ſunt delata apud majores noſtros.* Quod de *Druidis* etiam apud *Celtas*, aliarumque priſcarum Gentium Sacerdotibus verum eſt. Tandem apud Judæos, quo loco & authoritate fuerint Pontifices maximi, notius eſt quàm ut hîc opus ſit repetere. Lib. 1.

Denique ut hæc finiam, Tres ſunt dignitates ſupremæ apud homines, ſive Judæos, ſive Gentiles, *Prophetæ, Regis,* & *Sacerdotis:* Atque his titulis inſigniuntur Futuri Sæculi Hæredes. Sacris donis & animorum cultu cœlo proximi, Atque eò transferendi in fine Millennii & conſummatione rerum.

CAP. VII.

De Contemplatione, & perfectionis noſtræ incrementis, in Millennio.

EXplicationi millennii finem hîc impoſuiſſem, niſi aliquid dicendum ſupereſſe mihi videretur de *Contemplatione*, & de ſcientiæ noſtræ incrementis, in futuro ſeculo. Quibus autem hoc minùs utile viſum fuerit aut minùs neceſſarium, ſi hinc rectà pergant ad caput proximum, rerum ordo non deficiet. Interea quò minùs ab argumento noſtro diſcedere videamur, notandum eſt, *Sacerdotes* fuiſſe cultores ſcientiarum, & rei literariæ cuſtodes, apud omnes gentes priſcas. Quod de præfatis gentibus, *Chaldæis, Perſis, Ægyptiis*, notiſſimum eſt; Neque minùs apud *Æthiopes*, apud *Indos*, apud *Celtas*, iidem erant Sacerdotes & Philoſophi: & naturalis perinde ac ſacræ cognitionis arcana conſervabant. Cùm itaque *futuri ſeculi* hæredes dicuntur *Sacerdotes*, Id ſapientiam

&

& amplitudinem unà complectitur: notatque Cœtum eximiorum virorum, ac si hæc esset *Regum & Philosophorum Civitas, Natio, Respublica.* Quid autem pulchrius hujusmodi regno aut republicâ? Quid augustius? Quid viro bono exoptabilius? Facit hic rerum ordo ut reminiscar, sive dicti, sive Vaticinii Platonis: *Illam tum demùm beatam fore rempublicam, in quâ, vel Philosophi erunt Reges; vel Reges Philosophi.*

De Repub. 5. p. 473. Sed audiamus hâc in re verba Platonis; Ἐὰν μὴ ἢ ὁι φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν ἐν ταῖς πόλεσιν, ἢ ὁι βασιλεῖς τε νῦν λεγόμενοι καὶ δυνάσται φιλοσοφήσωσι γνησίως τε καὶ ἱκανῶς, καὶ τοῦτο εἰς ταυτὸν συμπέσῃ δύναμίς τε πολιτικὴ καὶ φιλοσοφία, ---- ὐκ ἔστι κακῶν παῦλα ὦ φίλε Γλαύκων, ταῖς πόλεσι. δοκῶ δ' ὅδε τῷ ἀνθρωπίνῳ γένει. *Nisi Philosophi in Civitatibus summam authoritatem obtineant, vel qui nunc Reges & Optimates dicuntur, germanè & strenuè Philosophari incipiant, ac in idem concurrant civilis illa potentia & Philosophia, nulla erit, mî Glauco, malorum quies Civitatibus: nulla, mihi crede, humano generi.* Hæc erit igitur unica illa regio, illa Patria, *Sedes ubi fata quietas ostendent.* Status rerum terrestrium tantùm non cœlestis.

Te petimus & anhelamus omnes, dulce animarum refrigerium; Cœli limina, vitæ æternæ præludium. Hîc primogenitorum à morte conventus celebratur; Beata Societas, ubi morum candor, aperta pectora, tuta fides, pax & justitia perennes. *Gloriosa de te dicta sunt, Civitas Dei.* Quis non gaudio totus perfunderetur, cùm primos Ecclesiæ Martyres & antiquos Patres: cùm Apostolos: cùm Prophetas, coram videret & colloqueretur? *Turbamque Palmiferam* stolas albas indutam: Fidos Christi & Veritatis testes, quibus sors prima obtinget in futuro seculo.

Psal. 87. 3.

Dei laudes, Agnique victorias celebrabit hic chorus augustus. *Novis* suis *canticis* & doxologiis personabunt Cœlum & Terra. Et si in nonnullis solenniis se præsens sistat Christi numen, circumstantibus Angelorum turmis: Idque sub Dio, *Templo* omnium magnificentissimo: cuncto populo, omnibus sanctis, ut fieri solebat Hierosolymis, unà congregatis: Quis splendor, quæ gloria hujus cœtûs, hujus Ecclesiæ? Quæ scena prophetica illustrior? Quo fervore animi, quo triumpho, sua *Trisagia* repetent? Hymnosque sacros suavissimâ & inimitabili harmoniâ per liquidum æthera diffundent.

Rev. 4. 8, 9, 10, 11. & c. 5. 8, 9, 10, &c.

Psal. 84. 5. *Beati sunt qui habitant in Domo tuâ, Domine: In secula seculorum laudabunt te.*

Cùm

Cùm verò tantos animi motus, ſine intermiſſione, ferre non poſſit natura humana: neque in Deo laudando & colendo ſemper verſari: meritò quæritur, per reliquum tempus quid agant in *Millennio*? Quomodò horas collocent, & longæ vitæ annos? Reſpondeo, in honeſtis ſtudiis, rerumque tàm divinarum quàm naturalium, contemplatione. Ità, inquam, maxima pars vitæ collocabitur: ut his animi exercitiis paratiores ſint ad ineundam vitam æternam; ſive, ut inquit Sanctus *Irenæus*, ut *paulatìm aſſueſcant capere Deum*. L. 5. c. 32. Beatum Millennium, ſi rem rectè intelligo, eſt quoddam rudimentum & Tyrocinium vitæ cœleſtis; Hîc omnium rerum vacationem habent, Legis, Militiæ, Mercaturæ, Agricolationis: ut rebus divinis aut intellectualibus unicè incumbant: ut mentem ad altiora elevent: atque, ut idem Theologus ait, ut qui hoc regno fruitur, *fiat capax gloriæ Patris*; c. 35. ult Nempe, ut viſioni Beatificæ, & ferendis radiis divinæ majeſtatis, cùm tempus conſummationis advenerit, magis ſint idonei. Cœli proximiores Hæredes, & æternitatis Candidati.

Hâc contemplatione nihil aptius aut efficacius ad præparandum mentem humanam ſummis perfectionibus imbibendis. Dum contemplamur opera divinæ potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis: &, quæ in iis relucet, Dei ipſius imaginem: Mens attollitur & dilatatur, rerum, quas ſpectat, ſublimitate & magnitudine: Et motu quodam admirationis, amoris, 2 Cor. 3. 18. & affectûs ineffabilis, in eandem Dei imaginem transformatur. Hanc autem potentiam divinam, ſapientiam, & bonitatem contemplamur, primò, in mundo externo: pulchro & immenſo; Dein in mundo intellectuali: ipſiuſque innumeris & illuſtribus ordinibus. Denique, in utriuſque œconomiâ & adminiſtratione, quæ *Providentia* dicitur. Atque hæc tria conjunctim *Ideam Mundanam* conſtituunt: omnis V. Theor contemplationis terminum, rerum omnium cognoſcendarum l. 2. c. ult. exemplar.

Hæc tria, in omni vitâ meditanda, clariùs innoteſcent in futuro ſeculo. *Cernimus enim nunc per ſpeculum & per ænigma*; Imò infantilis eſt cognitio noſtra, ſecundum Apoſtolum, in hodiernâ vitâ: Juvenilis erit in proximâ: Virilis in cœleſti 1 Cor. 13. & æternâ. Cùm Deum ipſum *facie ad faciem* intuebimur: 11, 12. nec tàm ratione, quàm mentis intuitu, rerum omnium for- 1 Joh. 3. 2.

mas cauſaſque, in ipſo, aut ab ipſius illuminatione, perſpiciemus. Quis autem tantæ gloriæ ſuſtinendæ ſe parem eſſe ſentit, ſine prævia exercitatione? ſtatim ab hoc carcere, ab his tenebris, quis illam lucem ferre poteſt? niſi per medios claritatis gradus, contemplatione & abſtractione, eò deducatur. Ad hanc autem contemplationem & abſtractionem, quæ vita aptior illâ, quâ fruituri ſunt Beati in novo mundo? ubi liberè placidéque philoſophari licebit per multa ſecula: Neque ullis ſtudiorum impedimentis, valetudine, rerum anguſtiâ, negotiis externis interpellari. Præterea, corporis illius temperamentum multò melius erit & defæcatius hodierno: puriores & ſubtiliores ſpiritus: ideóque major vis rationis & judicii: certior & penetrantior: rectiùs feretur ad ſcopum, atque longiùs pertinget. Ut verbo dicam, ſpes eſt potiundi ac conſequendi in illo rerum ſtatu omnes ingenii vires doteſque, quæ in terreno corpore habitare poſſunt. Neque vires tantùm naturales auctum iri credimus, ſed promiſſa ſacra de effundendo ſpiritu, hîc ultimò & ſummo gradu impletum iri; accedentibus, ſi opus fuerit, novis revelationibus.

Futuri ſeculi compotes, hoc modo comparatos, multùm proficere poſſe in omni genere contemplationum, facilè credes. Ac à rebus divinis auſpicati, & à Naturâ Divinâ, rerum omnium radice & ſeminario: licet ipſius vim & perfectiones infinitas comprehendere nequeant, cordis tamen puritas, &, quæ hanc ſequitur, Spiritûs Sancti irradiatio: Præterea Prophetarum & Apoſtolorum Colloquia, ne dicam Cœlitum & Angelorum; novos aditus aperient ad cognitionem Dei, nobis in hâc vitâ inacceſſos. Quâ ratione omnia proveniunt ab hoc fonte: Quâ ratione inde pendeant & conſerventur; Quàm nulla vis ſit cauſarum, quæ dicuntur, ſecundarum: & quo ordine ſimplici omnia in omnibus operetur Deus: Res nobis in hodierno ſeculo nimis incognitas, diſtinctiùs & clariori luce percipient. Denique, Mundi increati ſive *Idealis* divinus apparatus, propiùs jam aſtantibus, novum erit & mirandum Spectaculum.

Iſa. 11. 9.

A Deo deſcendunt ad ſupremos rerum creatarum ordines: Numina, Mentes, Principatus, Angelos, Genios, Animas, aliaſque claſſes, quarum vix nomina habemus, aut in Philoſophiâ veteri, aut in Sacratioribus literis. Jure autem credes,

des, ad inexhauſtam Dei fœcunditatem reſpiciens, plures eſſe rerum ordines in mundo intellectuali, quàm ſint animalium & animalculorum: aut arborum, fruticum, & herbarum genera in hâc Terrâ. Illius autem mundi porta nobis jam clauditur in hodiernâ vitâ cæcutientibus; aperietur autem in proximè futurâ: non tamen penitùs, donec in altum æthera evecti, in Angelorum republicâ verſabimur.

Circa mundum corporeum liberiùs philoſophantur. Neque hærent in minutiis & in proximis, ut ſolemus hodiè, ſed magni univerſi regiones peragrant. Nulli non notum erit ipſius ſyſtema: Errantium, Fixarum, Cometarum materia, locus, origines. Et quoad Tellurem noſtram, ipſius Theoriam, altiùs repetitam, longiùs productam, ſinguliſque ſuis partibus certiùs clariúſque, quàm fert tenuitas noſtra, expoſitam, omnibus numeris penitùs explebunt & abſolvent. Præterea, in circumvicinis Planetis, Cœlo ſemper ſereno potiuntes, nova plurima, hodiernis ignota detegent. A quibus cauſis oriatur eorum motus, tam diurnus quàm annuus: Quibus legibus regatur. Animentur necne, & quo genere vitæ: Quid denique de eorundem Incolis & apparatu Statuendum. Sed de Sole maximè, Aſtro glorioſo & immobili, hujuſce Cœli auguſto Imperatore, præclara multa & mortalibus inaudita (quæ ſi quis reſciſceret hodiè, Religio eſſet propalare) in illo ſeculo percrebeſcent. Neque hodiernum tantùm naturæ ſtatum inveſtigant, ſed præteritos etiam, & futuros, Rerum Origines & primordia: Dein periodos & viciſſitudines Mundanas. Denique omnium exitus & extrema fata.

Neque in alienis curioſi ſeipſos negligent. Sed cognitâ Animi & Corporis verâ diſtinctione, & utriuſque viribus, *Naturæ Humanæ Theoriam* contexent. Illius unionis mirabilis ediſcent omnes leges & conditiones: actionum & paſſionum fontes aperient: Quâ ratione ſinguli motus ſequantur alii alios in utrâvis noſtri parte, & ex unâ in alteram transferantur; Quotæ ſunt ingeniorum differentiæ, & undè pendeant primariò. Hæc capita edocti, omne pectus humanum penetrabunt & perſpicient, ac cœleſtis ſapientiæ veſtigia ubique recognoſcent.

Cætera providentiam ſpectant, & mundi intellectualis regimen; Quæ non aliunde ferè addiſcere licebit quàm ex doctrinâ Chriſtianâ. Illa autem tanta eſt, & tam fœcunda, ut præter mundum naturalem, res omnis naturæ, humanæ, Angelicæ, Divinæ, complectatur; Et in horum ſingulis nonnulla, quæ obſignata ſunt adhuc, myſteria, in futuro ſeculo recludentur. Deum Optimum, Maximum, Triunum: Deum incarnatum, crucifixum, εἰς Ἅιδου deſcendentem, reſurgentem, ad dextram Patris ſuper altiſſimos Angelos elatum: Hanc myſteriorum catenam capient jam adulti, & tantùm non conſummati in beato ſeculo. Neque minùs quæ narrantur de *Spiritu Sancto*, nobis mira & incomprehenſa: Quomodò deſcendit in Chriſtum, inſtar Columbæ: in Apoſtolos, inſtar ignis, aut lingularum vibrantis flammæ. Adumbravit Virginem, genuitque fœtum ſanctum: Et virtutes & vires miraculoſas impertivit primis Chriſtianis: effuſis donorum cœleſtium imbribus ſub initiis Evangelii; Harum rerum rationes nos latent magnâ ex parte, *Beatis*, ni fallor, de novo exponendæ. Quemadmodum enim in veteri fœdere quædam obſcuriùs revelata, clariùs in novo proferuntur; ita eadem myſteria, vel forſan alia, clariùs adhuc in futuro ſeculo patefient: & quo propiores erimus Cœlo, magis magiſque eluceſcent.

Deinde, ad providentiam ſpectat Mundi Angelici regimen: utriuſque generis, boni & mali. Quam vitam degunt in Cœlis: quid penſi habent in Terris: quod præſtant obſequium & miniſterium Chriſto Angeli Sancti, non niſi levibus conjecturis aſſequimur; multóque minùs cognoſcimus totius Hierarchiæ rationes & diſpoſitionem. Eſt & rebellium Angelorum natio ſeu reſpublica, ſub duce Lucifero: prout diſcimus ex ſacris literis; Sed parum illud quod in hác re novimus, excitat potiùs ſciendi deſiderium quàm explet. Id quod de multis aliis quæ *revelari* dicuntur, nimis verum eſt. Quæ ſit magni illius *Draconis*, veteris *Serpentis*, *Satanæ*, *Luciferi* hiſtoria, quis non ſcire expetit? Non tanti eſt ſcire Imperium Perſarum, aut Reges Babylonios. Quis fuit olim hic Lucifer: quas vires naturales habuit, quale Imperium externum? unde cecidit, & quo læſæ majeſtatis crimine: Quas jam partes habet in rebus humanis: quale regnum? Quibus legibus & limitibus coercetur? Quid paſſus eſt ab adventu

adventu Christi, & quid tandem fiet ab illo, & ipsius fœderatis? In *arcanâ historiâ* Providentiæ hæc adhuc deliteſcunt.

Denique, de Animabus humanis, earumque sortibus, exiguum est quod adhuc innoteſcit. An sint corporibus antiquiores, & quid agant ante descensum: An vices repetant in terris: & quâ lege, quo ordine; Denuò, recens exutæ corpora, quid faciunt, quid fiunt, ubinam habitant? Quis locus aut status Inferni, ubi improbæ: Qualis vita in Cœlo, ubi piæ? Si corpus cœleste & æthereum idem sit? quomodo cohæret & subjicitur imperio animæ? Denique, quid *Visio* Dei *beatifica*: & suprema hominum fœlicitas? In harum rerum studiis & elucidatione, in futuro Christi regno fœliciùs occupabimur: Et multorum, quæ jam ex parte cognita sunt, expurgatis erroribus, notitiam integram puramque consequemur. 1 Cor. 13 12, &c

Sunt præterea in doctrinâ Christianâ multa abstrusa & arcana dogmata: Religionis nostræ τὰ ἀπόῤῥητα. Horum nonnulla Christus celavit ipsos Apostolos (*Joh.* 16. 12.) ob eorum imbecillitatem: nonnulla nos celárunt Apostoli ob eandem rationem. (1 *Cor.* 3. 2.) Atque hanc tarditatem ingenii aut tenuitatem exprobrat Hebræis *Paulus*: (*cap.* 5. 11, 12, &c. & *cap.* 6. 1, 2.) quâ se coactum queritur difficiliora quædam, vel sublimiora, doctrinæ Christianæ capita, tacere aut intermittere. Sed non ultrà nutriendi sunt *lacte*, in futuro seculo, instar infantûm: at cibo solido, ut solent adulti. Hîc dignabitur nobis explicare Sanctus *Paulus* suæ ἄῤῥητα ῥήματα, quæ in tertio Cœlo vidit audivitve, 2 *Cor.* 12. 4. Et quæ de *Melchisedecho* mystico dicenda habuit, (*Heb.* 5. 11, &c.) auribus bibulis hauriemus. Suum *Templum* nobis explicabit *Ezekiel*: atque suam *Civitatem Sanctam Johannes*: Omnium rerum mysticarum, omnium Vaticiniorum, omnium typorum & præfigurationum sensus innoteſcet: Et universæ Eccleſiæ, à principio ad finem, œconomia. Denique, ut paucis complectar omnia, Totius mundi historia, omnium rerum gestarum series, atque omnium temporum ordo accuratè dignoscetur; iisque comparatis cum divinæ Providentiæ Ideâ, ante secula definitâ: Et hanc sapientissimam pulcherrimamque fuisse, atque suum finem ubique attigisse, ex rerum temporumque intuitu constabit. Unde perspectis & expensis omnibus, in hoc ultimo actu & complemento 1 Cor. 2. 7.

plemento dramatis Mundani, resonabit Theatrum, quasi partâ victoriâ: totumque opus laudibus & plausu coronabitur.

Hæc de *Beato Millennio*, ipsiusque rebus, studiis, & exercitamentis dicta sunto. Quibus, opinor, satis constat, nihil hoc commune habere cum figmentis Mahometanorum, aut Cerinthi Pseudo-Christiani: Qui luxui & voluptatibus dicârunt illud futurum seculum. Hoc nihil absurdius dici potest, aut magis alienum à doctrinâ Christianâ; Cùm enim vita illa sit quædam initiatio ad vitam cœlestem, abstrahere debet animum à voluptatibus terrenis, & ad purioris vitæ gustum assuescere. Id quod fit maximè contemplatione, atque illis virtutis & pietatis exercitamentis, quibus mens propiùs ad Deum evehitur. Nihil illic pabuli reperient cupiditates humanæ, nihil fomitis illi cæci ignes, qui frigere solent per Contemplationem. Denique notandum, Limitari hanc vitam beatam in doctrinâ Christianâ, ad Millennium; Nequis eam confunderet cum vitâ æternâ, aut se perpetuò in terris moraturum esse somniaret. Clauditur cum Resurrectione & judicio universali: Quibus peractis, ipsi cœli novi & terra præteribunt: Raptique in æthera, unà cum Deo,
1 Cor. 2. 9. Christo, Angelis, fœlicitate ineffabili & incomprehensibili æternùm potiemur.

CHAP.

CAP. VIII.

Beatum Millennium, quale describitur in sacris literis, obtinere non posse ante conflagrationem: sive in hodiernâ Terrâ, & hodierno naturæ statu. Sed in novo cælo & novâ terrâ, mundo renovato, tandem futurum esse.

CONtra illos qui futurum Paradisum sive Millennium admittunt, sed impurum & voluptuosum, aut, revocatis ceremoniis, Judaicum: satis cautum esse existimo in præcedenti Sermone. Alii purum sanctumque statuunt, sed in Cœlo, non in Terris peragendum; atque sanctos illos Martyres surrecturos esse à mortuis mille annos, ante reliquos fidelium, & cum Christo in cœlis regnaturos. Nihil habet noxii hæc sententia, sed erroris culpam effugere non potest: quum iisdem vaticiniis *Danielis* & Sancti *Johannis*, quibus hoc Regnum asseritur, in terris fore probetur. Ita *Dan.* 7. 27. *Sub cælo* esse dicitur illud regnum quod Sanctis datur. Et in Apocalypsi, *de cælo* descendere dicitur *nova Jerusalem*, ideóque ad Terras. Id quod apertiùs exprimitur capite quinto, c. 21. 2. *Fecisti nos Deo nostro Reges & Sacerdotes & regnabimus in Terrâ.* Atque hoc *Regnum Sacerdotale* vides esse ipsum Millennium, ver. 10. *cap.* 20. 6. *Erunt Sacerdotes Deo & Christo: & regnabunt cum illo mille annos*; cum igitur utroque loco idem regnum intelligatur, utrumque erit in terris. Præterea, exeunte Millennio, & soluto Satanâ, vides adhuc de Terrâ agi: nam dicitur Satanas seduxisse Gentes, Gogum & Magogum, & duxisse eos super *latitudinem Terræ* ad castra Sanctorum & ad civitatem dilectam, *ver.* 8, 9. erant igitur hæc castra, hæc Civitas in Terrâ. Tabernaculum Dei dicitur esse cum hominibus, *c.* 21. 3. non homines elevandos esse ad Tabernaculum Dei in cœlis. Denique *descendit ignis à Deo, è Cœlo, qui devoravit eos.* Eos nempe in terrâ versantes, & contra sanctos belligerantes, ignis ἐξαναπτὰς absumpsit. Sed de hâc re supervacaneum esset plura addere, cum non

non aliunde profluxiſſe exiſtimem hanc opinionem, quàm quòd viderint hanc terram & hodiernam naturam tantis incommodis urgeri & obrui, ut non poſſet eſſe ſedes Beati Millennii. Quâ in re rectè judicarunt; ſed mutabimus Theatrum, & in novâ Terrâ, unà cum his incommodis, omnis objectio evaneſcet.

Eorum igitur maximè refellendus eſt error, qui in hodiernâ Terrâ, antè conflagrationem: & in hodiernâ naturâ, ſine ullâ renovatione, beatum Millennium ſtatuunt. Quùmque in hanc ſententiam delapſi ſint viri graves & eximii, tàm pietate quàm eruditione, operæ pretium erit rem ad examen adducere; Nempe, Quâ Terrâ, hodiernâ vel futurâ: Quo tempore, antè vel poſt conflagrationem: expectandum ſit Millennium Chriſtianum.

Sanctus *Petrus*, cùm conflagrationem mundi annunciaſſet, atque cœlum & terram hodierna combuſtum iri, ſubdit ſta-
2 Pet. 3. 13. tim, *ſed novos cœlos ac novam terram, ſecundum promiſſum ipſius expectamus.* Promiſſum nempe, vel Apoſtolis factum à Chriſto, vel à Prophetis olim proditum; Nam, præter illud
c. 65. 17, 18. & c. 66. 22. *Haggæi*, à *Paulo* repetitum *Heb.* 12. 26, 27. *Iſaias* ſemel atque iterum de formandis novis cœlis & novâ terrâ locutus eſt, atque hanc renovationem mundi cum futurâ Eccleſiæ fœlicitate conjunxit. Ideóque ex illo loco *Iſaiæ Novam Ter-*
M. p. 307. vid. etiam p. 312. & p. 340. *ram futuram* Millennii ſedem conſtituit *Juſtinus* Martyr cum *Tryphone* differens: ὅτως γὰρ Ἡσαΐας περὶ τῆς χιλιονταετηρίδος ταύτης εἶπεν. ἔσαι γὰρ ὁ οὐρανὸς καινὸς, καὶ ἡ γῆ καινὴ, &c. Sanctus *Johan-*
Apoc. 21. 1. *nes* itidem dicit in fine mundi ſe vidiſſe *novum Cœlum atque novam Terram*, in quam deſcendit ſancta civitas *Jeruſalem.*
Rom. 8. Hæc eadem mundi inſtauratio dicitur à Sancto *Paulo* ἡ κτίσεως
Act. 3. 21. ἐλευθέρωσις vel ἀπολύτρωσις. Et à Sancto *Lucâ* ἀποκατάστασις: cùm Chriſtus à cœlo deſcendens renovabit omnia. Denique, ab
Matt. 19. 28. ipſo Chriſto dicitur παλιγγενεσία, ubi ſuo ſedebit in ſolio, & regno potietur. Hæc dicta diligentèr expendentibus manifeſtum erit, neque fortiùs, neque magis explicitè doceri in Religione Chriſtianâ, mundi conflagrationem, quàm ejuſdem renovationem; neque magis eſſe dogma Chriſtianum *hodiernos cœlos & terram deſtructum iri*, quàm, iis deſtructis, *novos cœlos novamque terram conditum iri.*

Poſito autem hoc fundamento, Quid fiet, quæſo, in hâc novâ Terrâ? Quem in finem conditur aut inſtauratur? Neque

que enim domos reædificare & adornare solemus, ut stent vacuæ sine incolis. Futurus ille mundus multò præstantior erit hodierno, & instar *novi Paradisi*: ut suprà probavimus, cap. 2. tàm ex naturâ rei, quàm ex Sacris literis; & respectu Paradisi pristini mundique primævi dicitur ἀποκατάσασις ab Apostolo, & à patribus Græcis παλιγγενεσία, ἢ τῦ κόσμυ ἀνάκτισις, μετακόσμησις, ἀνανέωσις, aut καινέργησις· ab aliis ἀνακαίνωσις, & μετασοιχείωσις; Denique μεταχημαπσμὸς ad imitationem *Pauli* ad *Corinthios* (1 *Cap.* 7. 31.) & πρὸς τὸ κρεῖττον ἀλλοίωσις juxta eundem *Paulum* ad *Romanos*. Ità variè exprimitur à Patribus hæc futura c. 8. mundi renovatio; Quam si concedas, quæ aptior esse potest sedes Beati Millennii, quàm hic *Paradisus* redivivus? imò quorsum aliàs quæso, hæc nova Cosmopœia, novusq; Orbis? an ut Diis spectaculum sit sine usu, fluitetq; per aërem iners & inanis globus? Quòd si negas hanc *renovationem futuram*, negas aperta & repetita verba Sacræ Scripturæ, munita insuper authoritate & suffragiis plurimorum Ecclesiæ Patrum.

Omnes Patres Millenarii aliqualem mundi naturalis instaurationem supponunt: Sed alio atque alio modo & tempore, prout magis aut minùs in rerum naturâ instructi erant. At præter Patres Millenarios, alii multi futuram mundi renovationem docuerunt, victi lumine & explicitis verbis Sacrarum Literarum, etsi Millennium repudiârint, aut non agnoverint. Denique præter illos paucos, qui mundum in conflagratione abolitum eunt, reliqui omnes, ex necessitate rei, eò adiguntur, ut vel renovandum esse concedant, vel molem cineritiam ornatæ rerum compagi præferendam esse asserant.

Sed ut plenam ex omni parte, firmamq; huic Dogmati de Futurâ Mundi Renovatione, fidem faciamus: Sicut Illud antea ex Sacris Literis, & ex Literaturâ prophanâ, *Romanâ*, cap. 2. & *Græcâ*, & *Antiquo-barbarâ* probatum dedimus; Ita, quod unicè Supereſt, Patrum Christianorum consensum (cujus supra mentionem fecimus) & authoritatem Ecclesiasticam his omnibus adjungemus.

Patrum Nicenorum hâc de re sententiam exposuit *Gelasius Cyzicenus*. Consule *Diatyposes Ecclesiasticas*, capite περὶ τῆς τῦ Θεῦ προγνώσεως κ) κόσμυ. ubi hæc leguntur, Προέγνω γὰρ ὁ θεὸς, Hist. Act. τὸ φαινομένης, &. *Prævidit Deus peccaturum esse hominem, idcirco* Conc. Nic. *Novos Cœlos & Novam Terram expectamus, juxta sacras literas*:

apparente nobis Illustri præsentiâ & Regno Magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi. Et tunc ut ait Daniel, (c. 7. 18.) *recipient Sancti Regnum Altissimi: Et erit Terra pura, sancta; Terra viventium, non mortuorum. Quam oculis fidei prævidens David clamat* (Ps. 27. 13.) *Credo videre dona Domini in Terrâ viventium, Terrâ mansuetorum & humilium. Beati inquit Christus,* (Mat. 5. 5.) *Mites, quoniam Ipsi possidebunt Terram. Et Propheta* (Isa. 26. 6.) *ait, calcabunt ipsam pedes mansuetorum & humilium.*

Eusebius hanc Doctrinam de futurâ Mundi transformatione, *Hebræam, Christianam,* & simul *Platonicam* esse statuit. *Præp. Evang.* li. 11. c. 32. cui Titulus: περὶ τῆς ἀλλοιώσεως καὶ μεταβολῆς τοῦ κόσμου. & *Demonstr.* l. 3. sec. 3. Et li. 1. c. 9. Eandem sæpius asseruit *Justinus*, locis supra notatis, ex *Dial. cum Tryphone.* Itidem Author *Quæst. & Respons. ad Græcos,* eandem apertè approbat. in pag. 204. & p. 196. hanc esse Orthodoxorum fidem atteſtatur. Nec minùs apertè affirmatur in *Resp.* Sec. 31, 32. *ad Orthod.* responsione ad Quæst. 93, 94, 95. Dein explicatam habes pleniſſimè, sive ex *Proclo*, sive *Methodio*, apud *Epiphanium* Hær. 64. Sed transeamus ad alios.

Notissima est sententia *Irenæi* de Mundi Renovatione. Vide Li. 5. c. 33. Tantundem asserit capite sequenti, & deinceps ad finem libri. *Basilius Magnus,* cum verba Pauli ad 1 Cor. 7. 31. & illa Matthæi, cap. 24. 35. citâsset, subjungit, Προαναφώνησις τῶν περὶ συντελείας δογμάτων, καὶ περὶ τῆς τοῦ κόσμου μεταποιήσεως. Est *prædictio dogmatum de consummatione, & de Mundi instauratione.* Et paulo post inquit, Ἀνάγκη μεταποιηθῆναι τὸν κόσμον, εἰ μέλλοι καὶ ἡ τῶν Ψυχῶν κατάσασις πρὸς ἕτερον εἶδος ζωῆς μεταβάλλειν, &c. *Si Animæ ad aliud genus vitæ transeant, Necesse est etiam Mundum transformari.* Dein inquit, Quanquam hanc παλιγγενέσιαν irrideant à Philosophis nonnulli, ij nempe qui Mundum æternum fore statuunt; Non pauciores sunt Homil. 3. ait è Philosophis, neq; dignitate minores, οἱ τὸ πᾶν ἐκπυροῦσθαι λέγοντες, καὶ ἀναβιώσκεσθαι πάλιν ἐκ τῶν σπερματικῶν λόγων τῶν ἀπομενόντων τοῖς ἐκπυρωθεῖσι. *Revivisce re ex ijs quæ relicta sunt in Conflagratione.* Ut supra diximus capite secundo.

Pergamus ad Cyrillos, quorum uterq; in hâc doctrinâ consentit. Sic *Hierosolymitanus*, ὁ γενητὸς οὗτος ὁ κόσμος πάλιν ἀνακαινοποιεῖται.----*generatus hic mundus rursus renovabitur,* ut purgetur à suis vitiis & sordibus, & subinde inquit, παρέρχεται ὁ κόσμος

ὁ κόσμος οὗτος, ἵνα ὁ καλλίων ἀναδείχθῃ. *Præteribit hic mundus ut pulchrior restituatur.* Dein verba Prophetarum & Apostorum ad hoc probandum subjungit. Neque aliter *Cyrillus Alexandrinus*: ad illud *Isaiæ* c. 51. 6. διὰ παντὸς τῶν στοιχείων εὐφυῶς ὀνομάζει τὴν εἰς τὰ ἀμείνω μεταβολήν· ὡς γὰρ ὁ Παῦλος φησὶν ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐλευθερωθήσεται, &c. ubi verba *Pauli* explicat per verba *Petri*, 2 *Epist.* 3. *de conflagratione, & cœlis terrâque novis.* Dein subnectit, ἀκοὴν τὴν τῆς κτίσεως ἀνακαινισμὸν οἷον ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν, καθάπερ ἐπὶ σωμάτων τῶν ἀνθρωπίνων ἔσεσθαι φησί· *Igitur creationis renovationem, velut ex mortuis resurrectionem, quemadmodum in humanis corporibus fore ait.* Duo etiam *Gregorii, Nazianzenus* & *Nyssenus*, eandem nos docent renovationem. Hic cap. 25. de *opific. hominis*, & in funere *Pulcheriæ*, ad finem: Alter in oratione pro fratre *Cæsario* ita loquitur, ἀναμένω τὴν ἐμὴν μεταμόρφωσιν, τὴν γῆς μετάστασιν, τὴν τῶν στοιχείων ἐλευθερίαν, τὴν κόσμου πάντος ἀνακαίνησιν. *Cœli Terræque transformationem, Elementorum libertatem, totius mundi renovationem expecto.* *Origenem* non memoro, cujus nota est sententia ex *Hieronymo*, & ex suis. *Chrysostomi* etiam, ex homiliâ decimâ ad *Antiochenos*; ubi illud *Pauli* ad *Romanos octavo*, de rerum omnium instauratione, explicat. Et, ad eundem locum, *hom.* 14. in Epist. ad Rom. hæc habet, ὅτι ὁ καὶ ἐξανδρὸς μετὰ τὴν γῆς παλαιότητος πρὸς τὴν ἀμείνω λῆξιν ὕστερον μετασήσεται, ἄκοσμον τὸ παρόν, &c. Dein citat *Psal.* 101. & *Isa.* 24. in hunc sensum. Denique, ut à recentioribus Græcis unum atque alterum, veterum sequaces, adjiciam: *Oecumenius* (in 2 *Pet.* 3.) iterùm iterúmque sententiam suam de mundi renovatione repetit; manente eâdem materiâ quam Deus ab initio condidit; mundumque futurum τὸν δεύτερον κόσμον appellat. Hanc autem futuram transmutationem sic explicat; *Sicut igne fundere solemus quædam corpora, non ut absolutum interitum iis tribuamus, sed puritatem & sinceritatem.* In eandem denique sententiam descendit *Euthymius*, aliique. His Græcis patribus celeberrimos è Latinis adjungere licet *Tertullianum*, * *Lactantium*, ‖ *Hilarium*, *Ambrosium* (in *Hexa.* l. 1. c. 6. *com.* in *Heb.* 1. & in 2 *Pet.* 3. 10.) * *Augustinum*, *Hieronymum* in plura loca *Isaiæ* Prophetæ, *c.* 51. *c.* 63. *c.* 65. *Gennadium* (de *Dogm. Eccl.* 70.) *Primasium in prim. ad Hebr.* & in *Apoc.* 21. *Bedam* in 2 *Pet.* 3. & in *Apoc.* 21. aliosque plurimos. Vid. *Archæol. Philos. li.* 2. *c.* 2.

Vid. etiam Li. 1. Glaphyr. in Gen. titulo *de Adamo.* Et in cap. 3. *Sophoniæ*: & in cap. 2. Haggæi. ubi omnia restituenda docet in statum pristinum.

In Ps. 101. 27.

Adver. Marc. & adver. Hermog.

* Fragm. de Ext. jud.

‖ Psal. 118. Lamed.

* Civ. Dei 20. 16. & in Psal. 101.

Exigua quidem, aut nulla est dissentio inter veteres de futurâ mundi renovatione in genere : Sed de limitibus illius renovationis nonnihil dissentiunt ; dum alii ad superiores etiam cœlos eam extendant, alii ad inferiores tantùm. Dein de tempore hujus renovationis non penitùs conveniunt : alii antè diem Judicii eam collocant, alii post ; utcunque necèsse est ut sequatur proximè conflagrationem, & sit Orbis habitabilis, quod proposito nostro satis respondet. De re ipsâ, inquam, cùm toties & tam apertè in sacris literis doceatur, inter Orthodoxos nulla est discordia ; ideóque *Phi-*
Hær. c. 67. *lastrius*, quarti seculi Episcopus *Brixienſis*, *Cœlum & terram*
Disp. in D. Tho. tom. 2. Q. 59. Disp. 58. Sec. 1. *non renovatum iri*, inter hæreses numerat. Quod etiam repetit Sanctus *Augustinus*. *Omnesque Sancti*, ut inquit *Suarestus*, *loca illa Isaiæ* & *Sancti Johannis* de cœlo & terrâ novis, *de corporibus cœli & terræ, & materiali alteratione & renovatione, in fine mundi* futurâ, exponunt. Denique, Theologi Scholastici eandem doctrinam sequuntur, ut videre est apud *Magistrum Sententiarum*, *l.* 4. *dist.* 47, 48. &, in ea loca, apud *Thomam*, *Estium*, *Dominicum Soto*, alioſque. Pluribus igitur in hâc re supersedeo.

His ita expositis & probatis, ex Theologiâ Christianâ, de
Vid. supra c. 3. *futurâ mundi renovatione*, redit jam quæstio, *Quis habitabit in hâc terrâ novâ ?* Si taces, respondet Sanctus *Petrus*, Justi illic
2 Pet. 3. habitabunt. Eandem quæstionem videtur olim proposuisse
& Psal. 24. 4, 5. 13. Regius Propheta, nec aliud responsum retulisse *Psal.* 15. *Domine, Quis habitabit in Tabernaculo tuo ? aut quis requiescet in monte sancto tuo ?* Responsum est, *Qui ingreditur sine maculâ & operatur justitiam.* Christi & Justorum est illa Terra : Et *futurus orbis habitabilis* (ἡ οἰκουμένη ἡ μέλλουσα) Sancti *Pauli* ad *Heb.* 2. 5. quem singulari modo Christi dominio subjicit, alius esse non potest ab hâc Terrâ, in quâ eum regnaturum esse dicimus. Huic consonum est, quod Sanctus *Johannes* suæ visioni de *cælo novo* & *terrâ novâ*, *Apoc.* 21. 1. continuò
ver. 2. subjunxerit, se vidisse Sanctam Civitatem, *novam Jerusalem*, descendentem è Cœlo : ideoque in hanc novam Terram ; ubi erat Tabernaculum Dei cum hominibus, (*ver.* 3.) Christusque suo solio insidens, *omnia* fecerat *nova*, *ver.* 5. Denique, quò nihil supersit dubii, recolamus ea quæ disertè asseruit *Isaias Propheta*, Ego creaturus sum novos cœlos & terram novam, neque commemorabuntur priora ; sed *gaudebitis* & *exultabitis in sempiternum in his quæ ego creo.* Sed de hoc

hoc primo argumento, contra eos qui ſedem Millennii ſtatuunt in hodiernâ terrâ, hæc ſatis.

Secundò notandum, nonnulla affirmari de Millennio in ſacris literis, quæ hodierna natura non patitur; ſive, fœlicitatem futuram Millennii conſtare non poſſe cum hodiernâ mundi naturalis conſtitutione. Beatum Millennium ſupponit, non tantùm pacem publicam in terris per mille annos: Quod an fieri poſſit, meliùs ex ſequentibus judicium feremus: Sed etiam naturam externam ſine incommodis quibuſcunque, atque corpus humanum ſine morbis aut ægritudine; ut ſatis anteà monſtravimus capite ſecundo. Nam ſi iiſdem malis morbiſque corporis, iiſdem vitæ neceſſitatibus, iiſdem cœli moleſtiis, quæ nos hodiè circumſtant & laceſſunt, exponantur ſancti in Millennio, non video quî poſſint eſſe fœlices, ſuis tantum virtutibus involuti. Oportet eſſe nimis Stoicos, ut hæc ferre valeamus, & ſimul eſſe beati. Bonæ fœminæ in Millennio Cancer rodit & exedit pectus: Illa pungitur dolore, nocte dieque: tandem tenera mamma inciditur; imò amputatur, & ardenti ferro uritur. Tu vis autem ut hæc fœmina intereà ſit læta & beata. Eſto, ſed eodem prorſus modo quo ſunt lætæ & beatæ mulieres cancro afflictæ. Ità febricitantes in Millennio, parturientes in Millennio, calculo laborantes, non aliter fœlices erunt quàm ſunt hodiè cùm iiſdem malis cruciantur. Nam una eademque res eſt dolor, ſemper & ubique: in omni ſeculo, apud omnes populos: ſemperque fœlicitati contraria.

Prætereà, quæ poteſt eſſe tanta rerum abundantia in hodiernis terris, ut nullus locus ſit paupertati & indigentiæ? ubi autem indigentia, ibi labor involuntarius & ingratus, & operæ ſervilia & illiberalia: Qualia ſunt in fodinis, & fornacibus, in navigiis, in macellis, in ſtercorariis, aliiſque vitæ tenuis, ne dicam miſeræ, ſervitiis. Qui autem dicuntur eſſe *Reges Deo*, ut ſunt omnes beati illius ſeculi participes, ab hujuſmodi malis, & ab omni improborum hominum dominatione eximi debent.

Cœli hodierni incommoda non memoro; In extremis verſamur magnâ ex parte: aut nimio æſtu, aut nimio frigore: mille aëris injurias & inæquales vices patimur, quæ corpori animoque officiunt, & utriuſque vires labefactant. Denique ſi omnia hodiernæ naturæ onera & incommoda ferre

ferre oporteret in Millennio, licet ex alterâ parte accederent, ad compensandum damnum, pax & morum reformatio: hæc, vitam, non tàm fœlicem redderent, quàm magis tolerabilem.

Hæc autem *mediocria* & *tolerabilia* longè subsidunt infra splendorem & fœlicitatem Regni Christi, prout à Prophetis exhibetur: maximè ab *Isaiâ* & à Sancto *Johanne*. Neque ad eorum exemplar formari potest illud regnum, nisi factâ aliquâ naturæ conversione, mundoque renovato. Cùm verò, admissâ hâc renovatione, omnia respondeant, sine vi aut arte, characteribus sacris Millennii malè operam collocant, ut mihi videtur, qui verba clara ad sensus figuratos detorquentes, invitâ naturâ, literisque sacris, Beatum Millennium ad hodiernas terras restringunt.

Notandum tertiò, malitiam & improbitatem hominum duraturam esse usque ad finem mundi, & adventum Christi. *Cùm enim venerit Christus, non reperiet fidem in terrâ? Luc.* 18. 8. Edent, bibent, ludent, instante rerum fine: omnibus vitiis atque omni luxu abundabunt, ut ante Diluvium, & in Sodomis, *Luc.* 17. 26, 27, 28, 29, 30. *&* *c.* 21. 34, 35. nusquam promittitur Sanctis, in hâc vitâ, pax & requies: nusquam fœlicitas temporalis. Zizania non eradicantur nisi in fine sæculi, nec mali separantur à justis, *Matt.* 13. 39, 40, *&c.* Eum autem finem sæculi esse ipsam Conflagrationem ex eodem loco satis constat. Dominus Christus Discipulos suos semper admonuit, ut odia, inimicitias, contentiones, persecutiones, apud homines expectarent, apud Deum pacem. *Matt.* 10. 22. *Joh.* 5. 19. *&* 16. 33. *&* 17. 14. Scio hoc spectâsse, modo peculiari, ad prima secula Ecclesiæ, sed nullum seculum eximitur. Christus Ecclesias Apocalypticas semper hortatur, ut ad victoriam & coronam niterentur: nulla autem victoria sine pugnâ, nulla corona sine certamine; Neque aliis thronum promittit quam iis qui vicerint, uti ipse vicit, (*Rev.* 3. 19.) Vicit autem ille patiendo. Denique *Turba palmifera*, qui antè Thronum stabant, stolis albis induti, *Rev.* 7. 14. ii erant *qui venerant de tribulatione magnâ.* Rev. 12. 12

Sanctus *Paulus* afflictionum vitæ Christianæ impendentium semper meminit, quasi ad futuram gloriam adipiscendam necessariarum: ut conformes essemus Christo. Ità ad *Romanos* scribens, *cap.* 8. 17, 18. Ad *Hebræos* scribens,

cap.

cap. 12. 6, 7, 8. Ad discipulos suos & auditores, *Act.* 14. 22. denique liquidò & apertè ad *Timotheum*, 2 *Epist.* 2. 11, 12, *&* *c.* 3. 12. Neque aliter Sanctus *Petrus*, 1 *Epist.* 1. 7. aut Sanctus *Jacobus*, *c.* 1. 12. ut eadem sit apud omnes Apostolos ad cœlum via, aspera & angusta. Cùm verò hæ asperitates & angustiæ proveniant à malitiâ & improbitate hominum, patet has non minùs quàm illas ad mundi finem duraturas esse.

Præterea, regnabit Antichristus, juxta doctrinam Propheticam & Apostolicam, usque ad adventum Christi; ideóque eousque durabit hominum improbitas, neque locus erit Millennio. Non citiùs periturum esse Antichristum, inde patet, quòd *Christus eum dissipabit spiritu oris sui, & claritate adventûs sui abolebit*, ut inquit Sanctus *Paulus* ad *Thessalonicenses*, 2 *Epist.* 2. 8. Et *parvum cornu* regnabit apud *Danielem*, *cap.* 7. 26, 27. *donec judicium consederit.* Tunc autem *Regnum dominatusque & amplitudo regnorum sub toto cœlo dabitur populo Sanctorum excelsorum.* Porrò, in ipsâ mundi conflagratione periturum esse Antichristum, spoliatum licet anteà magnâ suâ potentiâ, ex Apocalypsi patet; ubi excidium Babylonis, sedis Antichristi, per ignem & combustionem describitur. *Apoc.* 18.8. *&* 18. *&* *cap.* 14. 8, 11. *&* *cap.* 19. 3. Neque aliter apud *Danielem*; corpus enim Bestiæ cum cornu oculato, traditum fuit combustioni ignis, antequam advenerit regnum Christi. Eodem modo *Bestia* & Pseudo-propheta in stagnum ardens sulphure conjiciuntur, *Apoc.* 19. 20. in fine mundi, incepturo jam Millennio. Et quæ Typi sunt Antichristi, vel ipsius sedis, in veteri fœdere, ut *Babylon*, *Tyrus*, & eorum Principes, tanquam igne perituri exhibentur, *Isa.* 13. 19. *Jer.* 51. 25. *Ezek.* 28. 18. Neque tamen nego aliquid temporis intercedere posse excidium inter *Romæ* per ignem, & conflagrationem generalem. Atque primam esse partialem & præludium posterioris. C. 7. 11.

Denique ex ipsâ serie rerum & Prophetiarum Apocalypticarum patet, nullum esse locum Millennio antè conflagrationem. Non nisi excisâ Bestiâ & triumphatâ & in stagnum ardens conjectâ, incipiunt mille anni Beati. Neque enim ante id factum ligatus fuit Satanas, neque descendit nova Jerusalem, Christi sponsa: neque turba victrix & palmifera Epinicia cecinit, neque ultimum γάμος (*c.* 16. 17. *&* *c.* 21. 5, 6.)

5, 6.) pronunciatum fuit; Hæc autem singula, utì cohærent aut contemperant millennio, ità ex naturâ rei supponnut jam exciſam Beſtiam. Phialæ etiam pertingunt ad finem mundi, prout ab earum ultimâ, collatâ cum tubâ ſeptimâ, mihi clarum eſſe videtur: Et non niſi effuſis Phialis, & effecta ſua ſortitis, obtinere poteſt Millennium; cùm tot ſint plagæ, aut Antichriſto inflictæ, ad perficiendam ipſius ruinam: aut ipſi naturæ, ad maturandum mundi excidium. His unà collatis, ex omni parte veriſimile mihi videtur, malitiam hominum pravorum, regnumque Antichriſti, (diminutum licet antea) non niſi cum ipſo mundo finem eſſe habitura; ideóque in hâc vitâ nullum eſſe locum Beato Millennio.

Peti poteſt adhuc aliud indicium hujus rei, ex adventu Chriſti: quòd improviſus & ſubitaneus futurus ſit, utì ipſe & Apoſtoli ſæpiùs teſtantur. Veniet *inſtar fulguris*, ſubitò & ex improviſo erumpentis è nubibus: *Luc.* 17. 24, 25. *&* *c.* 21. 34, 35. Et inſtar *furis* in nocte, 1 *Theſſ.* 5. 2, 4. 2 *Pet.* 3. 10. *Rev.* 3. 3. *&* 16. 15. Dein quærentibus diſcipulis de fine mundi, reſpondet Chriſtus, Tempus illud latere ipſos Angelos, *Mat.* 24. 36. Neque venturum regnum Dei μετὰ παρατηρήσεως, *Luc.* 17. 20. ita ut obſervari poſſit & præfiniri ex apparatu antecedente. Quod ſi oportet ut finem mundi præcedat Millennium, atque eo finito ſuperveniat conſummatio, hoc ſigno & indice advertent & prægnoſcent omnes futurum mundi finem. Non dico hinc cognitum iri aut horam, aut diem, aut annum adventûs Chriſti: Sed quemadmodum exeunte æſtate, hyemem inſtare novimus, & paramus omnia ad vitam victumque neceſſaria in tempeſtate frigidâ & effœtâ: ita exeunte Millennio, jamjam ingruere Chriſti adventum, mundique finem, certò ſcient homines; Neque ideò inopinatò & nihil tale ſuſpicatos, quod ſupponere videtur Scriptura Sacra, obruet ira Dei; utì olim in Diluvio, & in Sodomorum excidio.

Notandum quartò; Tempus ſive intervallum temporis in quo verſamur poſt Chriſtum natum, dicitur in ſacris literis *Tempora noviſſima*, 1 *Tim.* 4. 1. *Dies noviſſimi*, 2 *Tim.* 3. 1. *Hora noviſſima*, 1 *Joh.* 2. 18. Dicimur etiam incidiſſe in *extremitates temporum*, 1 *Cor.* 10. 11. atque tempus hodiernum dicitur συντέλεια τῶν αἰώνων, ad *Hebr.* 9. 26. Hæc omnia, laxè

laxè sumpta, denotare videntur ultimam mundi ætatem; post quam non expectatur alia ætas, alius ἀιὼν, alius mundi status, usque ad conflagrationem. Millennium autem, sive regnum Christi, prout describitur à Prophetis utriusque fœderis, est planè nova ætas, novus ἀιὼν, quandocunque acciderit: ideoque non debet accidere antè finem hujus mundi. Prætereà ab Apostolis dicitur iterum iterúmque, rerum omnium appropinquare finem. *Phil.* 4. 5. *Hebr.* 10. 25, 37. 1 *Pet.* 4. 7. *Apoc.* 1. 3. & *c.* 22. 7. Quod licet πλατικῶς interpretemur, ægrè tamen quisquam sibi persuaserit, cùm jam, à Christo nato, secula ultra sedecim effluxerint, tantundem ferè superesse adhuc temporis ad finem mundi. Si verò in hâc vitâ Millennium statuas, parum deerit huic calculo; Nam ultra mille annos beatos, in apparatu Millennii non exiguum tempus impendendum erit; vocandi sunt Judæi & Gentes: debellandus & extinguendus Antichristus: Pars sana Christianorum à malè sanis distinguenda: *Testes* etiam resuscitandi, *Apoc. c.* 11. & effundendæ *Phialæ*, *c.* 16. Aliaque ad parandum theatrum necessaria. Quæ cùm adhuc non advenerint, nec occidentis, aut etiam advesperascentis mundi ulla hactenus appareant signa: Si in hâc ætate mundi, ante Conflagrationem, Millennium constituas, ætas mundi hodierni ad immodicam longitudinem erit protrahenda.

Notandum prætereà, Regnum Christi non incepturum esse ante Diem Judicii. Sub Tubâ septimâ (*Apoc.* 11.) adventante Regno Christi, dicitur, Tempus esse judicandi mortuos; mortui autem non judicantur ante finem mundi: Ergò nec ante finem mundi erit regnum Christi. Audiamus verba Prophetæ, *Apoc. c.* 11. *ver.* 15, 18, 19. *Septimus Angelus clanxit, & factæ sunt voces magnæ in cœlo, dicentes, facta sunt mundi Regna Domini nostri, & Christi ejus, qui regnabit in secula seculorum.----Advenit ira tua, & præstitutum tempus ut judicentur mortui, & ut des mercedem servis tuis Prophetis, & Sanctis, & timentibus nomen tuum, parvis & magnis: & perdas eos qui perdunt Terram. Tùm apertum est Templum Dei in cœlo, & visa est Arca pacti ipsius in ejus Templo: Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & Terræmotus, & grando magna.* Duo hìc designari extra dubium mihi videtur, Regnum Christi, seu Beatum Millennium, & finem mundi; quoad prius, convenit inter omnes qui concedunt millennium, illud hìc indigi-

tari: indigitari itidem finem mundi, id mihi satis indicat, quòd de *judicandis mortuis* fiat mentio: & dein de mercede, Prophetis, Sanctisque solvendâ; Hanc enim non solutum iri in hâc vitâ, ex Christi & Apostolorum verbis satis novimus. *Matt.* 19. 28. 1 *Thess.* 2. 7. 2 *Tim.* 4. 8. 1 *Pet.* 5. 4. Nec hoc loco tantùm, sed etiam posteà, *cap.* 20. 4. hunc confessum judicialem, cum Regno Christi & Sanctorum conjunxit Sanctus *Johannes. Et vidi thronos, & sederunt super eos, & judicium datum est illis. Et sancti vixerunt & regnârunt cum Christo mille annis.* Eodem planè modo, quo, multis olim seculis, Propheta *Daniel* hæc duo conjunxerat, Confessum judicii, Regnumque Christi & Sanctorum, ut videre est, *Dan. cap.* 7. *ver.* 9, 10, 14, 22, 26, 27. Christusque τὴν παλιγγενεσίαν atque Confessum judicialem eidem tempori affigit. *Mat.* 19. 28. Et quò complectamur omnia, notandum est, hæc tria, Apparitionem Christi, suum in Regnum ingressum, & mortuorum judicationem, conjunxisse, tanquam synchrona, Apostolum *Paulum* ad *Timotheum*, 2 *Epist. c.* 4. 1. *Obtestor te coram Domino nostro Jesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos, in apparitione suâ, & regno suo.* Quæ igitur Deus conjunxit, nemo separet.

Denique, in verbis illis Sancti *Johannis*, *cap.* 11. signa illa vel prodigia, *fulgura*, *voces*, *tonitrua*, *Terræmotus*, *grandinem*, quæ comitantur vel præludunt magnæ diei Domini, vides hîc conjungi cum millennio; Et si hanc Tubam septimam cum plagâ septimâ, quæ novissima est, mundumque claudit, conferas, (*Apoc.* 16. 18.) eadem utrobique phænomena reperies: qualia nempe mundi exustioni indicandæ & promovendæ apta sunt. Quare, ex his tribus indiciis, sanctorum Prophetarum remuneratione, mortuis in judicium adductis: Denique extremis motibus naturæ, & procellis igneis: Ab his, inquam, phænomenis, cum Regno Christi, pariter ac cum fine mundi, connexis, monstratur, Regnum illud millenne mundi hodierni finem aut conflagrationem non præcessurum esse.

Ex his igitur inter se comparatis conficitur, omnes Sanctos, Millennii hæredes, unà resurgere debere à mortuis: Omnes beatum seculum unà transigere, in Terrâ; sed in *Terrâ novâ*, non hodiernâ: neque in hodierno seculo, sed in adventu Christi; quem capient cœli usque ad restitutionem omnium,

sive

ſive uſque ad tempus Renovationis. Neque Thronos, quæſo ſomniemus in hâc vitâ, quos memorant Prophetæ in regno Chriſti: neque dominia, aut cætera ſplendida, quæ anſam dederunt inſaniendi Turbæ fanaticæ. Res ſunt alterius ſeculi, ſi quid ſapio: ubi ille, qui eſt *Alpha* & *Omega*, Apo. 21 6. ultimum γέγονε, quaſi agendarum & prædictarum rerum extremum terminum & complementum, pronunciaverit.

Prolixior fui in hoc capite *De Renovatione Mundi*, & de *Sede Millennii*; Quòd putarem in primâ quæſtione verti cardinem hujuſce Libi Quarti, & per alteram refelli poſſe malè conceptas de loco & tempore Millennii opiniones. Ad rerum conſummationem jam properamus: Sicut autem flexo ad veſperam die imminui ſolet lumen, & minus firmo pede metimur viam, Ita ſi forte labar aut aberrem in hoc dubio tramite, benè volenti, & veritatem quæritanti, faciliùs concederetur gratia.

CAP. IX.

Diſſertatio conjecturalis:

De iis quæ Millennium ſecutura ſunt uſque ad rerum omnium conſummationem.

EXplicita eſt hæc diſſertatio de *Beato Millennio* & de mundi renovatione: quantumque nobis ab initio, in hoc argumento tractando propoſitum fuit, his paucis confecimus. Tria ſunt præcipuè capita, in quibus me non erráſſe ſpero, cupioque: Primò, *Expectandum eſſe Beatum Millennium antè judicium univerſale.* Secundò, *Expectandos eſſe novos Cœlos, atque novam Terram, poſt conflagrationem.* Tertiò, *Beatum illud Millennium non fore in hodiernâ vitâ & hodiernis terris*; *ſed in novo cœlo novâque terrâ promiſſis.* In hiſce tribus ſi veritatem aſſecutus fuerim, in cæteris, quæ adhærent argumento, ſi quid fortè erraverim, facilè me revinci patiar. Sicut *cognoſcimus*, ità ſcribimus, *imperfectè*, quicquid ſcribitur in hâc vitâ:

maximè verò cum de rebus futuris agitur: & è viſceribus naturæ, aut ex vaticiniis myſticis, adventura fata & occultos mundi ordines eruere tentamus. Quandoquidem verò poſt multum viæ emenſæ, eo jam perventum ſit, ut mundi extrema ferè contingere videamur, libet pedem proferre paulò ulteriùs, Sacrâ Scripturâ duce: Et, quæ in fine Millennii in ſcenam proditura ſunt, ad explendum argumentum pro viribus interpretari. Si ad Philoſophiam ſolam reſpiciamus, unicum reſtat tractandum, nempe, *Quid fiet ab hâc Novâ Terrâ* finito Millennio, ſive in rerum conſummatione? Manebitne eodem loco, & ſub eâdem formâ: an mutabitur, & quo modo? Erit utique Incolis vacua, exciſis Improbis, Sanctiſque in cœlum tranſlatis. Hunc nodum ſe facilè expedire poſſe credent forſan ii, qui Conflagrationem Mundi non niſi in fine Millennii & in conſummatione rerum futuram ſentiunt. Sed præterquam quod in antecedentibus oſtenſum ſit Conflagrationem generalem priorem eſſe Millennio, ex eorum hypotheſi redit Quæſtio, Poſt hanc Conflagrationem *Quid futurum ſit:* Quid fiet à Terrâ combuſtâ? Quò migrabit, cui uſui inſerviet? Ex hâc ideò hypotheſi non diluitur difficultas: proinde quid ſtatuendum ſit de hâc quæſtione ſecundum hypotheſin noſtram, paucis explicandum.

Ut dicam liberè quod ſentio, quandoquidem verſamur in cauſâ conjecturali: Exiſtimo, Terram in rerum conſummatione diſſolutum iri in liquidum æthera, aut converſum in Stellam Fixam. Scio Stoicorum Principes tradidiſſe, omnia tandem in æthera & ignem reſolutum iri: At de Magno Univerſo loquuntur ii, & extremâ ipſius reſolutione: Nos de Tellure noſtrâ tantùm, & de intermediâ aliquâ mutatione, ad illam Cataſtrophem maximam quaſi præparatoriâ. Quumque Stella Fixa nihil aliud ſit quàm moles aut congeries ætheris & vis igneæ unà collectæ, magis propendeo in illam ſententiam quæ Tellurem aliquando in Fixam mutatum iri, quàm in alteram quæ in æthera diſpergendam & diſſipandam eſſe ſtatuit.

Statuunt nonnulli Philoſophi omnes *Planetas* olim fuiſſe *Stellas Fixas*, ſive totidem *Soles:* & reverſuros denuò in eandem ſimilemve formam. Nimirum credunt Stellam Fixam ita obduci poſſe maculis & incruſtari, ut nullum ultra ſpargat lumen, ſed in corpus opacum exteriùs cedat; interiùs autem

autem retineat in centro priſtini ignis ſui theſaurum, atq; ætheris magnam molem: Quæ poſt aliquot millennia, aut ſæculorum ordines, eruptura eſt; exeſo & fracto ſuperiori cortice. Atq; eo modo victrix flamma, ſuperatis repagulis omnibus, inundabit Terrarum orbem, & in priſtinum ſuum ſtatum Stellæ Fixæ reſtituetur. Vid. carm. in fine, li. 2.

Hæc transformatio Telluris atq; mundi noſtri Sublunaris dici poteſt Ipſius Reſurrectio: Et Reſurrectio quidem *ſecunda*, aut ἀποκατάσασις ſecunda. Renovatio, enim Mundi, cœli & terræ, in adventu Chriſti, erit quædam Ipſorum Reſurrectio aut ἀποκατάσασις. Atq; eo nomine, ab Authoribus, tam Chriſtianis quàm exoticis celebratur. Sed quemadmodum duplex erit reſurrectio in hominibus, Prima & Secunda; ita etiam juxta hanc hypotheſin duplex erit in Naturâ externâ: In principio nempe Beati Sæculi, & in Ipſius fine. Cumq; primæ Reſurrectionis Filij, completo Millennio & Regno Chriſti in cœlum rapiuntur, corporibus æthereis induti: eodem tempore Natura Sublunaris transformabitur in non diſſimilem gloriam, fugietq; ad ſupernas ſedes Stellificata Tellus. Si quæſieris verò, *Quî fieri hoc poſſit?* Reſpondeo, *Ille* qui Corpus ſuum in lucem transformavit: atq; noſtrum etiam in ſui ſimile transformaturus eſt, Creationem ipſam ab omni corruptione & materiæ ſordibus potis eſt redimere, & in eandem cum filijs Dei lucem & ſplendorem transferre & tranſformare. Mat. 17. Phil. 3. 21. Rom. 8. 21.

Prætereà diximus, in Telluris meditullio manere reſiduum Aſtrale, quod uſitatè nuncupamus *Ignem Centralem*. Atq; iſtius Ignis Symbolum haberi poteſt (niſi alia ſuppetat conjectura veriſimilior) *Ignis Sacer* apud plurimas Gentes, perpetuò & inextinctè conſervatus. Non tantum apud Judæos, ſed inter Romanos, Græcos, Perſas, populoſq; alios non paucos. Sed unde hic Ignis Sacer, aut ex quo primùm tempore has ſedes occupaverit, non explicuerunt, ſive Antiqui ſive Recentiores. Facile credo Ignem hunc Centralem reliquias eſſe, ut antea diximus, Stellæ Fixæ: quæ obducto maculis ſuo corpore, in Planetam degeneravit. Atq; hanc flammam in corde retinet, Spem vitæ redituræ.

Spem, inquam, *vitæ redituræ*. Quod ſi reviviſcat, æquum erit credere hanc metamorphoſin eſſe reciprocam: Et ſicut Fixæ, maculis corticibuſq; involutæ, extinguuntur, & fiunt Planetæ:

Planetæ : Ita eoſdem Planetas poſt certas periodos, excuſſis maculis reviviſcere in Fixas. Videmus in Sole utriuſq; rei aliquale exemplum, cùm *maculæ Faculæque* per vices dominantur, atque primas illas ſæpenumerò abſorbent aut diſcutiunt exundantes flammæ, & plenum Soli lumen reſtituunt.

Hujus autem reviviſcentiæ exemplum maximum habemus in *novis Stellis*, quæ ex improviſo apparent in Firmamento. Neque enim probabile eſt eas extemporaneâ creatione de nihilo productas eſſe, cùm ſe primùm nobis oſtentant : Sed ex opacis corporibus evaſiſſe lucida : magnâ vi ignis & luminis, quæ intûs latebat, erumpente, & partes eorum omnes exteriores inundante & circumfluente. Ità molem illam ignis, quæ Telluris noſtræ medium occupat, non fruſtrà ibidem reſervatam eſſe credo : Sed, cùm Deo viſum fuerit, illa moles aucta & fortior facta ex novâ copiâ ſimilis materiæ, à vicinis cœlis eò affluente, latiùs ſe diffundet undiquaque per terræ viſcera : dein regiones ipſius exteriores inundabit : tandemque totum terrarum orbem in corpus luminoſum convertet.

Favet huic opinioni, ni fallor, Scriptura Sacra, cum de *Fugâ Cœli & Terræ* poſt judicium univerſale verba facit : & de *abſorptione* Mortis, Inferni, τῦ Ἅδε poſt ultimam Reſurrectionem. Ἅδης apud Antiquos ſignificat non modò ſtatum mortuorum, ſed etiam locum & regionem hujuſce Mundi inferioris : regionem turbidam & caliginoſam, in quam ſub aëre craſſo & fæculento detruſi erant Angeli rebelles ſive Dæmones è cœlo ſuperiori depulſi. Hunc Ἅδην abſorptum iri innuere videtur doctrina Prophetica (1 *Cor.* 15. 26, 54, 55. *Apoc.* 20. 14.) Et ſecundum dogmata Magorum in loco præmemorato *Plutarchi*, apertè dicitur, τέλος δὲ ἀπολείπεσθαι τὸν Ἅδην. Nempe poſt lucis & tenebrarum, boni & mali Genij, luctam diutinam, *Tandem deficere Hadem* : Luce & immortalitate victricibus.

Eodem reſpicere videtur Illa *Fuga Cœli & Terræ*, quam S. *Johannes* futuram memorat poſt extremum judicium & Reſurrectionem. Verba Prophetæ hæc ſunt, *Vidi Throno-* Apoc. 20. 11. *num magnum candidum, & quendam ei inſidentem, à cujus conſpectu fugit Terra & Cœlum, & locus eorum non eſt inventus.* Per *Fugam cœli & terræ* in his verbis Propheticis ſignificari mihi videtur, aut eorundem *Annihilatio* aut *Tranſlatio* in alium

alium locum, aliamve regionem Universi. Dic, quæsumus, cui bono, cui usui inserviret *Annihilatio*? aut immanis vacuitas & hiatus in medio cœlo? Nec ullibi locorum in sacris literis, quod memini, quicquam dicitur *annihilari*: Neq; absq; necessitate advocanda est & exercitanda Omnipotentia divina. Quamobrem in illam sententiam magis propendeo, quæ per hanc *Fugam* translationem aut loci mutationem intelligit. Causam verò emigrandi ad novas sedes nullam video, nisi ætherea facta fuerit & in Astrum conversa, ut antea diximus: Eo quidem modo transformata, avolaret ocyùs ad superas sedes & ad cognata Sydera.

His addit Propheta, *Locum eorum*, nempe Cœli nostri & Terræ, post hanc fugam *non fuisse inventum*. De iis scilicet quæ mutantur fugiuntq; hoc modo dicitur in *Apocalypsi* non inventum esse eorum locum; hoc est, Locum, ubi priùs consistiterant, nullam eorum retinere rotam aut vestigium. Ita *Fugient Insulæ, & non invenientur Montes*, sub ultimâ plagâ in Conflagratione Mundi, cum liquefacti & absorpti disparebunt. Et quemadmodum dicitur de *Dracone magno* cùm è Cœlo cecidit, in Terram dejectus, *Locum ipsius amplius non inventum esse in Cœlo*, *Apoc.* 12. 8. ità mutatis vicibus, in his regionibus non *invenietur* Telluris *locus*, ubi ad cœlestem habitationem commigraverit. Apoc. 16. 20.

Sic exeat *TELLUS*: expletâ suâ parte & finito cursu. Nec minùs de Incolis ipsius confectum est. Nati, denati, surrexerunt, judicantur, & ad sua quique loca abierunt. Traditumque est Regnum in manus Patris. Nos interim, miselli homines, brevis ævi, breviscque ingenii, in hâc vitâ, non nisi conjectando, rerum tantarum notitiam assequimur. Id quod ego, tenuitatis meæ conscius, ad excusandos errores, quos fortè commiserim, iterùm iterúmque repetitum velim.

CAP.

CAP. Ultimum.

Totius Theoriæ brevis conſpectus, operiſq; Epilogus.

TAndem aliquando ad optatam metam perventum eſt: &, ſeculorum omnium emenſis ſpatiis, quaſi in extremo rerum & temporum margine conſiſtimus. Pedem hîc figamus pauliſper: Locus eſt contemplationi aptiſſimus: Sedes alta & auguſta, in confinio temporis & æternitatis, hujus & alterius mundi: Et quid rerum geratur utrobique, ex hoc apice veluti ex intermundio, intueri licet.

Dum hîc ſedeo cogitabundus, & circumſpicio, venit mihi in mentem illius loci & temporis, cùm olim, in ſummitate montis, ad oram maris Mediterranei, ſederem contemplabundus: & ex alterâ parte Oceanum, ex alterâ tractus Alpinos & confragoſas rupes aſpectarem; Non diſſimilis mihi videtur hæc ſedes illi promontorio, non diſſimilis proſpectus: dum æternitatis Oceanum ex unâ parte intueor, ex alterâ rerum humanarum indigeſtas moles. Quis mihi hanc aut illam ſcenam in tabulâ depinget? *O præclarum proſpectum*, inquit Orator, *Puteolos videmus*, &c. Quid de tuis *Puteolis*, bone vir: Totum Imperium Romanum, totum terrarum orbem, parum eſt videre: In hâc noſtrâ ſpeculâ, utrumque mundum, hodiernum & futurum, contuemur. O præclarum proſpectum, & diverſiſſimum: Ex hâc parte tumultus, & ſtrepitus, & rerum perturbata & incompoſita facies; ex illâ inviolabilis ordo, quies, & ſilentium: Hîc caduca corpora, & fugaces rerum formæ & viciſſitudines; illic immobilis unitas & conſtantia. Sed parum eſſe, fateor, quod de mundo illo futuro, æternitatem intelligo, diſcernere poſſit oculus humanus, ex quovis loco aut ſede; ibi profunda & immenſa ſunt omnia, inſtar Oceani: Sed inſtar Oceani placidi: ſine motu, ſine fluctibus, ſine procellis. In ſempiternâ pace & tranquillitate, Angelorum more, vivitur.

Theor. l. 1. c. 9.

Acad. 20.

Notior

Notior autem est hujus prospectûs pars altera, mundus noster, natura sublunaris: Cujus varias Metamorphoses, ut ità dicam, varioſque αἰῶνας, in hujus operis decursu perlustravimus: nec ingratum erit, opinor, in hoc Epilogo, ea omnia summatim revisere & repræsentare. Cùm hanc Theoriam, &, in quo occupatur, objectum, respicio, versantur mihi ante oculos quatuor aut quinque Phænomena maxima: *Mundus oriens è suo Chao: Paradisus: Diluvium: Conflagratio:* & *Beatum Millennium*; sive *novi Cœli & nova Terra.* Hæc singula memorantur in sacris literis: non ingenii nostri figmenta, sed diversi naturæ status in hujus mundi curriculo, vel Theatri sublunaris Scenæ illustriores. Dixi in Sacris Literis hæc singula memorari; nec id in dubium trahi potest; sed præterea dicimus, hæc conjunctim tractari à Sancto *Petro*, in *Epistolâ secundâ, capite tertio:* ubi tres Cœli & Terræ successivos status recenset, *Antediluvianos, Hodiernos*, & *Futuros*, nempe post conflagrationem. Hunc triplicem Cœlorum & Terrarum ordinem, suis characteribus, tàm à cujusque constitutione, quàm fato, deductis, notat & distinguit Apostolus: nec minùs discriminat hodiernos ab antediluvianis, utroque respectu, quàm à futuris; antediluvianos constitutione *aqueâ* designat (*ver.* 5.) hodiernos *igneâ* (*ver.* 7.) unde suum utrique exitum proprium, & pereundi modum applicat. Deinde, hodierno mundo exusto, sive hodiernis cœlo & terrâ, *novos* substituit, (*ver.* 10, 11, 12.) qui tertium & extremum ordinem constituunt. Hæc est doctrina Sancti *Petri*, & super hanc petram ædifico Telluris Theoriam; contra quam, si mentem Apostoli assecutus fuerim, non prævalebunt Adversantium æstus: sin minùs, in fumos evanescat.

Hîc etiam obiter notare licet, probari posse hanc Theoriam dupliciter, incipiendo ab alterutrâ parte, sive ab alterutro termino, principio vel fine. Nam si à *novis Cœlis novâque Terrâ* incipias, quæ secundum promissa Dei, expectamus: his admissis, sequitur, fuisse olim Cœlos & Terram ejusdem similisve formæ & ordinis cum illis futuris: Illa enim instauratio rerum dicitur παλιγγενεσία & ἀποκατάστασις, ad pristinum ordinem *restitutio.* Sed quis est ille, quæso, pristinus ordo? Non hodiernus, is enim Vanitati & corruptioni obnoxius est: Præcessit igitur hodiernum primævus aliquis & antediluvianus, in quem fiet restitutio aut restauratio; atque

eò nos rectà ducit *mundi renovatio* ab Apoſtolo declarata.

Et quemadmodum doctrinæ Apoſtolicæ conformata eſt hæc Theoria, ità cum Naturâ, rerumque principiis concinit, & per omnia adaptatur. Exorſi ſumus hanc Theoriam à primo Chao, mundique origine: idemque filum produximus ad hoc extremum rerum omnium complementum; nec deficit, quod ſciam, in ullâ vis parte: nec interrumpitur rerum nexus. Id verò indicio eſſe ſolet, præſertim cùm per longos argumentorum tractus res deducitur, talem hypotheſin haud fictitio inniti fundamento. Quilibet apud ſe experiatur, ſi aliud fundamentum jacere poſſit, præter id quod jactum eſt: Si aliam hypotheſin proponere, quæ dictis Phænomenis *Mundi originis ex Chao, Paradiſi Terreſtris, Diluvii univerſalis, Conflagrationis Mundanæ, Novorumque Cœli & Terræ*, aptiùs reſpondeat, pleniúſve ſatisfaciat. Et ſiquid deprendes *rectius iſtis, candidus imperti: Si non, his utere mecum.* Intereà, notandum eſt, non ſatis eſſe, ex his rebus maximis, unius aut alterius rationes ſeorſim explicare: Sed oportet ità complecti omnia in eâdem hypotheſi, ut prima ultimis reſpondeant, & aptâ diſpoſitione ſingula cohæreant & conſequantur.

Nec tantùm conſequentiarum nexu, ſed etiam rerum explicatarum amplitudine, aliis omnibus ſuperior mihi videtur præfata hypotheſis. Alii, *Paradiſi* nomine, amœnam regiunculam in *Meſopotamiâ* intelligunt, riguam & arboribus conſitam: Nos Singularem totius Telluris ſtatum. Per *Diluvium* illi intelligunt quandam inundationem maris, cum immodicâ pluviarum effuſione: Nos mundi ſublunaris *Cataſtrophen*: Cùm, fractâ Tellure & diſruptâ Abyſſo, natura faciem mutavit, tàm quoad Cœlum quàm quoad Terram: & in hodiernum rerum ordinem ſubſidit. Per Conflagrationem intelligunt illi, non liquefactam Tellurem in *mare Vitreum*, ſed toſtam in ſuperficie, neſcio quo pacto, & ſemiuſtulatam. Denique, *novos Cœlos* & *novam Terram*, illi per leves allegorias exponunt: Nos ultimum pulcherrimumque rerum ordinem intelligimus, Beatorum primas ſedes, & Naturæ Terreſtris extremum conatum. Vides ad quas minutias illi redigunt omnia ſapientiæ & potentiæ divinæ maxima opera: Nos ea dilatamus & expandimus: Illi, utiliſſimis ſuaviſſimiſque meditationibus materiam præripiunt: nos ſuggerimus

gerimus & miniſtramus. Mihi pergratum eſt quandoque, converſis oculis in præterita tempora, per multa ſeculorum intervalla, ad ipſum mundi initium & natales reſpicere: intueri Orbem noſtrum prodeuntem è ſuis tenebris, eluctantem è nigro Chao: dein formatum, perfectum, & in primigeniâ ſuâ pulchritudine nitentem. Intueri poſteà eundem Orbem, concitatâ Dei irâ, demolitum in Diluvio, & ingenti aquarum mole obrutum. Dein recedentibus aquis, Deus bone! quale corpus, quale cadaver mundi: luxatum, fractum, divulſum, & in rudera comminutum. Talis eſt & tantulus hodiernus terrarum Orbis: Nos tamen miſelli in his ruderibus habitamus: hîc hæreditates partimur, hîc urbes condimus, hîc Imperia exercemus, hîc bella gerimus: Et quod peſſimum eſt, hoc ruderum terreſtre ipſi Cœlo præponimus. Quòd ſi præteréà futura tempora, & qui in conſiliis divinis repoſiti ſunt ſeculorum ordines, proſpicere velimus: Hunc eundem Orbem, quem modò aquis obrutum vidimus, flagrante iterùm Numinis irâ, totum flammis involutum viſuri ſumus; Diſſipatum Oceanum, diffuſos montes, rupes liquefactas: omnia in Chaos igneum converſa. Et quid deinceps, obſecro: Siccine morietur infœlix Terra, hoc rogo conſumpta? his flammis æternùm peribit? Abſit: Renovabit, inſtar Aquilæ, juventutem ſuam: formamque priſtinam reſumet; non illam fractam & caducam, quam nuper exuit, ſed juvenilem, primævam, Paradiſiacam: quâ lucebat olim, cùm primùm exiit è manibus Dei; Ille juventutis flos & pulchritudo in venturo ſeculo reviviſcent, cùm Deus recreabit Terram. Claudamus itaque hanc meditationem, ut ſuum olim Canticum *Regius Propheta*, cum Dei opera celebrâſſet:

Si Spiritum tuum emittis, recreantur, & Terræ faciem renovas.
Sit honor Jehovæ in æternum: Lætetur Jehova in operibus ſuis. Pſ. 104. v. 30, &c.
Cujus conſpectu Tellus concutitur, tactu montes fumant.
Canam Jehovæ dum vivam, pſallam Deo meo quantiſper ero.
Suavis erit de eo meditatio mea: Ego lætabor in Jehova.
Cùm interea ſcelerati omninò ex orbe tollentur, & impii ampliùs non erunt: Collauda, Anima mea, Jehovam. Hallelujah.

Hæc de mundi ſublunaris curſu & periodis, ac providentiæ naturalis ordine, à principio ad finem. Sed deſideratur adhuc pars altera divinæ providentiæ, quæ dici poteſt *Moralis* vel *Theologica:* utpote quæ verſatur circa Religionis œconomiam,

am, & humani generis ſtatum regimenque, ſub Chriſto capite. Profunda ſunt Dei conſilia circa genus humanum, Judæos, Gentes, cæteroſque omnes : Propoſita antè ſecula definita, myſteria omni ſtudio digna ; Nec tam in parte naturali, quæ jam mediocriter innoteſcit, aut confirmandâ aut convellendâ, hærendum eſt : quàm in alterâ, quæ ſupereſt, enodandâ ; ut integrum *divinæ providentiæ ſyſtema* circa hunc mundum ſublunarem, tandem patefiat : & quâ Sapientiâ, Juſtitiâ, & bonitate, magna hæc rerum, temporum, hominumque moles diſponitur, ordinatur, & ad finem perducitur. Huic operi, à quocunque ſuſcipiendo, aſpiret Deus ; fons omnis Luminis & Veritatis.

Sed de his ſatis. Supereſt tantùm, ut ſiquid peccaverim in veritatem, quam unicè colo ſine omni partium ſtudio aut affectu, petenti & pœnitenti venia detur ; *Opere in longo fas eſt obrepere Somnum*, & in longo itinere, quale nos ſuſcepimus, in errorem aliquem incidere, aut fas eſt, aut humanum. Exorſi ſumus à carceribus unde natura ipſa curſum ſuum incepit, & perreximus ad extremam metam : Per omnes ſeculorum ordines progreſſi, omneſque Naturæ Status, quos huic Orbi noſtro divina providentia præſtituit. Neq; tantùm itineris longitudinem querimur aut cauſamur, ſed etiam ſolitudinem viarum : cùm ſine Socio, & ſine ſemitâ, ſæpè eundum eſſet. Id quod aliis ſequentibus utile eſſe ſolet, ſed primùm tentanti periculoſum.

Sed audendum eſt aliquid in primo molimine omnis operis magni : Errores noſtros corrigent poſteri, gaudebuntq; rectè inventis. Res eſt, crede mihi, non levis laboris aut ſtudii, Orbis alicujus Theoriam, à primo Chao ad rerum omnium conſummationem deducere ; primum, ut ità dicam, *circumnavigare Globum*, Temporis orbem metiri, & Providentiæ circulum. Et quemadmodum qui primus circumnavigavit Terram, licet viam breviſſimam rectumq; curſum ubiq; non tenuerit ; non ideò omni laude & præmio eum fraudandum eſſe cenſemus : ità parem erga nos benevolentiam petimus, cùm non minus ſit auſum, nec minor ad errandum proclivitas. Deniq; ut verbo abſolvam omnia, ſcio me multa vera ſcripſiſſe, nec exigui momenti nonnulla, in hâc Theoriâ : Sed imperfectè omnia, quædam etiam mendosè, parùm dubito ; Hæc autem ſunt authoris vitia, non argumenti ; Mihi igitur detur venia, *Solo Deo omnis laus & gloria.*

F I N I S.

93-09

3

D 702
B694t